203 ... 25 1

APOLOGIA

PRO

P. BERNARDO DESIRANT,

S. THEOLOGIÆ DOCTORE,

Hiſtoriographo Regio, Hiſtoriarum Profeſſore publico, & S. Facultatis Theologicæ Regenti &c.

IN ALMA

UNIVERSITATE LOVANIENSI;

CONTRA

Impreſſam Concluſionem finalem Conſultiſſimi Dñi. *Henrici Malcorps*, cum ſuis.

Miror, eos calumniis non delaſſari: Sed quia defatigari non poſſunt, æquum ergo eſt ut nec ego defatiger, quin potiùs, dum me purgo, later: quantò enim plures mei extiterint purgationes, tantò illi tetriores apparebunt. S. Athanaſius Apol. 1. ad Conſtantium Imperat. pag. 159. impreſſ. Pariſ. 1608.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

LEODII, Typis JOSEPHI-LUDOVICI DE MILST, Sereniſſimæ Suæ Celſitudinis Electoralis Typographi. 1709.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Pſal. 26. v. 12.

Nè tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Digitized by Google

REGI

IN SUO CONSILIO STATÛS.

SERENISSIME REX.

A*VGVSTISSIMÆ Domui Auſtriacæ nihil eſſe antiquius, quàm Romanæ Eccleſiæ tueri honores, ſacroſque Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos aſſerere, & Sacerdotes, Viroſque tum ſacris Dei Altaribus, tum ſanctis Monaſteriis conſecratos, in tutelam ac patrocinium aſſumere, ne quà profanâ uſurpatione premantur, hiſtoriæ tam ſacræ quàm profanæ conteſtantur.*

Digitized by Google

Hâc confidentiâ fretus ad Majeſtatis Tuæ pedes proſterni audeo, & labefactatam in perſona mea, non tam meam, quàm Eccleſiæ Romanæ cauſam, Sceptri tui præſidio commendare, & quantùm Sacerdoti licitum eſſe Imperium tuum vult, ſubmittere.

Graſſantes in hoc Belgio tuo Janſeniſtarum verboſorum, atque Rigoriſtarum verbalium novitates, juxta Apoſtolicas ſanctiones impugnare, Pontificumque Supremorum, Regumque Prædeceſſorum tuorum lata contra ipſos Decreta, tueri pro meo modulo humilis ſacræ Theologiæ Doctor conatus fui. Adverſarii autem ad iras converſi, ſpemque ſuam non in argumentis ſolidis, aut in debita erga Eccleſiæ, Regnique Principes obſervantia collocantes, in mediis bellorum tempeſtatibus, contra Religioſum Presbyterum, vetita arma fabricantes, Lugduni Batavorum die 7. Februarii 1707. *fatale condiderunt Decretum, in originalibus nuper litteris detectum, ſequentis tenoris*; Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden, *id eſt*, at ſingulariter in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt. *Hanc autem exploſionem, unà cum machinationibus aliis, quæ in præfatis litteris reperiuntur, ſuſceptam fuiſſe, ut in Univerſitate tua Lovanienſi, nova fierent omnia, alia Epiſtolæ de ejuſdem Februarii die* 20. *verba teſtantur*, mutatio expectatur, & ſperatur quòd omnia novam ſpeciem accipient.

Quantùm triſtiſſima hæc conſilia in Catholicæ Religionis detrimentum tetenderint, judicabis, SERENISSIME REX, *qui Sceptra nolles, niſi eſſent Catholica. Scriptum eſt:* Sediſti ſuper Thronum, qui judicas juſtitiam. *Pſal. 9. v. 5. Et iterùm,* Rex qui judicat in veritate pauperes, Thronus ejus in æternum firmabitur. *Proverb. 29. v. 14. Et rursùs,* facile eſt enim in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem. *Eccli. 11. v. 23. Ad Thronum itaque tuum, Religioſus Ordinem S. P. Auguſtini profeſſus, Presbyter conſecratus, & Doctor Romano-Catholicus accedo, ùt verus pauper, qui fui in laboribus à juventute mea, & infeliciter in manus Potentium incidi; coactus artificia recenſere, quibus adverſa pars mihi inſidiata eſt,* ut rapiat

Digitized by Google

pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum. *Pſal.* 10. *v.* 9.

Cùm etenim ad me ſtrictè Facultatis Theologicæ Regentis officium gerentem, litteræ quædam ſignatæ Z. B. V. E. Licentiato Guilielmo vanden Neſſe, *Eccleſiæ Divæ Catharinæ Deſervitori inſcriptæ, adversùs Religionem Catholicam conſpirantes, per modum denuntiationis legitimæ, tamquàm ex Confeſſarii cujuſdam conſilio, per ſcribam aliquem,* Petrum Nicolaum Tourteau, *delatæ fuiſſent, & hic die 5. Martii 1707. in judicio juratus depoſuiſſet, illas, ſe audiente, dictatas, & ſe vidente, ſubſcriptas fuiſſe à Juris utriuſque Doctore* Zegero Bernardo van Eſpen; *cùmque idem Petrus eodem modo ad me indubitatas cujuſdam Eccleſiaſtici Hollandi, nomine* Henrici Graſper *litteras apertas, tamquàm ex ordinatione Rectoris Academici interceptas, & prioribus conſpiratoriis in ſubſtantia concordantes tuliſſet, is quidem poſteà minis, de quibus conſtat, adactus, & promiſſionibus, de quibus pariter conſtat illectus, in eodem judicio variavit, & per infandam colluſionem ac prævaricationem, illum quem primò accuſaverat, excuſans, & me ſine ulla probatione inter plurimas contradictiones, mutatis velis incuſans, ſe adverſæ partis emiſſarium, & præfati Leidenſis Decreti miniſtrum, ſeu potiùs ſatellitem fuiſſe copioſè monſtravit. Dicti verò Decreti executores me, licèt triplici titulo exemptum, ad diverſa Tribunalia incompetentia, in eadem cauſa tractum, magnâ quâ pollebant potentiâ, eò propulſarunt, ut à Judicibus extraordinariis die 18. Maii 1708. judicatus & damnatus fuerim tamquàm ſuſpectus quòd ad prætenſam priorum litterarum fictionem, & ad poſteriorum interceptionem, concurriſſem, & tamquàm convictus, quòd omnium præfatarum litterarum copias, tamquàm verarum malâ fide miſiſſem ad Altiores Poteſtates, nimirùm Eccleſiaſticas ab Adverſariis nominatas.*

Nec contenti quòd per hanc Sententiam æquè nullam ac injuſtam, omnibus Cathedris exutus, & perpetuo exilio mulctatus fuiſſem, aliquamdiu poſt Sententiam ſic latam, publici juris fecerunt Concluſionem finalem, *in qua inſuper, inauditis me*

Digitized by Google

calumniis diſſamarunt. *& præfatas duas Poteſtates*, *articulo quidem* 838. *tamquàm* contra prætenſos conſpiratores, & Janſeniſtas notoriè præventas; *articulo verò* 841. *tamquàm qui* ſceleſtis & clancularii machinationibus *uſæ fuiſſent*, *per organum* Henrici Malcorps, *ſecundarium præſentis cauſæ directorem*, *convitiati ſunt*.

S. Athanaſius de falſis litteris falsò accuſatus, *ſeſe apud Imperatorem purgans*, *innocentiam ſuam Sacramento obteſtatus eſt*. Deum, *inquit*, & hujus Verbum unicum Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in teſtem voco. *Apol.* I. *pag* 156. *Similiter ego*, *per divinam gratiam conſcientiæ teſtimonio gaudens*, *ad tanti Viri imitationem coram Majeſtate Tua Clementiſſima audeo*, *& cogor Deum Optimum Maximumque*, *per quem Reges regnant*, *& legum Conditores juſta decernunt*, *in teſtem vocare*, *quòd ad nullam ejuſmodi fictionem concurrerim*, *neque quidquam illorum fictum eſſe cognoverim*, *prout neque cognoſco an & quid in illis fictum fuerit*; *& quòd illorum copias ad dictas Poteſtates miſerim bonâ fide*, *ex recta intentione*, *ut examinatis quæ faciebant pro & contrà*, *bono publico proſpiceretur*. *Et quod ad litteras præfati* Henrici Graſper *attinet*, *in quibus ferè eadem continebantur*, *illas ad me per præfatum Petrum latas fuiſſe apertas*, *tamquàm ex ordinatione ſupradicti Rectoris interceptas*, *per teſtem Sacerdotem*, *omni exceptione majorem*, *qui taliter ferentem vidit*, *in judicio probatum fuit*.

Sed & ipſa ſchedula, *quam*, *Romanæ potiùs Eccleſiæ*, *quàm mei Adverſarii Sententiam nominant*, *cauſæ meæ juſtitiam demonſtrat*; *ubi ad impingendam mihi tum prætenſam fictionem*, *tum aſſertam interceptionem*, *nonniſi fluxum atque caducum* ſuſpicionis *fundamentum enuntiat*, *contra manifeſtam juris diſpoſitionem*; ſed nec DE SUSPICIONIBUS, quemquam damnari oportêre, Divus Trajanus Aſſidio Severo reſcripſit. *L.* Abſentem *ff. de pœnis*. *Et Doctor Angelicus*: Cùm aliquis Judex EX SUSPICIONE procedit ad aliquem condemnandum, hoc directè ad injuſtitiam pertinet, undè eſt peccatum mor-

Digitized by Google

tale. 2. 2. q. 60. art. 3. O.

Futili autem hâc ſuſpicione dejectâ, me non tantùm innocuè potuiſſe, verùm etiam ex officio debuiſſe conſpiratorias illas copias ad præfatas Poteſtates taliter mittere ex lege Quiſquis. § id quod *cod. ad legem Juliam Majeſtatis, omnes unanimiter Authores conſentiunt cum Julio Claro, & Interpretibus ejus doctiſſimis Baiardo, Roſſignolo, Giacchario, Quiocio & Drocho: ita ut hoc ipſum, quod Sententiam vocant, ſuo ſe tenore dejiciat.*

Nunc autem, Clementissime Rex, *poſtquàm præfatorum extraordinariorum quinque Judicum pluralitas ita ſe in hac cauſa cognoſcenda geſſiſſet, ut eos verè tamquàm Eccleſiaſtici Judicis Aſſeſſores haberem, Adverſarii nunc Sententiam illam, ut faciant inappellabilem, laicam vocant, quaſi à neſcio quo ſupremo Tribunali pronuntiatam, cùm tamen fuerit non Conſilium aliquod ordinarium, ſed* Juncta, *ex diverſis, juſſu Concilii Status tui, ſpecialiter adunata, cum expreſſa clauſula ut facerent,* comme il ſera trouvé convenir en juſtice.

Juſtitiæ verò ordinem in tuo Belgio receptum, exigere, ut Sacerdos in perſonalibus non judicetur à Laicis, ſed ut ſarta tecta maneant ſtatuta ſacrorum Canonum, quæ talia judicia ſub diſtrictis cenſuris prohibent, tum Concordata Caroli V. Glorioſiſſimi Prædeceſſoris tui, tum lætus introitus ab ipſo & Succeſſoribus ejus jurari ſolitus, tum certa Patriæ conſuetudo demonſtrant.

Appellavi itaque intra triduum ad Supremum Romanorum Pontificem, & appellationis meæ æquitatem per ſubſequentes proteſtationis tabulas iteravi, præfatæque Concluſionis finalis machinam per annexam Apologiam confutavi, & in quo periculo res Catholicæ in eodem tuo Belgio verſentur, niſi Majeſtas Tua Catholica proſpicere dignetur, paucis oſtendi.

Magne Rex, *oſtende potentiam tuam; & illibatam Chriſti fidem, quam glorioſiſſimi Majores tui aſſeruerunt nobis integram, jubeas eſſe intemeratam. Hæc erit gloriæ pars magna tuæ, quòd in præſentibus circumſtantiis, Belgas tuos in Reli-*

Digitized by Google

gione Catholica ſervaveris immaculatos, Chriſtique in terris Vicario, in fide & moribus, necnon in Eccleſiaſticis diſciplinis debitè ſubjectos. Tuis eſto CONSTANTINUS, *qui uniformem Chriſti-Dei cultum vindicavit; Tuis eſto* THEODOSIUS, *qui malè ſerpentes novitates reſecuit; Tuis eſto* MARCIANUS, *qui Eccleſiaſticæ juriſdictionis dignitatem ſuſtinuit: Et Plebs Sacerdoti adunata, reddet Principi quæ ſunt Principis, ejusque encomia ultra ſolis vias efferet, & tranquillus Regni Status, hominum memoriâ celebrabitur, quamdiu Regnantium nomina fulgebunt in Faſtis.*

Quod ad me attinet, nihil impræſentiarum à Regia Majeſtate Veſtra imploro, niſi quod me implorare hæreditarium Auguſti Stemmatis Tui decus procul dubio jubet, ut ſcilicet coërcitis omnibus forſan contradicturis, liceat mihi adversùs prætenſam Sententiam, pluribus titulis, ipſo facto & jure nullam, remedium appellationis apud Judicem Eccleſiaſticum liberè inſequi, proſequique. In hac ſpe hanc etiam Apologiam Regiæ tuæ protectioni humillimè ac devotiſſimè ſubjicio, Deum Optimum Maximumque deprecans, ut arma tua benedicere, & Sacram Perſonam Tuam Regnis ac ditionibus ſuis, & mihi ſemper incolumem ſervare dignetur.

SERENISSIME REX,

MAIESTATIS TVÆ

Humillimus, ac obedientiſſimus
Servus & Vaſallus
Fr. BERNARDUS DESIRANT.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

1. MAledicentiarum plauſtra in innocens Doctoris Catholici caput congeſta innotuerunt toti Belgio, Europæ propemodùm univerſæ, illiſque terræ plagis, ad quas implacabilibus inimicis placuit, hoſtilitatis ſuæ ſchemata diffundere. Sic nempè viſum eſt hominibus, in quorum oribus anteà non nataverat, niſi vox charitatis; quorum externus habitus fuerat compendium modeſtiæ; qui adversùs reſtrictiones mentales detonaverant, veluti contra exitium naturæ; hucuſquè, inquam, commendatores dilectionis inimicorum, aſpernatores vindictæ, omniſque laxitatis impugnatores deciderunt.

2. De Janſeniſtis ago, quorum hiſtoria eſt notior, quàm ut Lector debeat illius repetitione fatigari. Unicum quod ad rem præſentem facit, ipſorumque agendi modos reſpicit, eſt memorandum, quòd Alexander VII. eos pridem appellaverit *filios iniquitatis*. Nomen diſplicuit, puduitque; & idcircò contenderunt, Janſeniſmum phantaſma eſſe, nullumque Janſeniſtam, nullum filium iniquitatis exiſtere; & ut fucum facerent populo, tam eximiam prædicaverant morum ac doctrinarum integritatem, ut omnem viderentur iniquitatem ſuperaſſe. Sed vicit veritas,

Digitized by Google

qui enim Janſeniſmum fuerant clam amplexi, eum tandem palam profitentur, & quid de reliquis virtutibus in animo geſſerint, luculentis factis demonſtrant.

3. Si præcipuum, S. Hieronymo judice, expugnandorum Novatorum eſt argumentum, cognoſcere, quod in animo ſentiunt, jam nihil, ô Superi! querimur, cùm non parva poſſit eſſe Eccleſiæ conſolatio, quòd tandem bonis omnibus pateat, quid Adverſarii circà Janſeniſmi, bonorum morum, pietatis, modeſtiæ, charitatis, atque juſtitiæ dogmata verbis & factis profiteantur.

4. P. Bernardus Deſirant illis ab anno 1683. reſpondere cœpit. Poſt varia dicta & ſcripta pro ſaniori doctrina, & Sedis Apoſtolicæ authoritate edita, Romanam contra eoſdem legationem anno 1692. ſuſcepit, & totos quatuor annos ſuſtinuit, & in Belgium redux, pro viribus perrexit. Multa paſſus fuit, multa declinavit; ſed ultimum impetum, tot tantiſque aggreſſoribus ſuffultum, in præſentibus circumſtantiis evadere non potuit. Sed non idcircò reus. Qui virum nôrunt, tantarum, quæ aſſuuntur ei ineptiarum & fœditatum incapacem ſciunt. Ipſique inimici illam incapacitatem ſatis confitentur, ubi in præſenti lurida ſua concluſione finali articulo 776. ridiculè compelluntur ad extraordinariam excœcationem, incredibilemque mentis peregrinationem recurrere, in verbis: *Notum enim eſt, homines facinoroſos, quantumvis aſtutos, tandem ſolere ſeriùs aut citiùs, menſurâ nequitiarum impletâ, in manus juſtitiæ incidere, Deo ita diſponente, & ſapientiam ſapientum perdente; undè & illud antiquum Poëticum: Dii, quos perdere volunt, dementant.* Addi poteſt: *Et Janſeniſtæ, quos perdere volunt, diffamant.*

5. Ex Hiſtoria Eccleſiaſtica diſcimus, quòd Ariani Athanaſium de criminibus incredibilibus accuſantes, ut apud Imperatorem Conſtantium, & Montanum Palatinum, fidem invenirent, Virum ſanctum dementatione pœnali cælitùs caſtigatum fuiſſe

confinxerint. Agnoſcit P. Deſirant, nihil ſibi cum tanti Viri ſanctitate commune, niſi fidem & perſecutionem; atque hoc ſolo titulo ejus verba impendit: *Non inſanio ego, non mente captus ſum, ut vel cogitaſſe umquam me talia ſuſpiceris.* Apolog. 1. ad Conſt. pag. 154. col. 1. Et infrà: *Quid? an non furioſum, id in ſuſpicionem, cogitationemvè meo Adverſario venire?* 155. d. 2.

6. Cur enimverò potiùs non ſit præſumendum, Adverſarios in hac cauſa feciſſe, quod ſolent, id eſt, reverà conveniſſe inter ſe, ut opinionum ſuarum Adverſarium perderent, atque eodem tempore diſpoſuiſſe omnia, ut conventiones haſce novum phantaſma dicerent, & in hunc finem Petrum Nicolaum Tourteau ſubornaſſe, ut falleret, illoque veluti emiſſario uſos, ut innocentem Doctorem Catholicum, nihil mali ſuſpicantem involverent, eidemque emiſſario promiſiſſe, quæ ei poſteà cum effectu præſtiterunt, pinguem alimentationem, protectionem, atque impunitatem, idque ad exequendum, quod duobus & ampliùs, ante inſtitutam præſentem criminationem menſibus, nimirùm die 7. Februarii 1707. Lugduni Batavorum decretum fuerat, juxtà quamdam Epiſtolam Graſperianam: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden*, id eſt, *ſed præcipuè in Monachum Auguſtinianum tormentis bellicis explodendum eſt.*

7. Animoſitates, partialitates, impetus & violentiæ in hac cauſa adhibitæ, fidem ſuperabunt apud Poſteros; ſed livor vindictæ, qui millenas fatalis ſententiæ copias in diverſa idiomata tranſlatas, affixit valvis diverſarum Civitatum, diſtribuitque quaquaversùs etiam gratis, & ſubſecutæ ſchedæ famoſæ, atque infames ſine nomine, & præſens Concluſio finalis, pluribus, poſt publicatam ſententiam, ſeptimanis impreſſa, apud veros Chriſtianos ſatis ponderis habebunt, ut dignoſcatur ex quibus fontibus hæc omnia dimanaverint, ut mirum non ſit, quamdam bonam mentem iſthæc omnia expendentem ingemuiſſe in hæc ver-

Digitized by Google

ba: *Non eſt charitas Chriſtianorum, ſed furor Gentilium.*

8. Triſtia tempora, quibus hæc omnia talibus licere putantur, ſub prætextu, quòd neſcio per quod Edictum Principis imprimere liceat *motiva juris;* cùm tamen ſit inauditum authorizari libellos famoſos, ſcommatibus & turpitudinibus refertos; certumque ſit, quòd hujuſmodi motivorum imprimendorum facultas non ſit conceſſa, niſi tempore litis, ſive relationis, pro commoditate Júdicum, ut cuilibet provideatur de exemplari, non autem, ut poſt latam ſententiam, parti integrum ſit partem crudeliter diffamare. Et fiunt iſta ab hominibus, qui ſeipſos paſſim nominant innocentiſſimos atque integerrimos, prout videre eſt art. 2. Concluſionis finalis. Item modeſtiſſimos atque manſuetiſſimos, quibus tamen ſatiandis exilii pœna acerbiſſima, quæ in jure comparatur morti, non ſufficit, ita ut hîc liceat aſſumere dictum S. Athanaſii: *Cur qui alios, calamitates miſerorum, lachrymis proſequi oportere docent, nè ab exilio quidem noſtro ſe quieti tradunt?* Apol. 2. pag. 193. Non quieſcunt autem, quia ſciunt innocentem non eſſe miſerum; hoc invident, quòd mens benè conſcia conſervet patientiam.

9. Nè igitur innocentia maneat indefenſa, ſed ut veritas, ſalvâ Chriſtianâ charitate, adversùs calumnias vindicetur, hæc qualiſcumque Apologia, veluti Opuſculum Prodromum, in lucem ibit, non contra Judices, ut enim verbis citati Athanaſii in ſimili cauſa utar: *Quæ à Judicibus videntur fieri, ipſi reverà faciunt.* Ath. Apol. de fuga ſua pag. 163. d. 2.

10. Sed contra Concluſionem finalem, quatenùs eſt impreſſa, & ſubſcripta à ſolo Henrico Malcorps, Viro ſatis noto, qui ab anno 1690. plures, quà publicas, quà privatas, adversùs Doctorem P. Deſirant animoſitates geſſit, & ultimâ hâc ſuâ ſcriptione conſummavit.

11. Hujus Apologiæ æquitatem vindicat aperta ratio neceſſitatis, nè ad tot, tantaſque calumnias & falſitates ſemper tacere, videatur ſpeciem quandam referre turpis confeſſionis.

Digitized by Google

12. Ex coactæ defenſionis officio, pro ſervanda fama, & honore ſuſcipiendo, triſtis Chriſtiana neceſſitas ſequitur, juxta Canones atque Leges, reprobandi accuſatores, teſtes, omneſque alios, qui injuſtæ criminationi intervenerunt, ſolis Judicibus exceptis; quos oportet ſupponere operatos eſſe juxta dictamen conſcientiæ, & infortunii loco habere, quòd innocentia non fuerit ipſis ſatìs clarè perſpecta: nam, ùt Ennodius Ticinenſis loquitur: *Hominum Cauſas Deus per homines terminari voluit.* Videnturque ſatìs magno pondere gravati, qui cùm in judicando, Dei vicibus functi fuerint, arctiorem ideo in diſtricto Dei judicio rationem reddere parati ſunt. Ex hac contemplatione puto accidiſſe, quòd exſoleta ſit antiqua praxis, juxta quam in Appellationibus Judex debebat ad Cauſam venire, & demutabatur in Reum. Solos ergo Cauſæ inſtitutores, inſtructores, atque teſtes, quantùm ad neceſſariam defenſionem ſatisfuerit, reprobare animus erit; quorum aliqui, ſi quid durius forſan dictum vel repoſitum autument; cogitent illi quid fecerint, & Apoſtoli verbum expendant: *vos me coegiſtis.* Quod ad Judices attinet, ſequemur exemplum magni Viri Sidonii Apollinaris, qui cùm amiſiſſet litem, in qua ſe maximè fundatum noverat, nihil voluit Judicibus objicere, licèt merè ad ſolatium fortunæ dixerit: *Si perſona inveniſſet gratiam, Cauſa reportaſſet victoriam.*

Digitized by Google

Digitized by Google

APOLOGIA

PRO

P. BERNARDO DESIRANT, S. Theologiæ Doctore, &c.

In præcipuis articulis inaudito, in nullis legitimè defenſo;

CONTRA

Impreſſam Concluſionem Finalem Conſultiſſimi D. HENRICI MALCORPS, cum ſuis.

DISCURSUS PRODROMUS.

De Specie Facti.

TANTA eſt Concluſionis finalis, quam Pars adverſa edidit, & ſolus D. Henricus Malcorps ſignavit, confuſio & implicantia, ut verus cauſæ ſtatus nequeat à Lectore intelligi. An defectu peritiæ, id acciderit, an ſtudio, eſt difficile ſcitu. Quod enim ad peritiam attinet, licèt pauca ab illorum parte prodeant idiomate latino compoſita, quorum ipſi cenſendi ſint Authores; attamen à tot jam luſtris ſudaverunt ſub ferula Gallorum, Arnaldi, Paſchaſii, Quenelli, Gabrielis Gerberonii, aliorumque Præceptorum, quorum in ſcribendo nitor, elegantia, ordo & claritas, omnibus eſt perſpecta, ut omninò cenſeri debeant capaces atque idonei ad clarè & diſtinctè ſcribenda, quæ vellent. Quarè in dubio ponitur, an non de induſtria tam confusè & obſcurè proceſſerint, tùm ad obruendos Lectoris oculos multitudine argumentationum atque ſubtilitatum ſophiſticarum, quas ſolas

Digitized by Google

adducunt, & quæ ipſorum ars eſt, multiplicare nôrunt, ut ſaltem extorqueant opinionem aliquam ſuſpicionis; tùm ad abſcondendam cauſam Doctoris Zegeri Bernardi van Eſpen, cujus prætenſam innocentiam impotenter ſuppoſuerunt quidem, ſed ad nullam probationem deſcendere auſi fuerunt; idcòque forſan totam Concluſionis finalis machinam infinitis obſcuritatum palliis involverunt, nè Lector occaſionem arriperet, præfati Doctoris cauſam excutiendi. Ut verò hæc & ſimilia incommoda præveniamus, præſentem Diſcurſum Prodromum *de Specie Facti*, dividemus in Paragraphos.

§. I.

Refertur ſeries Facti, prout pluries à Patre Deſirant *in judicio fuit exhibita.*

FACTUM.

1. CUm in menſe Octobris 1706. R P. Franciſcus d'Herbe amotus eſſet Lovanio, & Patri Bernardo Deſirant interdictus uſus Eſſedi, idque per Reſolutiones Capituli Mechlinienſis, adversùs inauditos, abſentes, non citatos, & indefenſos latas; duo, præ cæteris, mala ſecuta ſunt. Primum quidem, quòd Pater Deſirant præ imbecillitate pedum non valens exire, nequiverit detegere fraudes & technas, quæ ipſi à communibus inimicis tendebantur; Secundum verò, quòd abſente præfato Patre Franciſco, Amanuenſi per Revmi. Patris Generalis Decretum dato, coactus fuerit extraneum aſſumere Nicolaum Tourteau ſeniorem, qui impeditus ſubſtituit filium ſuum Petrum Nicolaum, tacendo, quòd hic pluries de falſis, & adulterinis litteris convictus fuerat.

2. Ignorabat hæc Pater Deſirant, ſed non ignorabant quidam Janſeniſtæ, quibus præfati Petri Nicolai malæ artes à tribus, & quod excurrit annis, innotuerant.

3. Præfatus Petrus cœpit dicere, ſe à Confeſſario monitum, ut alicui de ſtricta Facultate Theologica revelaret clandeſtinas Janſeniſtarum Congregationes, ſecretas Litteras, Librum Reſolutionum, & horrendas conſpirationes Doctoris van Eſpen cum ſuis, inter quos aliqui Auguſtiniani, contra Sedem Apoſtolicam, & ſanæ Doctrinæ Profeſſores. Idem Petrus addebat, varia ſe ſcripſiſſe de his materiis ſub præfati Doctoris dictamine, præſtito priùs juramento, de non revelando; præfatumque Confeſſarium dixiſſe, tale juramentum non ligare, cunctaque alicui de ſtricta Facultate Theologica, revelanda & tradenda eſſe.

4. Tulit ergò præfatus Petrus in menſe Decembris 1706. tamquàm

denuntians aliquas ad Patrem Deſirant ejuſmodi Litteras, & ſignanter duplicatum Epiſtolæ de 20. Septembris 1706., quod numquàm fuerat clauſum, ad Patrem Bellexo, ſignatum Z. B. V. E. Et ſimili modo die 10. Januarii 1707. tulit famoſam Epiſtolam ejuſdem diei 10. Januarii, ad Licentiatum vanden Neſſe Bruxellas ſcriptam, ſimiliter ſignatam Z. B. V. E. cum introcluſo ſchiſmatico Formulario, à Conſpiratoribus, prout ibidem dicebatur, ſubſignando.

5. Erat autem dictus Pater tunc, Decano abſente, Vice-Decanus, & tamquàm ſenior, jure ſuo, & juxtà ſacræ Facultatis Statuta denuntiationem ſecretò admittebat, animatus Brevi Apoſtolico anno ſuperiori à Facultate Theologica recepto & publicato.

6. Nihil tamen publicè ex illa operatus fuit, quamquàm dictus Petrus impensè urgeret, ut rem propalaret, & publicam accuſationem inſtitueret, efficeretque ut Petrus ſic vocaretur in teſtem, ut tamen Adverſarii, quos metuebat, neſcirent quòd ipſe omnia detexiſſet. P. Deſirant ſtatim juſſit ut Petrus copiam ſcriberet, ad explorandum utrùm forſan quatuor litteras Z. B. V. E. formaturus eſſet ſicut extabant in Originali: quo caſu totum habuiſſet ſuſpectum. At Petrus ſponte ſuâ formavit eas planè aliter, & tunc P. Deſirant copiam & Originale fecit examinari per duos Notarios ſeorſim ſub prævio ſecreto naturali; permiſitque Originale deſtinari per Petrum die undecimâ Januarii.

7. Doctor van Eſpen præciſè die 13. Januarii Bruxellas profectus eſt, & inde præfatæ Epiſtolæ copiam miſit Lovanium ad Canonicum du Vivien, qui eam tradidit Licentiato Opſtraet, & hic eam evulgavit Lovanii die 22. ejuſdem menſis; & hoc pacto negotium ſeu fictum ſeu factum toto Belgio per ipſos Adverſarios innotuit à die 22. Januarii & deinceps.

8. Sacra Theologica Facultas, plures quâ publicas, quâ privatas inſtantias fecit, ut præfatus Licentiatus Opſtraet curaret reproduci Originale, quatenùs detecto Authore fictionis, vel factionis, ceſſarent nata diſſidia: Ipſe autem cum ſuis tergiverſati ſunt uſque ad tertiam Martii.

9. Interim Petrus inſtitutum ſuum proſequens, die 27. Januarii ad P. Deſirant tulit faſciculum, in quo clauſa erant duo exemplaria Libelli, *Deductio rationum*, & copia ſupradicti Libri Reſolutionum, & eodem die 27. Januarii coram Notario van Dormael fecit actam, quâ declaravit ſupradicta eſſe vera cum oblatione juramenti.

10. Die 28. Januarii & ſequentibus, attulit Litteras minatorias ſibi ſcriptas, & ſimilia.

11. Die 14. Februarii Pater Deſirant ad Doctorem van Eſpen miſit

Digitized by Google

ſeniorem Tourteau, ut cognoſceret an junior Tourteau reverà pro ipſo ſcripſiſſet, ſed fruſtrà.

12. Die 15. Februarii ad Patrem Deſirant venit Petri Confeſſarius, prædicta confirmans.

13. Die 16. Februarii & ſequentibus, Petrus, tamquàm de ſcitu D. Rectoris, attulit veras & ab Authore ſuo, in judicio recognitas Henrici Graſper Hollandi, Lovanii habitantis, Litteras apud Curſorem interceptas; inter quas veras Epiſtolas, & præfatas anteriores fictas, vel factas, tam grandis à Viris doctis reperta eſt concordantia, ut ex eodem ſpiritu profluxiſſe videantur: hoc unico excepto, quod in anterioribus exprimantur plura conſpiratorum nomina, in iſtis verò Henrici Graſper Litteris, pauciora cum addito tamen generali, quòd in eodem ſenſu Lovanii perſeverent: *Omnes boni amici, benè intentionati*, inquit.

14. Eâdem die 16. Februarii, P. Deſirant ad prædictum Doctorem van Eſpen miſit Patrem Leopoldum à Sta. Thereſia, Diſcalceatum, apud quem Doctor van Eſpen ſeipſum tergiverſationibus ſuis viſus eſt reddere ſuſpectum, idque vehementer.

15. Die 23. Februarii P. Deſirant oſtendit cunctas Litteras Univerſitatis Rectori, ad ſe pluries vocato, quia non valebat exire, & idem iterùm fecit die 25. menſis ejuſdem.

16. Die 3. Martii Doctor van Eſpen præfatam originalem Epiſtolam reproduxit, & ſtatim hujus Univerſitatis Rectori ſignificatum fuit, eam ſcriptam eſſe manu dicti Petri.

17. Die 5. Martii Petrus vocatus in judicium, declaravit ſe illam ſcripſiſſe ſub dictamine Doctoris van Eſpen, & vidiſſe eum ſubſignantem, in ejus Bibliotheca: atque hanc ſuam depoſitionem ita juramento firmavit, ut Advocatus Fiſcalis, Henricus Malcorps, palam dixerit, *dien leck en ſullen de Janſeniſten noyt afwaſſchen*: id eſt, *numquàm Janſeniſtæ hanc maculam eluent.*

18. Die 8. Martii idem Petrus ad dictum Rectorem miſit ſupradictarum Litterarum denuntiationem ſecretam, quam antea intenderat facere Confeſſarius ejus R. Pater Matthias Grouwels, Minorita, cui idem Petrus dederat licentiam in ſcriptis cuncta revelandi, & dictus Pater Grouwels Patri Deſirant hanc revelationem fecerat pariter in ſcriptis.

19. Die 12ª. Martii ſenior Tourteau juſſit filium ſuum recipere ſe apud Carmelitas Calceatos, propter rumorem qui ſpargebatur ipſum ſequeſtrandum fore.

20. Poſteà verò Petrus, primò minis, dein promiſſis tentatus, retractavit, & ſe ipſum accuſavit tamquam fictorem litterarum anteriorum;

Digitized by Google

& demum in Adverſariorum poteſtate conſtitutus, falsò, & ſine ulla probatione accuſavit Patrem Deſirant velut inſtigatorem; ſed non juravit.

§. II.

Refertur ſeries ejuſdem Facti, prout eam Petrus Nicolaus Tourteau *in judicio depoſuit in ſuis reſponſionibus perſonalibus ad Libellum Gravaminum ei ex parte Officii Fiſcalis objectum: in quibus reſponſionibus, poſt intermedias variationes informes finaliter perſtitit, ſe ſolùm in omnibus, &* Patrem Deſirant *in nulla prorſus re accuſando.*

1. DIſtinguendæ ſunt variæ, quas Petrus in referenda facti hujus ſerie, diverſis temporibus fecit reſponſiones. Primam incepit die 5. Martii 1707., & in hac juratus coram Judice accuſavit Doctorem van Eſpen. Secundam fecit extrajudicialiter die 27. Martii ejuſdem, coram Doctore Parmentier, & D. Aſſeſſore Leunckens, in qua ſe ipſum accuſavit. Tertiam rurſus fecit in Judicio, perſonaliter reſpondens ad Libellum Gravaminum, ei ex parte Officii Fiſcalis exhibitum. Quartam fecit extrajudicialiter per recollectionem, varias ſcedas ad Doctorem van Eſpen, D. Henricum Malcorps, aliosque, miſſas, in quibus ſibi rurſus contradicens, gravavit Patrem Deſirant tanquam authorem vel inſtigatorem. Quintam rurſus fecit in Judicio, recognoſcens dictas ſcedas, prout conſtat ex primo Libello, quem D. Henricus Malcorps, ſub nomine D. Promotoris van Cutſem, contra Patrem Deſirant, obtulit, & ſignavit; ubi inter alia de Petro Nicolao dicitur: *Facti pœnitens, & nunc in ſequeſtro poſitus, totam ſeriem aperuit coram Magnificentia Veſtra, in reſponſis ad interrogatoria ei ex parte Exponentis facta, de data 26. 27. Martii, & 6. Aprilis hujus anni, & ex ſcedulis tranſmiſſis, & ab ipſo ſignatis & recognitis.* In ſua verò deductione, loco motivi rediit ad reſponſiones perſonales, quas collocavimus ordine tertio.

2. Evidens eſt ſecundùm jura, quòd, ubi deponens pluries variat, ſtandum ſit primæ depoſitioni, ſi jurata fuerit, & quòd poſteriores cenſeantur extortæ & ſubornatæ, nulliusque ſint momenti ad excuſandum illum, qui primò accuſatus fuerat, præſertim ſi non ſint juratæ, prout in præſenti caſu juratæ non fuerunt. Accedit, quòd ſufficienter conſtet binos zeloſiſſimos Doctoris van Eſpen amicos die 19ª. præfati menſis Martii, antequam Petrus variaret, eundem acceſſiſſe, & graviſſimas minas intentaſſe, niſi depoſitionem ſuam revocaret, minis verò poſteà

Digitized by Google

ſucceſſiſſe promiſſiones, prout latiùs oſtendetur infrà, ubi ex profeſſo agetur de hac circumſtantia.

3. Fingamus tamen in obſequium Doctoris van Eſpen, qui hodie tanti valere dicitur, quòd primæ depoſitionis, quantumvis juratæ, ratio habenda non ſit: equidem conſequetur, quòd nulla quatuor depoſitionum poſteriorum erit authoritas, niſi ad ſummum illius quam tertio loco fecit in Judicio, reſpondendo ad articulos Libelli Gravaminum, & in qua finaliter perſtitit in *deductione loco motivi*. Hæc res eſt certiſſima, debetque reputari pro baſi atque fundamento eorum omnium quæ ſubſequentur: nimirum, vel attentendam eſſe ſolam Petri depoſitionem primam, quam juratus fecit die 5. Martii; vel, ſi hæc prima poſſit aut debeat ſupprimi, nullam eſſe habendam rationem, niſi depoſitionis quam in Judicio fecit in ſuis reſponſionibus ad Libellum gravaminum ſibi objectum: alioqui, quod nimis criminoſum foret, iretur in infinitum, & teſtis permitteretur tam diu variare, donec ejus depoſitio perfido Actori placeret. Iſtam porrò Petri depoſitionem ſecundam in Judicio factam hactenùs ignoraveramus. Adverſarii deductionem illam dederunt typis, ſuppreſsâ Sententiâ contra Petrum latâ. Hæc depoſitio incipit ab articulo 9, & terminatur articulo 24., verbis ſequentibus.

„ 9. Ut ergò deveniamus ad factum prædicti Rei, juvenis vix viginti annorum, qui de clementia Magnificentiæ Veſtræ non deſperat; dicemus: 10. Quòd conſtet ex ipſius reſponſione perſonali ad Libellum gravaminum ad onus ejus exhibitum ex parte Officii Fiſcalis, quòd fabricaverit, & manu propriâ conſcripſerit Epiſtolam illam famoſam de decima Januarii 1707. ad eruditiſſimum Dominum vanden Neſſe, cum liſta prætenſorum Janſeniſtarum, & formulari introcluſis. 11. Faſſus deſuper etiam eſt Reus ſe ipſam Epiſtolam ſignaſſe litteris Z. B. V. E., & ſic nomen aut ſignaturam Clariſſimi Domini van Eſpen adulteraſſe, & ſic adulteratam tuliſſe ad Eximium Patrem Deſirant. 12. Ulteriùs conſtat ex iiſdem reſponſionibus, Reum ſub initium currentis anni fabricaſſe falſum Librum Reſolutionum, ſeu Congregationum, ac ſi tales habitæ fuiſſent, & renovatæ à prætenſis Janſeniſtis ibidem expreſſis, à tertia Junii 1706. uſque ad ſecundam Januarii 1707. 13. In eodem Libro affinxit Reus ſigna & claves ibidem expreſſas & notatas. 14. Affinxit quoque Venerabilibus Viris in eodem Libro expreſſis aliud Formulare de menſe Junio 1706. ac ſi à pluribus eorum fuiſſet ſignatum. 15. Curavitque prædicti Libri Reſolutionum fieri duas copias per certum pictorem nomine Timmermans, & unam dicti Formularis, quarum unam ejuſdem Libri & Formularis, incluſit Epiſtolæ de 13.

„ Januarii 1707. per ipſum falſificatæ & adulteratæ ſignaturæ Clariſſimi „ D. van Eſpen, deſtinatæ ad D. Krys Amſtelodamum. 16. Alteram „ verò copiam prædicti Libri Reſolutionum incluſit Reus alteri Epiſtolæ „ ad eundem D. Krys ſub data 10. Februarii 1707. ab eo fabricatæ no- „ mine prædicti Clariſſimi D. van Eſpen: quas Epiſtolas tulit ad Eximium „ P. Deſirant, ſub prætextu quòd illas intercepiſſet reſpectivè apud Cur- „ ſorem, & in ædibus Clariſſimi D. van Eſpen. 17. Non potuit, nec „ voluit negare Reus, ſe etiam realiter intercepiſſe diſtinctis vicibus apud „ Curſorem varias Litteras. 18. Scilicet 16. 20. & 23. Februarii, tres „ faſciculos Litterarum, quorum duo deſtinabantur ad præfatum D. Krys „ Amſtelodamum, & alterum ad D. van Goor, per vel ex parte Henrici „ de Graſper Theologi, quorum aperuit coopercula, & tulit ad prædi- „ ctum Eximium P. Deſirant, confecto prius *Recepiſſe* nomine prædicti „ Eximii Patris pro uno faſciculo, quem clam ſurripere non potuerat. „ 19. Verum etiam eſt, quòd Reus propriâ manu ſcripſerit quinque „ Epiſtolas ad D. vanden Neſſe de data 1. 3. 5. 8. & 15. Februarii 1707. „ continentes, quaſi ageretur de vita ipſius Rei, ſurripienda ex parte „ Clariſſimi D. van Eſpen, in quibus etiam adulteravit ſignaturam prædi- „ cti Clariſſimi per quatuor Litteras Z. B. V. E, & ſignum quadro-ob- „ longum. 20. Scripſit & ſibi ipſi deſtinavit Reus quatuor falſas „ Epiſtolas minatorias ſub ficto nomine Joannis Kimphæ, ac ſi eſſent „ ſcriptæ ex Congregationibus prætenſis Janſeniſtarum. 21. De cætero „ tulit Reus ad R. P. Grouwels Minoritam, Librum originalem, ſeu „ minutam fictarum Reſolutionum prædictarum, tempore ultimi Jubi- „ læi, dixitque ei, ſe eundem Librum ſurripuiſſe à dicto Clariſſimo D. „ van Eſpen. 22. Impoſuit eidem Patri, ac ſi dictus D van Eſpen ab „ ipſo Reo bis juramentum exegiſſet de non revelandis iis, quæ ſub- „ dictamine apud ipſum ſcripſiſſet in materia Propoſitionum Janſeniana- „ rum, Formularium, &c. 23. Scripſit adhuc alias Epiſtolas nomine præ- „ dicti D. van Eſpen, notanter ad Reverendos Patres Ballexo, & van „ Wavre. 24. Et quod pejus eſt, Reus acceſſit Magnificentiam veſtram „ quintâ Martii hujus anni 1707., ubi ſub juramento ſuo declaravit, „ quòd prædictam Epiſtolam famoſam, Liſtam & Formulare ſcripſiſſet „ dictâ 10. Januarii, in Bibliotheca prædicti Clariſſimi D. van Eſpen, „ & quidem ſub ejus dictamine, & quòd ei dederit calamum ad manus, „ in finem ſignandi. „.

Hactenùs depoſitio Petri, quæ fuit ſecunda, quam in judicio fecit, & ad quam in ſua Deductione loco Motivi rediens, finaliter perſtitit, prout Adverſarii confitentur.

Digitized by Google

§. III.

Ex Relatione quam fecit P. Deſirant *, & depoſitione in qua* Petrus Nicolaus *finaliter perſtitit, probatur Patris* Deſirant *innocentia.*

1. SI mens non læva fuiſſet, ſola conſonantia quæ inter relationem Patris Deſirant ſuprà exhibitam, & perſonalem Petri reſponſionem, exhibitam paragrapho 2., legentibus incurrit in oculos, debuiſſet Adverſariis ſufficere, ut perſuaſam haberent Patris Deſirant innocentiam. Debebat enim reputari impoſſibile, & impoſſibile habebitur apud omnes æquos rerum æſtimatores, ut P. Deſirant potuiſſet ſuam relationem facere tam conformiter, ubi ipſis Adverſariis notiſſimum eſt, quòd idem Pater nunquam habuerit, vel habere potuerit dictæ depoſitionis per Petrum factæ, aut inſpectionem, aut notitiam. Sæpiùs illam petiit, præſertim in termino diei Martis 19. Julii 1707. in verbis : *Van Leeuw, nomine principalis ſui dicit, quòd nil ſit tritius, quàm intereſſe habentibus concedi copias publicas : quare petit copiam Libelli Gravaminum ad onus* Petri-Nicolai Tourteau *propoſitorum, cum ejus uberiori reſponſione, ſuſtinens id ita fieri debere* Nihil autem obtineri potuit, ideoque Pater Deſirant non niſì in præſenti Apologia, depoſitionis illius notitiâ uti valuit.

2. Non habent Adverſarii quod objiciant, niſì Petrum poſt dictam depoſitionem, miſiſſe varias ſchedas, ab ipſo poſtea in Judicio recognitas, in quibus poſteriores contra Patrem Deſirant incuſationes continentur, quæ etiam in Petri deductione loco motivi repetuntur.

3. Ad hoc autem reſpondetur, quòd illæ ſcedæ ſint ſuſpectæ, quia tranſmiſſæ ad Doctorem van Eſpen, prout agnoſcunt art. 56. Concluſionis Finalis, & ad D Henricum Malcorps, prout hìc agnovit & probatum fuit ex depoſitione Doctoris Parmentier ad art. 177. ſchedæ contrariorum factorum. Secundò, informes atque invalidas eſſe ſimilium ſchedarum in Judicio factas recognitiones, ipſimet Adverſarii ſuſtinuerunt & probaverunt in ſuo termino de 2. Auguſti 1707. in verbis : *quoad atteſtationes exhibitas cum uberiori reſponſione Citati, tantùm abeſt, quòd Actor eas habeat pro legalibus, aut forma probantis, ut è contrà Quirini adhuc ſuſtineat, & perſiſtat illas debere rejici, & nullatenùs admitti, juxta conſtantem praxim in criminalibus obſervatam, conformiter ad articulum* 51. *Regulamenti in materiis criminalibus de* 1. *Julii* 1570. Tertiò, neque ſcedularum iſtarum ſcriptiones, neque recognitiones fuerunt juramento firmatæ. Quartò, ſi dictæ ſcedulæ fuerint tales, quales Adverſarii deprædicant, eatenùs

mùs contradixerint anteriori depoſitioni in Judicio factæ, proindeque non major illarum eſt habenda ratio, quàm ſi nec ſcriptæ, nec recognitæ fuiſſent, partim quia in depoſitionibus contradictoriis, ſtatur primæ; partim quia primam hanc iteravit, & ad eam rediit, dum in ea finaliter perſtitit, quando, prout oſtendimus, *deductioni loco motivi*, *quæ ſcriptura ultima fuit*, inſerta fuit, ex quo manifeſtè conſequitur, quòd aliæ inſertiones contradictionum, ex dictis ſcedis excerptarum, quæ in eandem deductionem loco motivi irrepſerunt, non ſint cenſendæ opus Petri, ſed illius vel illorum qui hanc deductionem compoſuerunt. Ex quibus concluditur, non Patrem Deſirant, ſed Doctorem van Eſpen reum eſſe, ſi ſubſiſtat prima depoſitio Petri jurata; vel ſolùm Petrum, ſi ſubſiſtat illius ſecunda depoſitio, quæ jurata non fuit.

§. IV.

De diſtinctis qualitatibus criminum ex Facti ſerie reſultantium.

1. ADverſariis eſſe in more poſitum, exceſſus, ſeu delicta deſcribere, non prout ſunt, ſed prout ſerviunt finibus ſuis, objectum eſt ſæpiùs, & plura exempla demonſtrant. Si quid repertum fuerit in adhærentibus ſuis, hoc mitigant: ſcelus appellant erratum, crimen infirmitatem. Ubi verò feſtucam ſe videre putant in oculo inimici, quem aliis præſcribunt diligendum, ùt fratrem, cum magno ſtrepitu nituntur eam educere veluti trabem, omnia peccata ſunt ipſis ſcelera; & ut figurata locutio plus ponderis habeat, recurrunt ad phraſim Tertulliani: *Non ſunt delicta, ſed monſtra.*

2. At verò, niſi qualitates exceſſuum, prout ſunt, diſtincto ordine proponantur, non ſolùm præſentis cauſæ ſtatus confuſus manebit, verùm etiam opprimentur innocentes, veri criminoſi abſolventur, & grande illud malum, quod, Innocentio XII. Judice, *Eccleſiam Catholicam jam dudum perturbat*. altiores, & altiores in Belgio radices figet.

3. Cùm verò Henricus Malcorps cum ſuis, art. 3. Libelli gravaminum agat de Conſpiratione in Religionem & Statum, primo loco ponemus Conſpirationem ipſam, ſi reverà exiſtit. De hujus autem ſolius exiſtentia per dictum Henricum Malcorps, qui Promotorem egit, Advocatum Fiſcalem, Commiſſarium, & omnia, nullam factam eſſe inquiſitionem, quis intelligat? Centies eſt admonitus, reperiri aliquid in veris Henrici Graſper Litteris, per Authorem in judicio recognitis; ſed videntur Græcæ eſſe, & non leguntur.

4. Centies eſt admonitus extare concordantiam (in judicio exhibitam

Digitized by Google

in annexis ad uberiorem Reſp: ſub n. 1.) inter veras Henrici Graſper Litteras, quæ ſunt poſteriores, & inter eas, quas nunc fictas dicunt, Petri Nicolai Tourteau litteras tempore anteriores. Sed concordantia videtur græca eſſe, & non legitur: Unicum videtur crimen eſſe, conſpirationem finxiſſe, feciſſe autem non videtur crimen.

5. Centies dictum fuit, ſimul ſtare, quòd Petrus Nicolaus Tourteau ex notitiis ab adverſa parte hauſtis, in Menſe Januario de eadem conſpiratione potuerit ſcribere litteras, quas ſcripſit, & poſteà in Menſe Februario non errare in intercipiendis illis præcisè litteris veris, quæ eadem continebant. Proindeque alta mente expendendum eſſe, an non Petrus de veritate ſibi nota quaſdam litteras finxerit, Henricus Graſper ſcripſerit, & alii forſan omnia fecerint. Sed græca hæc eſſe videntur, & non intelliguntur.

6. Poſt conſpirationem, ſi extet, crimen maximum videtur evulgatio litterarum occultarum, in quibus illa conſpiratio, ſeu ficta, ſeu vera continebatur: quamdiu etenim iſtæ litteræ manebant ſecretæ, nulla in populo ſequi poterat perturbatio. Originalis Epiſtola de 10. Januarii pervenerat ad manus Licentiati vanden Neſſe, cui erat inſcripta, & Doctor Van Eſpen eandem, prout erat originaliter ſubſcripta quatuor Majuſculis Z. B. V. E. Bruxellis viderat, in præfati intimi amici ſui & Contubernalis manibus. Si ſciebant eſſe fictam, cur non combuſſerunt eam ipſi, qui Patrem Deſirant tam atrociter dilacerant, quòd non combuſſerit, malè ſupponentes, quòd factum fuiſſe cognoverit? Si volebant tueri innocentiam propriam, quid opus erat evulgatione iſtâ, & quadraginta dierum, antequam toties moniti prætenſum originale producerent, tergiverſatione, & illa tergiverſatione, quæ occaſio extitit interceptarum verarum litterarum Henrici Graſper, ut cætera taceam? Si denique vindicatas volebant injurias privatas, cur non recurrebant ad providum Judicem, cur ad publicam divulgationem authoritate privatâ attentatam?

7. Si ergo facinus conſideretur à die 10. Januarii uſque ad diem 21. ejuſdem, totum ejus malum conſiſtebat in ſuppoſita, occulta, & privata fictione conſpirationis; quo caſu injuria erat particularis, exigenda à fictore, ſi fictio fuit. A die verò 22. Januarii, & deinceps, malum eſt factum publicum, per evulgationem, quam non fecit, qui epiſtolam prætensò finxit, ſed qui eam in poteſtate habuit, & quo nemo melius ſcire debuit, an epiſtola ficta, vel facta fuerit.

8. Centies & centies Henrico Malcorps per conteſtes probatum fuit, hanc evulgationem factam fuiſſe per opera Licentiati Opſtraet, & Doctoris van Eſpen; oſtenſumque, quòd ſacra Facultas Theologica, ut ceſſa-

rent ſcandala, pluries, quà publicè, quà privatim requiſiverit, ut aſſertum Originale producerent. Eſtque manifeſtum, quòd nullum ulterius malum fuiſſet in hac Cauſa ſubſecutum, tempus enim defuiſſet, ſi Originale ſtatim fuiſſet productum. Cur ergo nulla inquiſitio in evulgatores, quos ſolos conſtat fuiſſe perturbatores? Sed hæc græca ſunt, & non leguntur.

9. Sufficit interim, quòd ex his conſtet, Patrem Deſirant hujus divulgationis, & ſecutæ diffamationis non fuiſſe Auctorem, imò nec complicem.

10. Inter præfatos exceſſus tertium locum obtinere videtur occulta, & privata fictio conſpirationis. Grande malum eſt, ſed non tantum, quantum ipſa conſpiratio, ſi extet. Aliud eſt per privatas & occultas litteras, aliquibus conſpirationis crimen affingere, aliud eſt, ipſam conſpirationem facere. Petrus Nicolaus Tourteau eſt fictionis author ſi vera ſunt quæ in judicio varians confeſſus fuit. Commiſit atrox mendacium, impoſturam, calumniam, & injurias intulit graviſsimas. Diffamavit apud Confeſſarium ſuum, diffamavit apud Patrem Deſirant; diffamationis inſtrumentum originale fecit pervenire ad manus Licentiati vanden Neſſe cum ſuis, qui ſecretò diffamati fuerant. Denique Petrus Nicolaus falsò Doctorem van Eſpen in judicio accuſavit, ſivè dedit falſum teſtimonium, & perjuravit, ſi vera ſunt quæ ſeductus retractavit.

11. Sed in his omnibus Patrem Deſirant nullam habuiſſe partem perſpicuum eſt.

12. Quarto loco ponitur doloſa, quamvis non violenta quarumdam determinatarum litterarum interceptio apud Curſorem, & apertura, per Petrum eundem attentata, in fictæ, vel veræ conſpirationis verificationem, prout ipſe confeſſus eſt.

13. At verò Patrem Deſirant, nullam quoque in hac interceptione & apertura habuiſſe partem ex ſequentibus patebit.

14. Unicum hic addendum, cur ſtatim dixerimus, *quarumdam determinatarum Litterarum*? Cauſa fuit, quia Petrus ſufficientia ſigna, & indicia & probationes attulit, quòd non intenderit intercipere litteras quaſcumque, ſed præcisè illas in quibus dicebat ſe certum eſſe contineri quæ inventa ſunt.

15. Hæc præmiſſa ſunto ad elidendam Adverſariorum exclamationem, quaſi ex interceptione litterarum Henrici Graſper, ſequeretur quòd litteræ etiam Magnatum, & quorumcumque aliorum periclitatæ fuiſſent. Quæ conſequentia, ſi in jure obtineret, omnes injuriæ privatæ [quod abſit] reſolverentur in crimina leſæ Majeſtatis. Quando enim aliquis

alium percuſſiſſet, vel offendiſſet in via publica, poſſet eodem modo, ſed malè inferri, quòd ergo nec Princeps in via publica tutus foret, ſub prętextu, quòd & ille ſic percuti atque offendi potuiſſet. Sicut autem ad caducam hanc objectionem tutò reſponderetur, diſparitatem in eo fundari, quòd ex circumſtantiis conſtaret, percuſſorem, ſeu offenſorem non habuiſſe voluntatem percutiendi vel offendendi quemcumque, ſed illam determinatè perſonam, quæ percuſſa vel offenſa fuiſſet: ita & in hoc caſu de interceptione litterarum Henrici Graſper omninò judicandum videbitur.

16. Hiſce poſitis, diſtincto ordine procedemus ad confutationem Libelli gravaminum, in viginti quatuor articulos diviſum; & oſtendemus non tantùm falſitatem ſingulorum, verùm etiam quòd P. Deſirant in nullo habuerit legitimam defenſionem. Quo peracto, capite ultimo demonſtrabimus, quòd in gravaminibus reliquis fuerit ne auditus quidem.

CAPUT PRIMUM.

Confutatio primi gravaminis: *quòd Reus plura pertinacis odii ſigna oſtenderit contra Clariſſimum Dominum* van Eſpen, *quod ortum habuit ex Libello quodam de peculiaritate & ſimonia, à quo tempore dictum D.* van Eſpen *amaris illis diſſidiis Theologicis ſemper immiſcuit.*

1. ANte omnia obſervandum, quòd P. Deſirant fecerit reſponſiones tres. Prima fuit fuſa, & magìs diſtincta, ad interrogatoria centena, & centena, per modum rigidiſſimæ Inquiſitionis propoſita die 30. Aprilis, necnon die 2. & 4. Maii 1707. Secunda fuit breviſſima ad Libellum gravaminum, data quinque diebus poſteà, in qua aliquoties uſus eſt vocibus, *in bonum finem*, *in bonum uſum*, *numquam in malos fines*, & hujuſmodi.

2. Supponebat enim, & pluries oretenùs declarabat, hanc reſponſionem eſſe relativam ad præcedentem; & in fine reſervabat ſibi facultatem eas explicandi in uberiori ſua reſponſione.

3. Reſponſionem hanc, quæ fuit tertia, paulò poſteà P. Deſirant ſcripto fecit, prout conſtat ex iiſdem actis, vocaturque *reſponſio uberior ſivè ulterior.*

4. Quia verò nihilominùs deplorati accuſatores ſuſurrabant, quòd confeſſiones illæ, *in bonum finem*, deberent ſcindi, quaſi totum, & integrum articulum, quem in primis reſponſionibus, clariſſimis verbis negaverat,

Digitized by Google

jam in paucis iſtis terminis confiteri voluiſſet, quod erat æquè ridiculum ac falſum; idcircò P. Deſirant edidit parvam Appendicem, in qua ſingulam reſponſionem diſtinctiùs explicavit; cùm jure receptum ſit, unumquemque, & præſertim accuſatum poſſe ſua verba explicare; æquitatemque naturalem & Chriſtianam charitatem poſtulare, ut reſponſiones, quantùm poſſunt, accipiantur in bonam partem: non enim debere quemquam condemnari captiosè, & quaſi per ſophiſmata, nec deberi virum capi in cortice verborum, ſed attendendum ſenſum, qui ex ipſa reſponſione, ſivè confeſſione, attentis circumſtantiis reſultat. Hiſce præſuppoſitis, refutabitur ſingulum gravamen.

5. Studuerunt Adverſarii in omnibus & per omnia, defenſionem reddere impracticabilem: in hunc finem, articulum primum objecerunt non ſimplicem, ſed compoſitum, continentem tres quatuorvè partes, ùt per ſe patet. D. Henricus Malcorps, qui rursùs hâc 9. Maii 1707. Actorem agebat, eratque Advocatus Fiſcalis, contra omnia jura, in præſentia Judicis fungebatur officio Commiſſarii. Gravamina debuiſſet ſic propoſuiſſe, ut P. Deſirant potuiſſet reſpondere ſimpliciter & cathegoricè, per verbum *ita vel non*; juxtà lib. 2. part. 2. tit. 3. cap. 1. Edict. Brab. ubi de criminalibus & civilibus cauſis art. 13. dicitur: *Quòd ſi in iis procedatur ex parte officii, omnes captivi, accuſati, vel incuſati de criminibus & delictis reſpondebunt oretenùs ad interrogationes, & interrogatoria, quæ ipſis fient, & per ordinem & ſimpliciter, per* ita vel non, *adjungendo defenſiones & exonerationes, quas volent proponere, ſi quas dicant.* Non ſic propoſuit autem. Patrata ſunt hæc myſticè.

6. Quarè P. Deſirant coactus aliquid dicere, dictavit verba ſequentia: *fuit utrimque altercatio ſcholaſtica*: & oretenùs addidit, ſe pleniùs reſponſurum eſſe in ſua reſponſione uberiori, quod repetiit ad calcem reſponſionum omnium, & prout conſtat ex actis. Die 9. Maii 1707. tulit Magnificus Dominus Decretum ùt ſequitur: *Injungimus Eximio Patri citato, ut ſi quid uberiùs reſpondendum habeat, id faciat ſcriptis infrà triduum, concedentes in eum finem copiam gravaminum.*

7. Juxtà omnes æquitatis leges ſequitur, quòd P. Deſirant ſibi per hanc reſponſionem nullum præjudicium attulerit, & quòd Actore præſente, nec contradicente, acceperit à Judice plenam facultatem ſeſe explicandi, prout poſteà fecit ad ſingula, in ſua uberiori reſponſione.

8. An confuſa gravaminum propoſitio fuerit ſtudiosè fabricata ad confundendum reſpondentem, eo modo, quo contra jura & praxim, eidem per eundem D. Henricum Malcorps die 30. Aprilis & 2. ac 4. Maii propoſita fuerant centena, & centena interrogatoria, univerſim plus quàm

Digitized by Google

per horas viginti-quatuor, ita ut febricitans in fine vix potuerit attendere, utrùm omnia, quæ propter anguſtiam temporis ſatis celeriter prælegebantur, præcisè convenirent cum iis, quæ anteà reſponderat, ſcire nefas. Charitas non cogitat malum. Ipſi viderint.

9. Porro, quando P. Deſirant reſpondit, altercationem ſcholaſticam fuiſſe *utrimquè*, pro ſe impendit vocem veritatis; cùm nihil unquam inter ſcribendum fecerit, niſi quòd Scholaſtici fuit; pro parte verò Doctoris van Eſpen impendit vocem charitatis, nolens ſuſpicari, quòd dum ſcriberet, exceſſiſſet officium Scriptoris.

10. In quonam verò, vel in quibuſnam actibus conſtitiſſent plura *illa pertinacis odii ſigna*, adverſarii hactenùs non declararunt, neque in ſua Concluſione finali attulerunt aliud, quàm quod P. Deſirant zeloſiùs, quàm optabant, propugnans authoritatem Sedis Apoſtolicæ, generatim impugnaverit aſſertos Janſeniſtas, Romanamque contra illos Legationem ſuſtinuerit per annos quatuor, & inter alia denuntiaverit quaſdam Doctoris van Eſpen propoſitiones, nimirum, quibus oppugnabantur Confraternitates, & aſſerta earumdem privilegia, ac nominatim Confraternitas *de redemptione Captivorum*, item exagitabatur Patrum Carmelitarum pietas erga geſtationem ſcapularis, cum expreſſione, quòd illi quoque ſalvandi ſint, qui geſtant chlamydem ſine peccato & ſimilia.

11. Inde autem nullo modo eruitur, quòd P. Deſirant ulla *pertinacis odii ſigna oſtenderit*; ſed quòd pro veritate certans cum clariſſimo Domino egerit tamquam Doctor Catholicus, ita ut ad dejiciendum illum, fictionibus opus non fuerit. Quinimò nimis procul declinaſſet à ſcopo quem ſibi propoſuerat, ſi quem veritate victum ſciverat, voluiſſet fictionibus reſtituere: debuiſſet enim ſcire, illas infallibiliter detegendas, in perpetuam ſuam confuſionem; illo nempe tempore, quo authoritas Doctoris van Eſpen cum ſuis erat ſuprema, Patris verò Deſirant exigua & ferè nulla. Cùm ergo inter ſcribendum ſemper bonis artibus uſus fuerit, nec ſcripſerit primus, ſed tantummodo ſimul cum Collega ſuo Doctore Patre Petro Clenaerts ad libellum illum *de peculiaritate & ſimonia*, per Doctorem van Eſpen latino & vernaculo ſermone editum reſponderit provocatus; non odii, ſed juſtæ defenſionis partes exegiſſe, non dubium eſt.

12. Quomodo autem dici cum veritate poſſit, quòd P. Deſirant Doctorem van Eſpen *amaris illis diſſidiis Theologicis ſemper immiſcuerit*, non intelligo: quandoquidem dictus Doctor in omnibus ſemper egerit partes Actoris, ſemper ſcripſerit primus, ſemper provocaverit. Primam lectionem juridicam publice in ſcholis Academicis tradidit, contra reſtrictionem mentalem. Præclarè quidem, dummodo æquè ſtrenuè impugnentur

Digitized by Google

pura puta mendacia, perjuria & ſacrilegia. Quis verò Juriſtam impulit, ut primus primò inciperet ab hac materia Theologica? quis excitavit illum, ut poſteà primus ſcriberet de Indulgentiis, de Confraternitatibus, de peculiaritate & ſimonia, de pœnitentiæ Sacramento, & aliis, quæ ſuâ ſponte inſeruit etiam ſuis famoſis voluminibus, quibus conceſſit titulum *de jure Eccleſiaſtico univerſo*, de quibus videri poſſit Thomaſſinus? quomodo eſt immixtus, qui primus incepit; & quomodo immixtus eſt per alium, qui ſemper primus immiſcuit ſe ipſum?

13. Pater Deſirant in ſua uberiori reſponſione provocavit actorem, ut vel unum actum proferret ex quo poſſet conjici, quòd inter ſcribendum, per ſe ſuoſve ullum odii ſignum dediſſet. Cur in Concluſione finali tam ampla ad hoc non reſpondetur?

14. Plus dicam: Pater Deſirant in eadem reſponſione modeſtè inſinuavit articulo 101. quòd ſtatim poſtquam ſimul cum præfato Collega ſuo patre Petro Clenaerts reſponderat Doctori van Eſpen, qui primus de peculiaritate & ſimonia ſcripſerat, *pro parte Clariſſimi Domini ſcripta fuerit infamis Epiſtola minatoria adverſus Patrem Deſirant, & præfatum Collegam ejus.* Cur ad hoc non reſpondetur?.

15. Tam Lovanii, quàm Bruxellis conſtans fama eſt, Doctorem van Eſpen, dictæ Concluſionis finalis authorem eſſe. In hac Concluſione defendit ſe cum ſuis, in cunctis deſiderabilibus defenditne? Immo verò etiam magnificat, & vacat aſſiduis laudibus & encomiis, nunc articulo 2. cœtui ſuo tribuens nomen *innocentiſſimorum atque integerrimorum omnis conditionis virorum.* Nunc art. 50. debuccinans, quòd *publicè nota ſit eorum innocentia.* Et poſt ſimilia pluries in articulis ſubſequentibus repetita, articulo 772. gloriam concedens *eorum Chriſtianæ ſimplicitati.* Cur ad minatoriam illam Epiſtolam in favorem Doctoris van Eſpen tam amarè ſcriptam, & utrique deſtinatam non reſpondetur? nullam certè Chriſtiana ſimplicitas paſſa fuiſſet jacturam, ſi ſaltem reſpondiſſet, ſe illam, aut improbaſſe, aut non ratificaſſe.

16. Scripta fuerat ſub ficto nomine *Joſephi van Saudt.* Præfatus Doctor Clenaerts objecit, & impreſſit illam in opuſculo, *Suſanna innocens*, præfixitque hunc titulum. *Joſephus van Saudt clandeſtinus Clariſſimi Domini Zegeri Bernardi van Eſpen Coadjutor vel Patronus profligatus.* verba Epiſtolæ ſunt: *Eximii Patres, ſat Bello in Belgio datum crediderarnus, cùm ecce nova vos inter, & quemdam Clariſſimum Dominum* (van Eſpen) *exurgunt prælia, in quibus de ſimonia, & peculio tamquam pro aris & focis certare videbamini. Certè cauſæ veſtræ vos diffidere non obſcurè declaratis, dum in Bajum & Janſenium tela vibraſtis; jactantes, non ceſſaturos vos ab eorum invaſione, niſi Clariſ-

ſimus Dominus (van Eſpen) *ejuſque commilitantes pedem ex arena referant.* Et poſt minas, *ſubſcribitur unus pro pluribus Joſephus van Saudt.*

17. Pater Deſirant produxerat argumentum ad hominem, de veris odii ſignis, occaſione *libelli de peculiaritate & ſimonia*, per litteras , ficto nomine ſcriptas, demonſtratis. Cur ad hoc in Concluſione finali reſponſum non fuit? Judicet Lector Catholicus, ſi quæ odii ſigna emerſerint, ſi quæ amaris Thelogicis diſſidiis immixtio ſubſecuta fuerit, cuinam parti hoc tribuendum ſit?

18. Nec poſſit Doctor van Eſpen prætendere, hiſtoriam illam incendiariam Joſephi van Saudt, non fuiſſe ſatis publicam, ut ſugere potuiſſet notitiam ejus. Fuit etenim pluries requiſitus, ut vel Cauſam iſtius ficti Joſephi ſuſciperet, vel expreſſis terminis improbaret: ab ipſo verò nihil umquam obtineri potuit, niſi quod tandem pluribus poſt Doctoris Clenaerts mortem annis, in præfatis voluminibus impreſſum voluerit illud frigidum, parte 4. pag. 156. col. 2. in fine: *hoc unum dico, æquè mihi notum eſſe Joſephum van Saudt, quàm magnum Turcarum Vizirinum aut Baſſam Budanum.* Non fuerat autem ab illo quæſitum, an cognoſceret Joſephum van Saudt. Satis notum erat, non extare talem in rerum natura. Sed utrùm Doctor van Eſpen ratificaret, vel improbaret Epiſtolam illam incendiariam, quæ in ipſius gratiam, per virum ſatis doctum, prout ex ſtilo patebat, ſcripta fuerat ſub ficto nomine Joſephi van Saudt? Si notus aliquis vel ignotus, in meum favorem, quod abſit, amico tuo irrogaſſet injuriam, mortem minando vel inferendo, & rogarer à Te, num rem meo nomine factam approbare vel improbare vellem; dic ſodes, defungererne munere boni viri, obſtinatè hærendo in reſponſione ambigua, me non noviſſe hominem? minimè gentium. Reſponſum ſuſpectum diceres, conceptumque ex timore, ne luerem, ſi veritatem dicerem; vel ſi veritatem palam negarem, ne invaderer ab illo, cui me ſcirem dediſſe mandatum.

19. Quòd ſi lubeat percurrere cætera; nihil Doctor van Eſpen cum ſuis inveniet, ex quo minimam odii feſtucam poſſit in oculis Patris Deſirant oſtendere. Si verò menſura odii ex repetitis perſecutionum actibus petenda eſt, cur, in copioſa illa concluſione finali non reſpondetur ad ea, quæ Pater Deſirant in dicta ſua uberiori reſponſione objecerat articulo 70. & *ſeqq. Sed nempè nota ſunt adverſariorum artes, ficta crimina ſpargere in publicum, ut falſus rumor præcedat judicium & formam ejus. Nemo enim in hac Univerſitate neſcit, quòd adverſarii, qui nolunt vocari Janſeniſtæ, multas ſimiles machinas exercuerint ad ſupprimendum Rev*mum*: D. Steyaert, & Eximium Patrem Herney, & Patrem Deſirant. Potentiſſima fuit in dictum Eximium Patrem Herney, ad quem miſſa fuit ficta Epiſtola, ſeu anonyma, data & recepta die 23. Maii 1702. verba*

Digitized by Google

verba præfatæ Epiſtolæ hic ſub N°. 5. ſunt: Eximie Pater, *uſquequò* inveterate dierum malorum, *non deſinis ſubvertere vias Domini rectas? Uſquequò cum tuo* Deſirantio *& malorum omnium incentoribus Jeſuitis novum ſchiſma invehis in Eccleſiam Dei?* Et poſtea in eadem Epiſtola dicitur in verbis: vos nunc proditores eſtis & Apoſtatæ. *Quid enim aliud de te fama loquitur, quàm quod ſis Moliniſtarum Patronus, ſanæ doctrinæ deſertor, turbator Academiæ Lovanienſis, innocentium oppreſſor, Calumniatorum & mendaciorum faber, laxitatum fautor*, Ordinis tui dedecus, Eccleſiæ peſtis & ruina? .... *Rides fortè ad hæc*, & me Janſeniſtam clamitas, *hæc enim ſolutio omnibus quadrat argumentis ..... nonne hoc eſt tollere clavem ſcientiæ, tot præclaris viris, qui viam Dei in veritate docent, vagâ & ſubdolâ accuſatione viam ad Cathedras & dignitates intercludere?* In quibus ultimis verbis manifeſtè continetur ſolita iſtius præſertim temporis aſſertorum Janſeniſtarum querela, de accuſatione vaga & de excluſione à Cathedris & dignitatibus. Hanc verò Epiſtolam ita fuiſſe præfato eximio Patri miſſam & receptam, patet ex atteſtatione, quam ex mandato ſui Superioris dedit Portarius Monaſterii ibidem ad Calcem Epiſtolæ ſub N°. 5. Hoc ipſum idem Eximius Pater cum amariſſimis querelis declaravit in vita ſua, idque diverſis. Eandem Epiſtolam originalem idem in lecto mortis cuſtodiendam dedit Patri Deſirant, monens quòd cum tempore uſu veniret. Hæc ex uberiori reſponſione, ad quæ in Concluſione finali nihil reponere auſi fuerunt, ad cetera tam facundi.

20. Nihil pariter reſponderunt ad illa, quæ in hanc rem paulò fuſiùs à Patre Deſirant explicata fuerunt, quòd cuncta adverſariorum ſtudia, jam inde à pluribus annis, conſertis conatibus directa fuerint, ut tres Doctores Martinum Steyaert, Martinum Harney, & Bernardum Deſirant litibus & fictionibus obruerent. Doctorem Steyaert invaſum fuiſſe ſæpiſſimè, & per Lovanienſem Fiſcum, quem ſibi habebant obnoxium, pluries feciſſe citari perſonaliter. Sciebant etenim, quod privatos affectus non poſſent utiliùs exequi, quàm expenſis publicis. Hoc enim pacto ſcena gerebatur Fiſci nomine, ipſique poſt tabulam hærentes ſubminiſtrabant materias, tuti ab expenſis & pœna talionis.

21. An poſt tot & tanta odii ſigna, non à Patre Deſirant, ſed contra Patrem Deſirant ab Adverſariis evibrata, ſubſidente ſpe victoriæ, ad novas artes & lites recurrendum eſſe judicaverint, potuiſſemus à ſolis effectibus colligere, niſi Epiſtolæ Henrici Graſper incidiſſent in manus, illarumque aliqua ſub die 7. Februarii ejuſdem anni 1707. antequam hæc lis inſtituta fuit, in terminis edixiſſet: *maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecannonneert worden*, id eſt, *ſed præcipuè in Monachum Auguſtinianum tormentis bellicis explodendum eſt.*

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

Confutatio ſecundi gravaminis: *quòd notum ſit odium quo dictus Reus fertur in præcipuos Patres Ordinis ſui hujus Provinciæ, qui ſe opponunt vitæ ejus licentiori, uti contrariæ profeſſioni ſuæ, & voto paupertatis.*

1. HIc quoque articulus erat compoſitus ex pluribus partibus, & ad illum Pater Deſirant reſpondit: *de odio negat, juſtam defenſionem fatetur.* Nihil ſibi per hanc reſponſionem potuit nocuiſſe, prout neque per ea, quæ ſuperaddidit in ſua uberiori reſponſione.

2. In hac enim breviter & modeſtè retulit, quòd infandum Actor juberet renovare dolorem: 1ò. De famoſa deſtructione hortuli, cum prævio Superiorum conſenſu in ſcriptis dato, extructi: 2ò. De prætensè intercepto cubiculo: 3ò. De veſtimento Donati, Patri Deſirant ſervientis: 4ò. De ſuſpenſione usûs Eſſedi, Patri Deſirant juxtà Medicorum, aliorumque judicium neceſſarii, licèt cum quatuor rotis, & licèt Prædeceſſor ejus, Eximius P. Farvacques, ob alias cauſas uſus fuiſſet Eſſedo cum duabus: 5ò. De dimiſſione R. P. Franciſci d'Herbe, qui Patri Deſirant per R. totius Ordinis Generalis Decretum datus fuerat Amanuenſis, & cujus amotio, triſtis occaſio extitit, quòd Petrus Nicolaus Tourteau poſt ſuum parentem, venerit ad ſcribenda quædam pro Patre Deſirant.

3. De his ſolis quinque articulis quidam Provinciæ Patres, de quibus quæſtio, in Capitulo Mechlinienſi in menſe Septembris 1706. tulerant quinque Reſolutiones contra abſentem, exemptum, non citatum, inauditum, atque indefenſum.

4. Iidem Patres tribus annis anteà, id eſt, anno 1703. Patrem Deſirant invitum & reluctantem fecerant venire ad Capitulum Thenenſe, (jure enim ſuo accedere poterat, ſed non debebat) atque illic electus fuerat in primum Provinciæ Definitorem, omnium ſuffragiis, nemine excepto. Quis piè credat, quòd inter plures quàm quadraginta ſuffragantes, nè vel unus extitiſſet, qui ſecretum & ignotum ſuffragium denegaſſet, ſi minima de licentiori vita, aut alio contra Religioſam Profeſſionem vitio, macula fuiſſet notata in Viro, cujus vitæ ratio erat maximè in propatulo?

5. Contra prædicta quinque gravamina P. Deſirant inſtituit Regularem recurſum ad Revmum. totius Ordinis Generalem; & niſi præſens lis conjunctis Adverſariorum viribus excitata fuiſſet, potuerat ſperare felicem eventum.

Digitized by Google

6. Si ex his aliquod debeat odium colligi, per me licet; dummodò ritè colligatur, ex quanam parte illud odium ſe tenere poſſit. Et quamquam ex variis circumſtantiis præſumi poſſit, undènam, & à quibus D. Henrico Malcorps hujus ſecundi articuli materia ſuggeſta fuerit, præſertim attento, quòd in examine ſeu potiùs vexamine die 30. Aprilis 1707. præ reliquis valdè liberaliter nominatus fuerit R. P. *Antonius de Fracy*, illiuſque nomen pluries ſcriptum in actis, & poſt illius diei examen prædictum, quòd exſpectarentur reliqui Patres iſtius Definitorii, qui reverà advenerunt die 2. Maii, quorum aliquos ad dictum D. Malcorps, aliquos ad Collegium Porcenſe, aliquos aliò divertiſſe compertum eſt: attamen non intendit P. Deſirant adversùs tales Confratres ſuos, producere Ordinis ſecreta, ſed quæ publica ſunt, tantùm coactus referre.

7. Quale eſt illud ad rem præſentem pertinens, quod fecerant anteà die 27. menſis Auguſti 1706., quando Rdi. Patres Emmanuel Ballexo, & dictus Antonius de Fraey, cum duobus aliis ſignaverunt actam quamdam, quâ declarabant ſibi ex certa ſcientia conſtare, quòd D. Leonardus Gautius reſumpſiſſet ſuam litem contra Eximium P. Deſirant pro ſtipendio Lectionis Hiſtoricæ, & ſub prætextu, nè Conventus Lovanienſis periclitaretur de expenſis, revocabant dicto Eximio Patri facultatem litigandi, ac ſe in jure defendendi, illamque actam ei fecerunt inſinuari publicè per laïcum Notarium Eeremans, prout conſtat ex Originali. Et quidem hanc litis reſumptionem factam fuiſſe, tunc nondum ſciverat Pater Deſirant.

8. Ex quo colligitur, extitiſſe aliquem, qui Patrem Deſirant ex Lectione ſua cupiebat deturbatum, & in hunc finem notos ſibi Provinciæ Patres acceſſiſſe, litis reſumptionem indicaſſe, & revocationem facultatis ad litigandum, & ſe in jure defendendum facilè impetraſſe in menſe Auguſto, quando jam determinati erant, præfatas quinque reſolutiones contra eundem Patrem Deſirant, pariter indefenſum, edere, prout cum effectu ediderunt in ſubſequenti menſe Septembris. Omnia conſonant, cauſæ, fines, perſonæ, tempus; omnia cohærent. Tot ſcilicet, tantaſque diſſenſiones, in varia Belgii Monaſteria per Janſeniſtas irrepſiſſe, dolet, & nondum finem videt Eccleſia.

9. Adverſarii ad nullum ex his articulis, in uberiori reſponſione contentis, reſponderunt, prout Concluſionem finalem legenti, patet. Neceſſitate defenſionis memorabimur infandam Epiſtolam Gandavi die 26. Auguſti 1707. ſcriptam: in qua conſtat quòd Scriptor non tantùm de cauſa, ſed etiam de toto ſtatu ejus, eſſet informatus. Sciebat enim, quòd res vergeret in finem. Exſpectabat & deſiderabat pœnas infligendas à

Digitized by Google

Judicibus, coram quibus tractabatur. Sciebat deſiderari teſtimonium Patris Leopoldi à Sta. Thereſia, & non conſiderans Leges atque Canones, quæ ſeveriſſimè prohibent, nè impediatur productio teſtium, omnia impendebat, ut Superior aliquis hunc teſtem detineret Brugis; & Altiores Poteſtates, quæ de ſolo jure poterant fuiſſe ſollicitæ, redarguebat, propter *neſcio quod intereſſe.* Verumtamen, *hæc inter nos*, inquiebat; & in fine, *Deus erit merces veſtra.* Profectò, ſi ad ſupradictos articulos ex uberiori reſponſione relatos, curaſſet providè reſponderi, confidendum, quòd fuiſſet Deus merces ipſius.

10. Fuit tamen, quem ex cauſis non nomino, qui Patri Deſirant locutus ad aures dixit: *Veſtri magis nocent, quàm alii, hæc inter nos.* Non potuit autem illud P. Deſirant intelligere, nec etiamnum poteſt, cùm nihil ipſi communicatum fuerit.

11. Unicum in Concluſione finali tamquàm ex fama objieitur, quaſi P. Deſirant aliquos accuſaſſet de proditione & correſpondentia cum inimicis. Ad hoc autem reſponſum eſt ſæpiùs, quod tantùm abſit, ut quemquam ſic accuſaverit, quin ècontrà rogatus, tum verbo, tum ſcripto depoſuerit, ſe neminem noviſſe, qui talium capax foret.

12. Immoverò, inquiunt, ſi nullum erat odium, quarè P. Deſirant Confratres in Epiſtola de 10. Januarii 1707. nominatos, ſecretò non monuit, quarè non interrogavit, quarè, id quod fraterna Charitas, imò quod Juſtitia requirebat, erga illos non exercuit?

13. Vides, Lector, quòd crebrum illud *quarè*, exigat *Catholicum quia*, dummodò, quæ mens noſtra eſt, non præſtemus illud cum livore vindictæ, *non reddentes malum pro malo.*, ſed obſervantes moderamen inculpatæ tutelæ. Heu tamen triſtem & acerbam ſortem, illos debere coram publico in arenam deſcendere, qui quondam cum tanta alacritate ſimul cantabant, *quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum*! Ferè ſicut Philippo ultimo Macedonum Regi accidit, apud quem filius ſuus Perſeus perduellionis accuſaverat fratrem ſuum Demetrium. Flebat mœſtiſſimus Pater, ſedens Judex duorum liberorum; certum enim familiæ ſuæ dedecus inventurus erat, inquit Livius, ſivè ſecundus crimen verè commiſiſſet, ſivè primus falsò accuſaſſet.

14. Ut ergo etiam conſtet, quòd P. Deſirant nihil diligentiæ omiſerit, ad examinandum, utrùm credibile foret, Confratrum ſuorum quinque nomina, fuiſſe inſerta ex probabili ſpe, quam potuiſſent Janſeniſtæ formaſſe, quòd ſignaturi eſſent (non enim dicebatur, quòd ſignaverant, ſed tantummodò in futuro dicebatur, *ſignabunt*) inivit cum amicis conſilium à die 11. Januarii, uſque ad 23. ejuſdem menſis 1707.

Digitized by Google

15. Circà unum occurrebat, quòd anno proximè præcedenti in lucem prodierat Libellus anonymus ſub titulo: *Commonitorium ad Orthodoxos fidei*, in quo ſatis apertè tradebatur Quarta Janſeniana, & alia continebantur, quæ non ſatis videbantur à Janſeniſmo recedere; & fama erat, quòd ille foret iſtius Libelli Author. Scripſerat ei P. Deſirant binas Litteras, eaſque humaniſſimas, eum de hac fama monens, rogansſque, ut ſe declarare dignaretur, ut poſſent amicabiliter inter ſe convenire. Licèt autem nuntius retuliſſet litteras certò deſtinatas fuiſſe, attamen P. Deſirant nihil meruit reſponſi accipere. Judicet æquus lector, an illis attentis, conſultum fuiſſet, ut P. Desirant ei ſcripſiſſet, nomen ſuum ita repertum in famoſa epiſtola de 10. Januarii, & quale reſponſum expectare potuiſſet.

16. Nihil minus à Patre Ballexo exſpectandum erat, ſed neque opus erat. Nimis nota erant, quæ interceſſerant inter ipſum, & præcipuum Belgii Antiſtitem, qui Janſeniſmum averſatur; adhærentia ipſius cum parte adverſa, & averſio à Doctore Steyaert cum ſuis, ex quo ei res in examine pro gradu Licentiæ anno 1698. minùs feliciter ſucceſſerat, erant manifeſta.

17. Minus quoque opus erat interrogare R. Patrem Antonium Defraye; nota enim erat continua & publica ejus cum Adverſariis converſatio, præſertim poſtquam ab Archi-Epiſcopo Mechlinienſi per Decretum ſuſpenſus fuerat à prædicando Verbo Dei, & excipiendis confeſſionibus Fidelium. Et quidem Pater Deſirant ſub ſpe emendationis, apud Illuſtriſſimum Dominum pro ſuo quondam Diſcipulo interceſſerat, & impetraverat reſtitutionem: ſed ſerò doluit errorem ſuum.

18. Non poterat primâ fronte in mentem incidere, quòd quartus futurus eſſet de numero. A duobus autem annis circiter obſervata fuerat extraordinaria quædam ejus colligatio cum tribus præcedentibus, & referebatur, quòd aliquoties viſus fuiſſet in ædibus Doctoris van Eſpen. P. Deſirant cautè interrogavit duos ſocios, quos conſtabat ſæpiſſimè cum illo exire, & ex utroque intellexit id verum eſſe. Ut tamen hujus Patris conſulatur honori, addam nunc, quòd non niſì diu poſtea innotuerit, ipſum has ædes frequentaſſe, præcipuè propter D. Rogmans illìc habitantem.

19. Difficillima fuit cogitatio de quinto, utpotè Viro docto & facundiſſimo, qui uſque ad annum 1700. palam contra Janſeniſtas dixerat in concionibus. Doctiſſimus verò Paſtor aliquis objecit, quòd anno 1701. in lucem prodierit opuſculum poſthumum ſub nomine eruditiſſ. Patris Leonardi van Roi, in quo tradebatur inter alia, quòd ad libertatem requiſitam ad merendum & demerendum, non requireretur libertas contra-

Digitized by Google

dictionis. Item, quòd in jure naturæ detur ignorantia invincibilis, ipſa tamen non excuſet à novo formali peccato, & alia, puta de famoſo commate in Bulla Pii V. contra propoſitiones Bayanas, & ejuſmodi. Dolendum, hæc impreſſa poſt mortem Viri, qui ſi ſupervexiſſet, forſan contradixiſſet; factam verò fuiſſe reimpreſſionem, in cujus præfatione continebatur, quód Vir doctus non modò in illam conſenſiſſet, verùm etiam ad faciendam eam ſtimulos dediſſet; ideoque Janſeniſtas fortè aliquam de eo ſpem concepiſſe, licèt vanam. Tunc uſque ad 23. Januarii occurrebant, quando per evulgationem præfatæ famoſæ Epiſtolæ de 10. Januarii, factam per Licentiatum Opſtraet, omnis ulterioris diligentiæ ratiò ceſſavit.

20. Non igitur ex odio, ſed ex cauſis longè aliis accidit, ut P. Deſirant nullum ex dictis Confratribus ſuis deſuper conveniendum eſſe putaverit, prælertim cùm accederet diffidentia juſtiſſima, ab omni odio aliena.

21. De ficta licentiori vita nihil actum fuit; nec notæ illius ſobrietati, atque temperantiæ (. neceſſitas ſtultitiam, ſeu jactantiam requirit) quidquam poſſet objici, niſi forſan à tergo ab ignorantibus, qui inconditè vellent omnes æqualiter in inæquali gradu excipi, contra apertam S. Patris Auguſtini Regulam, ubi dicitur: *diſtribuatur unicuique veſtrum à præpoſito veſtro victus & tegumentum*, non æqualiter omnibus, *quia non æqualiter valetis omnes: ſed potiùs unicuique, ſicut cuique opus fuerit.* Ex cujus articuli contemplatione ipſum definitorium Thenenſe per decretum conſtituerat, ut ei in dies per Lovanienſem Conventum provideretur de pitantia particulari, quod tamen non fecerunt, licèt ſatis exacti fuerint, ut ab ipſo extorquerent annuè trecentos florenos, tametſi nihil in certis reciperet, niſi quadringentos, quandoquidem ratione Bellorum, nihil à ſtricta Facultate, & ex ærario Regio parum percipere potuerit. Si qui ergo lividi adhuc obſtrepent, quòd Doctor poſt tot labores, tam publicos quàm privatos, per Breve Apoſtolicum totâ Provinciâ publicatum & regeſtum, exemptus, ante ætatem decrepitus, & ferè ſemper valetudinarius, toto tamen die ſtudiis intentus, aliquid plus cæteris habeat, cogitare debent, quàm probroſum extiterit fratribus Joſeph, quòd inviderent ei veſtem polymitam; *nec poterant ei quidquam pacificè loqui:* Et pro complemento rurſus S. Auguſtini Regulam conſulant; *nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius non quia honorantur, ſed quia tolerantur accipere, ne contingat deteſtanda perverſitas, ut in Monaſterio, ubi quantum poſſunt fiunt divites laborioſi, fiant pauperes delicati.*

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

Confutatio tertii gravaminis : *quòd Petrum Nicolaum Tourteau impenderit ad fabricandam Epiſtolam de* 10. *Februarii* 1707. *ad D. vanden Neſſe Paſtorem S. Catharinæ Bruxellis eò tendentem, ut dictus D. van Eſpen & præfati Patres ejuſdem Ordinis unà cum pluribus ex primariis hujus Academiæ, aliiſq; de Clero viris, tamquam nequiſſimæ conſpirationis in Religionem & Statum Rei traducerentur.*

1. HAbet hic articulus plures partes : quia verò nulla continet ullam veroſimilitudinem, P. Deſirant ſimpliciter reſpondit per verbum *negat* : promindeque nihil ſibi hac reſponſione nocuit. In uberiori verò Reſponſione paucis addidit, quòd de fabricatione ſeu fictione Epiſtolæ de 10. Januarii 1707. nihil ſciverit, & quòd prætenſæ fictioni, nec directè nec indirectè allaboraverit, aut illius notitiam habuerit. Nunc ſupereſt, ut pleniùs reſpondeatur iis, quæ Adverſarii art 15. Concluſionis ſuæ finalis objiciunt de præfato Petro tamquam criminum inſtrumento. Et quidem quòd fuerit tale inſtrumentum, eſt extra controverſiam, quale autem fuerit, & quorum criminum, deducemus in ſequentibus, quæ claritatis gratiâ in diſtinctos paragraphos digeſſimus.

§. I.

De anterioribus Petri Nicolai Tourteau *falſitatibus, & de perſonis, quibus illæ ab initio fuerant cognitæ.*

2. EX variis Petri Condiſcipulis, nec non ex Profeſſore ejus Domino Ladderiere conſtare dicitur, quòd Petrus humanioribus litteris operam dans in novo Collegio Lovanii, ſæpiùs notatus fuerit de fictis ſcriptionibus nomine aliorum, partim ex petulantia, partim ad vexandum unum & alium fabricatis.

3. Secundò, paulò poſtquam Petrus die 5. Martii 1707. depoſuerat atque juraverat contra Doctorem van Eſpen, fuit in judicio probatum, per dictum Doctorem, alioſque, quòd idem Petrus circa menſem Septembris 1704. fabricaverit Epiſtolam ſub ficto nomine ejuſdem Doctoris van Eſpen ad Abbatem Vlierbacenſem, ad extorquendum nummum aureum, vulgò *piſtollam* dictum; remque fuiſſe detectam, ideoque caruiſſe ſucceſſu.

Digitized by Google

Cui addendum, quòd dictus Doctor tunc deſuper admonuerit parentem ejus Nicolaum Tourteau. Hoc factum P. Deſirant objecit in ſua uberiori reſponſione articulo 5. & Petrus illud in ſua deductione loco motivi, non fuit auſus negare, prout legenti patet.

4. Tertiò, P. Deſirant in ſua uberiori reſponſione objecit art. 9. aliam Epiſtolam per eundem Petrum ad eundem Abbatem deſtinatam, quaſi veniſſet per Curſorem Regium, ut hâc fictione extorqueret aliquot ſolidos pro portorio.

5. Quartò, fuerunt etiam ibidem art. 10. objectæ Epiſtolæ plurimæ per eundem Petrum fictæ, ſcommatibus plenæ, cum ementitis ſyngraphis adversùs Presbyterum & Sacellanum Andream de Kinderen, qui deſuper interrogatus in judicio ad art. 4. ſcedæ contrariorum factorum, juratus depoſuit, *varias Epiſtolas ſcriptas eſſe ad amitam Iſabellæ vande Place ab aliquot annis, quæ amita tunc & modò eſt Ancilla D. Deponentis; quòdque ex dictis Epiſtolis aliquas viderit ſcriptas & ſignatas quaſi à quodam Eſſinck, quas Epiſtolas ſcripſit Petrus Nicolaus Tourteau.* Et ad articulum 5. depoſuit, *quòd inter illas litteras una eſſet ad ipſum D. Capellanum de Kinderen ſcommatibus & ſcurrilitatibus plena*, cujus coperculum fuit reproductum in hoc judicio, juxtà art. 6. Idemque D. Andreas de Kinderen ad art. 8. & 9. depoſuit, *quòd Epiſtolam Nicolao Tourteau ſeniori prælegerit, & oſtenderit in ædibus Deponentis, præſente Ancillâ, quòdque dictus Tourteau ſenior agnoſcens characterem filii ſui, promiſerit ſe eum deſuper correpturum.*

6. Quintò, P. Deſirant in uberiori reſponſione art. 12. objecit, *quòd idem Petrus abuſus fuerit ſignaturâ proprii Parentis, à quo ſub alio prætextu obtinuerat chartam blancam, ut vocant, à præfato ſuo Parente ſignatam, & poſteà ſupplevit verba exprimentia conſenſum paternum, ad contrahendum matrimonium, & hoc modo in Aula Archiepiſcopali impetravit diſpenſationem ſuper Bannis, prout etiam patet ex documentis per eundem Clariſſimum D. van Eſpen in informationibus hujus cauſæ productis.*

7. Hæc omnia acciderunt, antequam P. Deſirant Petrum vidiſſet, vel ei locutus fuiſſet. Neque P. Deſirant quidquam de illis audiverat. Noverat autem illa præfatus D. Profeſſor Ladderiére, Nicolaus Tourteau ſenior, & Doctor van Eſpen, illique, quibus *placuit revelare, ita ut hæc Petri, ad falſandum libido, facilè potuerit innoteſcere alicui, qui voluiſſet dicto inſtrumento abuti ad decipiendum P. Deſirant*, prout dictum fuit in uberiori reſponſione art 19. & 10.

8. Et art. 16. & 17. Cùm P. Deſirant iſta ignoraverit, nec Petrum viderit, niſi circà medium Octobris 1706., illud tempus uſque ad 10. Januarii 1707. *fuiſſe nimis anguſtum, quàm ut cenſendus ſit tantam cum tali*

ignoto

Digitized by Google

ignoto contraxiſſe familiaritatem, ut ei tanti ſceleris fabricationem confidere auderet.

9. Petrus in ſua deductione nullam ex objectis quinque iſtis falſitatibus auſus fuit negare; & Author Concluſionis finalis, quantumvis ea excuſare nitatur articulis 147. 148. & 149., non tamen auſus eſt aliud dicere, quàm, *ſi vera ſint, ſemper apparet, quo fine, vel quâ ſpe illa fecerit, ſcilicet ad emungendas aliquas pecunias in facto litterarum ad Abbatem Vlierbacenſem, ad obtinendam puellam in matrimonium, in facto de quo D. de Kinderen in ſua acta exhibita, & depoſitione de data 21. Julii. Et in cauſa atteſtationis conſenſus matrimonii, de quo in art. 12. patet ratio, videlicet, ad obtinendam diſpenſationem ſuper Bannis.* Hæc Rigoriſtæ. Sic crimina, dum cauſa exigit, extenuant.

§. II.

De ulterioribus Petri *falſitatibus, & de illis qui eas cognoverant.*

10. POtuiſſent recenſeri Petri falſitates plurimæ; attamen P. Deſirant tantummodò recenſuit ſex alias, quarum nullam vel Petrus, vel Adverſarii negare auſi fuerunt, partim quia pleræque fuerant ipſis cognitæ ex relatione, partim quia aliquas experti fuerant reſpectivè.

11. Sextam itaque falſitatem exercuit erga D. Rectorem Leunckens, ex cujus mandato varia pro Univerſitate ſcripſerat in illius ædibus. Exhibuerat ſpecificationem ſummæ notabilis, & in margine poſuerat ſuo charactere, *fiat ſolutio*, & dictus D. Rector ſignaverat. Cùm verò D. Licentiatus Guion, qui erat Univerſitatis Receptor, ſolutionem recuſaret tamquàm indebitam; Petrus ſuâ authoritate addidit & ſcripſit, *per Bedellum*, ut ſenſus foret, *per Bedellum fiat ſolutio*, & hoc modo ſolutionem à Bedello accepit.

12. Septimam fecit Bruxellis in principio Februarii 1707. per ſcedulam, in qua erat ſubſcriptum nomen *Chriſtiane*, à Nuntio Joanne Baptiſta Raddelet extorquens quatuor imperiales, tamquàm Lovanii reſtituendos per dictum D. Rectorem Leunckens, de quo dictus Nuntius juratò depoſuit ad varios articulos ſchedæ contrariorum factorum, & ſignanter ad art. 101. in verbis, *quòd cùm Conſultiſſimus D. Leunckens ad quem dicta ſcedula dirigebatur, deſuper recuſabat ſolvere dictos imperiales, remittendo Deponentem ad Tourteau, qui eoſdem receperat, hinc Deponens reſtitutionem dictorum imperialium petiit à dicto Tourteau, quos etiam Deponenti reſtituit, recuperando dictam ſcedulam.*

13. Pro octava poſſit recenſeri ſurreptio duorum librorum impreſſorum contra Seminaria, quam fecit è cubiculo præfati D. Leunckens, qui ex

Digitized by Google

Univerſitatis Ordinatione, exemplaria ſecretò ſervabat: fueruntque iſta exemplaria inſerta faſciculo ſub data 13. Januarii 1707., quem Petrus ad P. Deſirant tulit die 27. ejuſdem menſis, & per hæc fidem ſuam auxit apud dictum Patrem, qui non potuerat ſuſpicari, Petrum per ſe potuiſſe duo illa exemplaria conſequi, ubi ipſe P. Deſirant fruſtrà ſtuduerat obtinere unicum. Hæc omnia P. Deſirant ignoravit; ſciverunt Adverſarii.

14. Nona eſt notabilis, quòd ad intercipiendum primum faſciculum Litterarum Henrici Graſper, die 16. Februarii 1707. confixerit ſcedulam, vulgò dictam *recepiſſe*, adulterando manum Patris Deſirant, prout ipſe Petrus faſſus eſt in ſuæ Deductionis articulo 18. *Et tulit ad prædictum Eximium Patrem Deſirant, confecto priùs recepiſſe, nomine prædicti Eximii Patris.* Numquam fuit auſus dicere, P. Deſirant quidquam de illa ſcedula ſciviſſe. Econtrà P. Deſirant in ſua uberiori reſponſione art. 263. dixit: *quòd hæc ſcedula nullo modo ſcripta ſit manu Patris Deſirant, coram Magnificentia veſtra in judicio evictum eſt, faceturque etiam ipſe Advocatus Fiſcalis.* Eſtque hoc veriſſimum atque certiſſimum, nec Adverſarii auſi fuerunt hoc in Concluſione ſua finali negare. Obiter notandum, quòd licèt in actis ſæpiſſimè facta fuerit mentio hujus ſcedulæ, attamen Adverſarii non videantur inſtitiſſe, ut in Sententia contra P. Deſirant lata, ulla mentio fieret hujus ſcedulæ. Fuiſſet enimverò perquàm difficile dare illi expreſſioni ſenſum plauſibilem. Nam in parte narrativa debuiſſet dici: *Et viſâ ſcedulâ de die 16. Februarii per Petrum ſcriptâ, cum adulterata manu Patris Bernardi Deſirant.* In parte verò diſpoſitiva, juſſa fuiſſet *comburi dicta ſcedula per Petrum ſubſcripta adulterinâ manu Patris Deſirant.* Et ſtatim poſteà fuiſſet conſequenter ſubjungendum, *quòd Pater Deſirant haberetur ſuſpectus, quòd concurriſſet ad fictionem ſcedulæ ſubſcriptæ adulterinâ manu Patris Deſirant.* Hæc cacophonia meritò fuit omiſſa. Cogita Lector, quid velim.

15. Decimam falſitatem ſibi ipſi adſcribit Petrus in ſua Deductione, art. 21. & 22. ſe Confeſſario ſuo R. P. Grauwels Minoritæ impoſuiſſe, id eſt, ſacrilegè confeſſum fuiſſe.

16. Undecimam articulo 25., quòd in judicio *commiſerit perjurium*: ſivè enim perjuraverit, ſivè falsò dixerit ſe perjuraſſe, utrobique ſe falſarium confeſſus fuit.

Digitized by Google

§. III.

De diffamationibus, minis, promiſſionibus, beneficiis, excuſationibus, necnon pœnitentiæ & innocentiæ laudibus, Petro Nicolao Tourteau, *non per Patrem Deſirant, ſed per Adverſarios in eadem cauſa impenſis.*

17. LUcius Annæus Seneca volens ſtylo tragico efferre Phædræ facinus, quæ pœnitens falſæ accuſationis, quam contra caſtum Hippolitum fecerat, ſibi manus intulerat, ponit in ore Theſei exclamationem, *Audite Athenæ!* Præſens paragraphus ſimilem exclamationem requirit, *Audite Athenæ Belgicæ!* audite, legite, & videte, an in ulla Arrianorum vel aliorum Sectariorum Hiſtoria inveneritis, quòd Viri, qui ſeſe ipſos paſſim jubebant appellari *integerrimos atque innocentiſſimos*, & eodem tractu gloriabantur *de ſimplicitate Chriſtiana*, in eadem cauſa hominem aliquem in judicio diffamaverint tamquàm falſarium, ſacrilegum, & perjurum, & paulò poſt aggreſſi fuerint minis graviſſimis, dein aliquibus horis poſteà demulſerint promiſſionibus, ac ſtatim pinguem alimentationem præſtiterint, necnon coram eodem judicio in omnibus excuſaverint, publicas inſuper pœnitentiæ & innocentiæ laudes conceſſerint, & denique cùm non poſſent impedire talem qualem Sententiam contra ipſum latam, equidem ſubduxerint executioni.

18. Pater Deſirant ſtatim ut de aliqua Petri falſitate informatus fuerat circa 24. Martii 1707., etiam antequàm intellexiſſet, quòd, mutatis velis, accuſaret innocentem, fuit ita à Petro alienatus, ut turpe duxerit habere cum illo commercium. Objecit hoc ſæpiùs Adverſariis, qui nec auſi fuerunt id negare.

19. Statim verò ùt Adverſarii perceperunt, quòd Petrus die 5. Martii 1707. in judicio depoſuiſſet atque juraſſet contra Doctorem van Eſpen, ignes atque flammas evomuerunt, & magno boatu produxerunt, quæ anteà paraverant documenta ad probandas pleraſque Petri falſitates, ſuprà paragrapho primo relatas, prout patet ex Actis; ſuſtinuerunt eum ſacrilegum eſſe, & perjurum; effecerunt ut Doctori van Eſpen deferretur juramentum: hic juravit contra Petrum, in favorem proprium, & habitus fuit abſolutus atque perpurgatus, prout patet ex actis, & fatentur in ſua Concluſione finali. Hoc leviſſimo pacto Doctor fuit habitus purgatiſſimus, & Petrus Tourteau totus diffamatus.

20. Poſt diffamationem aggreſſi ſunt Petrum minis. Nam die 19. Junii 1707. Petrum apud Carmelitas Calceatos profugum acceſſerunt Do-

mini du Vivien & Verniel, Doctori van Eſpen adſtrictiſſimi, quorum nomina ſcripta ſunt in famoſo Libro Reſolutionum. Teſtatus id eſt ſenior Tourteau in acta ſua de 22. Martii 1707., cujus originale conſignatum fuit in judicio ſub die 15. Novembris ejuſdem anni, ubi dicit, quòd cùm ex uxore ſua intellexiſſet, quòd vidiſſet *mirantes ſupradictum Carmelitarum Conventum Dominos du Vivien & Verniel*, ipſe ſenior Tourteau illâ die acceſſerit poſt meridiem prædictum filium ſuum, & interrogaverit, *quid iſti Domini apud ipſum feciſſent? qui reſpondit, quòd petiiſſent an ille perſiſteret, & quòd reſponderit: ego dixi veritatem.* Conſonat acta dicti Petri Tourteau de eadem 22. Martii, cujus originale pariter conſignatum fuit in judicio ſub eadem die 15. Novembris. Verba ſunt: *Infraſcriptus teſtor, quòd D. Canonicus Vivien, & D. Verniel mihi dixerint die 19. hujus, quòd ſi non darem actam revocatoriam, quòd meipſum projicerem in magnam miſeriam & calamitates. Et quòd reſponderim, me deſuper deliberaturum ſeriò; & perſiſto firmiter, eſſe Dominum van Eſpen, qui eſt reus. Actum Lovanii hâc* 22. *Martii* 1707. Signatum erat *P. N. Tourteau.* Ecce graviſſimas minas intentatas ad extorquendam actam revocatoriam. Nuſquam Petrus revocavit hanc actam ſuam, nec Adverſarii in ſua Concluſione finali eam inficiari auſi ſunt; ſed ut fucum facerent Lectori, negaverunt quòd hi duo Petrum excitaverint ad perjurandum. Verba ſunt articulo 153. *Duo illi dictum Tourteau numquam induxiſſent ad pejerandum contra D. van Eſpen illis amiciſſimum, ſed potiùs contra P. Deſirant, ſi hunc per dictum Petrum perdere voluiſſent.* Atqui hoc eſt, quod ſuſtinemus. Nuſquam enim dixit P. Deſirant, quòd hi duo Petrum induxerint ad jurandum contra Doctorem van Eſpen, ſed quòd Petrum minis aggreſſi fuerint, ut daret actam revocatoriam in favorem *iſtius ſibi amiciſſimi.* Articulo verò 150. illos laudant his verbis, *quos probitas etiam publicè nota à temerariis illis ſuſpicionibus ſufficienter purgat.* Et interim illi Viri probi non audent negare, quòd Petrum minis aggreſſi fuerint. Et art. 152. *Deinde dicti Presbyteri producti in ſua recollectione* 18. *Junii* 1707. *& ſuper ea re interrogati, ambo ſe ſuper ipſa expurgarunt.* O bella purgatio! O juramenta facillima! Convicti erant, quòd intentaverant minas; interrogati jurant ſe non induxiſſe ad jurandum; ergo ſunt purgati. O ſimplicitas Chriſtiana!

21. Adverſarii art. 144. agnoſcunt Petrum fuiſſe venalem, & pretio atque promiſſionibus potuiſſe induci ad ſcelera. Nemo meliùs id poteſt ſcire, quàm ipſi; mirum, quòd illud ibidem tam ingenuè confiteantur in verbis: *Itaque reſtat, ut illud fecerit Petrus Tourteau, inductus pretio & lucri cupiditate, uti reverà inductus fuit; ſed inductio illa fieri non potuit, niſi ex parte Rei, (cui ſoli inde erat tota acquiſitio) idque vel pretio, vel promiſſis.*

22. Eſt autem deridiculum, quòd aliqua ex fictione potuiſſet Patri Deſi-

rant acquiſitio naſci, vel ſperari, ſi fictionem ſciviſſet: tunc enim non potuiſſet ignorare, rem talem nullum poſſe effectum conſequi, niſi probaretur; atque ſi ficta fuiſſet, in æternum probari non poſſe.

23. Econtrà ſivè res, inſcio P. Deſirant, per Petrum ficta fuiſſet, ſivè Petrus primò minis, & poſteà promiſſis induci potuiſſet, ut Doctorem van Eſpen excuſando, rem, quæ facta fuerat, fictam diceret, & Patrem Deſirant accuſaret, ſemper Adverſarii ſperare poterant diù concupitum effectum, ut nimirum P. Deſirant ſuis Cathedris exuerent, & perderent, prout tandem fecerunt in illis circumſtantiis, in quibus tam certi erant, quòd ſimilia deberent ipſis ſuccedere ad votum, quàm erat indubitatum, quòd P. Deſirant nihil prorsùs potuiſſet tunc adversùs illos exequi.

24. Minas probavimus, ſupereſt, ut proferamus promiſſiones & effectus. Promiſerunt ipſum pinguiter alere apud Oratorios, dummodo peteret illuc transferri. Petitionem hanc pro illo fecit Pater ejus, & ipſe ratificavit. Verba ſunt: *Supplicans, viſâ ſuperiori Apoſtillâ, ſupplicat pro loco aſyli apud Reverendos Patres de Oratorio in hac Univerſitate, hâc 27. Martii*: & erat ſignatum *N Tourteau loco filii ſui* 1707.: & infrà habebatur manu filii *P. N. Tourteau.* Priuſquàm verò tranſlatio fieret, D. Henricus Malcorps, cum Superiore Oratorii ſtipulatus fuit de conditionibus & pretio, nomine Univerſitatis perſolvendo. Probatur id ex art. 313. ſcedulæ contrariorum factorum, ad quem P. de Swert præfatorum Oratoriorum Superior juratò depoſuit: *D. Fiſcalem Henricum Malcorps petiiſſe locum nomine Magnifici Domini; & poſt tres horas vel circiter, Tourteau adductus fuit per ſatellites.* Fuitque deſuper prævië initus Contractus ſequentis tenoris. *Conditiones ſub quibus Oratorium Lovanienſe paratum eſt recipere Tourteau.* 1°. *ut Magnificus D. Rector Univerſitatis ſcripto requirat, & in quantùm opus, mandet Superiori Oratorii, vel ejus vices gerenti, recipere dictum Tourteau, & in hoc inſtrumento ſimul fiat mentio Litterarum Illmi. D. Archiepiſcopi permittentis, ut ad alium locum transferatur, vel copia authentica earumdem litterarum annectatur.* 2°. *ut ſufficiens vadimonium ponatur pro expenſis menſæ &c. etiam ſcripto.* Et infrà habebatur: *Promittimus dictas conditiones curare expediri in forma, hâc 27 Martii* 1707. *de Mandato Magnifici Domini.* Et ſignatum erat *Barth. Hendrickx Secret.*

25. Fuitque Petrus ibidem tractatus ad intentionem; ſivè prout idem Oratorii Superior depoſuit ad art. 311. *Patres Oratorii dederunt Petro cibum & potum, eo modo, quo Patres illum habent in ſua Communitate.* Et præſtita eſt ipſis promiſſa ſolutio ad ratam 319 florenorum annuè. Tantæ molis erat Petrum foveri in obſequium Adverſariorum. Eodem tempore, quo iidem palam procuraverant, ut Patri Deſirant, primâ die Pentecoſtes communicaretur Decretum, quo ei interdicebatur omnis functio Acade-

Digitized by Google

mica, & conſequenter ſubtrahebatur alimentatio ſua. Quinimmò, dum circa finem Auguſti 1707. Rector ad ſuggeſtionem quorumdam Academicorum putabat proponere, ut Petrus transferretur de Oratorio ad domum Promotoris, ubi minùs ſplendidè haberetur, & Univerſitati quoque minùs conſtaret; Doctor van Eſpen reſtitit, & hunc Ganymedem in lauta menſa ſervavit, prout ipſi objecit P. Deſirant, & ipſe Doctor van Eſpen fatetur, & malè excuſare nititur in Concluſione finali art. 58. *Nihil aliud dixit dictus Doctor, quàm illâ propoſitione nihil eſſe opus, cùm intra quindenam totum negotium poſſet terminari*, inquit. Atqui dictus Doctor ſciebat, quòd nè quidem intra duos menſes cauſa poſſet eſſe in ſtatu; ergo allegavit non vera, ut Petrum ſuum ſervaret in deliciis. Nihil occurrit, quòd Doctorem hîc excuſet, niſi forſan illa, quam jactare ſolitus eſt, *ſimplicitas Chriſtiana.*

26. Quòd Petro inſuper promiſſa fuerint alia majora, ab eventu colligitur ex Libello ſupplici, quem edoctus fuit exhibere Rectori die 11. Julii 1707., in quo ex Covarruvia malè intellecto, auſus fuit ſuſtinere, quòd qui in judicio juravit falſum, non fiat infamis ipſo jure, & concludit, ut D. Rector Supplicanti dignetur remittere juramentum, *largiendo ei deſuper, in quantum opus, relivimentum in forma.* Ipſaque Pars adverſa hunc Petri Libellum adoptavit, & annexuit Libello ſuo civili, quem contra P. Deſirant exhibuit Dominis Aſſeſſoribus de Juncta, ſub die 16. Februarii 1708.

27. Quòd ſimiliter promiſſa illi fuerit abolitio, cognoſcimus ex Deductione loco Motivi, quam ipſimet impreſſerunt.

28. Quòd etiam ei promiſſa fuerit impunitas, diſcimus ab eventu. Non enim tantùm non impreſſerunt Sententiam contra ipſum latam, ſed antequàm hanc communicari facerent, curaverunt primò reponi eum apud Patres Carmelitas Calceatos abſque ulla cuſtodia, quam tamen hactenùs habuerat, & ita aufugit, nec Litteræ in ejus conſpectu fuerunt, juxtà præfatam Sententiam, tortoris manu combuſtæ, ſed Adverſarii hâc occaſione abuſi fuerunt, ut in vulgus ſpargerent comburi Litteras Patris Deſirant, cui omne azylum, licèt illud inclamaret, & per appellationis inſtrumentum prætenderet, denegatum fuit.

29. Quòd denique promiſerint omnia ejus facinora excuſare, atque diluere, ipſumque declarare non tantùm verum pœnitentem, ſed etiam totum innocentem: probatur ex Concluſione finali, ubi ejus facta deſcribuntur tamquàm peccata leviſſima. *Neque enim*, inquiunt, *ulla ſpecies veriſimilitudinis eſt, potuiſſe Petrum ſingula feciſſe ex innata ſibi malitia, & fingendi libidine* art. 146. Et juncta modificant art. 147. *Ad emungendas aliquas pecunias in facto Litterarum ad Abbatem Vlierbacenſem, ad obtinendam puellam in matrimonium, in facto de quo D. de Kinderen & in cauſa atteſtationis conſenſûs*

Digitized by Google

paterni in matrimonium, *de quo in art.* 12. *patet ratio*, *videlicet ad obtinendam diſpenſationem ſuper bannis*. Et de omnibus illis Petrus continuò appellatur *pœnitens*, præſertim art. 151. Cùm tamen ſciant, quòd illo anno nè quidem celebraverit ſuum Paſcha, & prout præfatus Superior depoſuit ad art. 312. ſcedæ contrariorum factorum, *quòd non ſumpſerit ſacram Communionem*. Quibus non obſtantibus, ſuis ſumptibus impreſſerunt Deductionem loco Motivi, in cujus articulo 2. Petro in terminis aſſeritur *anteacta vita innocentia*. Hæc Adverſarii iidem de eodem Petro in eadem cauſa, in eodem judicio. AUDITE ATHENÆ, VOS DII, AUDITE HOC SCELUS. Seneca in Hippolyto.

§. IV.

Quòd Petrus *fuerit malum inſtrumentum non* Patris Deſirant, *ſed Adverſariorum*.

30. CUm ergò nullatenùs oſtendi poſſit, quòd P. Deſirant Petro quidquam promiſerit, vel dederit, prout reverà nec promiſit, nec dedit; cùmque præterea nullum commodum potuiſſet ſperare ex Petri fictione, ſi fictionem eſſe sciviſſet; probatum autem fuerit, quòd Adverſarii Petro plurima promiſerint, & præſtiterint, ut taceantur ea, quæ adhuc dum præſtare dicuntur, ut contineant Ganymedem ſuum in officio; ad ſufficientiam juris probatum eſt, quòd Petrus fuerit malum inſtrumentum, non Patris Deſirant, ſed Adverſariorum, idque juxta principium, quod adduxerunt in ſua Concluſione finali art. 144. *Itaque reſtat, ut illud fecerit Petrus Tourteau inductus pretio & lucri cupidine, uti reverà inductus fuit*. Nimirum per Adverſarios, quibus ſolis Patris Deſirant dejectio tot artibus & tam diu concupita, *erat tota acquiſitio*.

§. V.

Reſpondetur objectionibus in Concluſione finali adductis circa Petrum Nicolaum Tourteau *veluti inſtrumentum*.

31. UNicum Adverſarii inſtrumentum ſtatuunt Petrum Nicolaum Tourteau, *qui ultrò faſſus eſt, & conſtanter pergit fateri, ſe harum fictionum, & conſcriptionum fuiſſe inſtrumentum, ſed merum & nudum; inſtigatorem verò & primarium Authorem affirmat, fuiſſe Patrem Deſirant in hac Cauſa Reum*, inquiunt art. 15.

32. Doceant autem Adverſarii, ſi poſſunt, qualiter credendum ſit Petro hæc confitenti, qui primo in judicio ſub juramento declaraverat, ſe litte-

Digitized by Google

ras illas ſcripſiſſe ſub dictamine Doctoris van Eſpen, & poſtea coactus eſt per minas hunc Doctorem excuſare, & crimen mutatis velis in innocentem detorquere, prout fecit quidem, ſed numquam juravit. O egregiam juris prudentiam, jurato non credere, & injurato varianti, fidem dare in eadem materia coram eodem judicio!

33. *Ultrò faſſus eſt*, inquiunt. Ipſe verò tum verbo, tum ſcripto declaravit in hæc verba: *Infraſcriptus teſtor, quòd D. Canonicus du Vivien, & D. Verniel mihi dixerint decimâ nonâ hujus, quòd ſi non darem actam revocatoriam, quòd me ipſum projicerem in magnam miſeriam & calamitates, & quòd reſponderim, me deſuper deliberaturum ſeriò, & perſiſto firmiter eſſe D. van Eſpen, qui eſt Reus. Actum Lovanii hâc 22. Martii* 1707. ſignatum erat *P. N. Tourteau* juxta originale conſignatum in judicio die 15. Novembris ejuſdem Anni, prout ſuprà oſtenſum fuit. Quomodò ultrò faſſus eſt, qui prævié territus fuit minis magnæ miſeriæ & calamitatis?

34. *Et conſtanter pergit fateri*, inquiunt: infra verò art. 88. agnoſcunt, quòd pluries variaverit. Verba ſunt: *variavit quidem.* Conſtare & variare ſibi mutuò repugnant.

35. Licèt igitur Petrus habendus ſit inſtrumentum criminum, prout Adverſarii in hoc ſuo 15. articulo loquuntur; alia tamen hujus inſtrumenti ratio eſt habenda, præ illa, quàm iidem Adverſarii proferunt. Eſt inſtrumentum, quo Adverſarii uſi ſunt, tamquam Emiſſario ad decipiendum P. Deſirant, eundemque accuſandum poſtea illiùs miniſterio. Eſt inſtrumentum, quòd P. Deſirant ante menſem Octobris 1706. nunquam viderat, numquam cognoverat, & tunc primùm uti cœpit, tamquam ſcribâ loco Patris ejus Nicolai, qui ſe dicebat impeditum, ut proſequeretur, quæ incœperat. Eſt denique inſtrumentum, quòd à pluribus retrò annis notum fuerat Adverſariis, non Patri Deſirant, prout ſuprà probavimus.

36. Illa quæ Adverſarii art. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90 91. in Ganymedis ſui gratiam adducunt, nihil aliud probant, quàm craſſam & apertam cum viro falſario, quem per totos quatuor & ampliùs annos in plurimis falſitatibus, & falſificationibus inſorduiſſe, nôrunt Colluſionem.

37. Articulo enim 76. ſuſtinent eſſe perjurum, & fidem tribuunt; tantumque falſarium art. 77. admittendum volunt, ùt teſtem, quaſi admitti in hâc cauſa poſſint etiam teſtes inhabiles, contra apertam utriuſque juris Conſtitutionem. Art. 78. ridiculè allegant falſarii retractationem, cùm jure cautum ſit, quòd primæ depoſitioni, ſi jurata fuerit credatur, poſteriores verò revocationes, præſertim non juratæ, prout hîc, habeantur pro illegitimis & extortis, oſtenſumque fuerit, tam ex ſenioris, quàm junio-

ris

tis atteſtationibus, quòd in priori ſua depoſitione jurata præſtiterit uſque ad 22. Martii, & quòd non cœperit variare, niſi poſt horrendas minas ei die 19. Martii ejuſdem per Canonicum Vivien, & Presbyterum Verniel intentatas.

38. Art. 79. exaggerant, quòd per decem circiter menſes in ſua retractatione, non jurata tamen, perſiſtat; & tacent, quòd illum totis illis menſibus detinuerint in ſua poteſtate, pinguiſſimè aluerint, promiſſis lactaverint, aliaque præſtiterint, propter quæ, etſi voluiſſet, ad priorem juratam depoſitionem redire non potuiſſet.

39. Ridicula etiam & falſa ſunt, quæ art. 80. dicuntur de illius dejectione ſtatim poſt primam depoſitionem juratam facta; & contradicunt ſibi Adverſarii turpiter, dum ubique fatentur, quòd illam fecerit 5. Martii, & art. 82. dicunt: *Nunc autem à 26. Martii, quâ ſe recognoſcere, & veritatem aperire cœpit &c.* quomodo 5. Martii mox à depoſitione *turbatus & dejectus ſtimulis conſcientiæ amarè flebat*, qui 22. adhuc perſiſtebat, & tantummodo die 26. ſe recognoſcere cœpit?

40. Articulo 81. turpiùs aberrant, ubi dicunt: *Mox iiſdem conſcientiæ ſtimulis agitatus ad Conventum Carmelitarum ad ſanctam Catharinam ſe recepit.* Illi enim iidem in Deductione loco Motivi art. 242. Patrem Deſirant criminantur in verbis: *Conſuluit tandem Eximius Pater, ut Reus* (id eſt Petrus) *ſe reciperet in Cœnobium RR. PP. Carmelitarum.* Nicolaus autem Tourteau in acta ſua de 22. Martii, quæ fuit conſignata in judicio die 15. Novembris, declaravit in terminis: *Quòd cùm ſpargeretur rumor, quòd ad onus mei filii Petri Nicolai obtentum eſſet Decretum apprehenſionis, ex eo quòd accuſabatur ſcripſiſſe Epiſtolam & Formulare contra Romanam Eccleſiam, eum juſſerim ſe recipere ad Conventum RR. PP. Carmelitarum Calceatorum.* Tam impoſſibile eſt ſtrenuiſſimis reſtrictionum mentalium impugnatoribus fingere conſequenter. Nunc objiciunt, quòd P. Deſirant Petrum induxiſſet, ut ſe apud Carmelitas reciperet; nunc exaggerant, quòd Petrus eò iviſſet ſuâ ſponte; denique ſenior Tourteau declarat, quòd ſuo filio id juſſerit.

41. Similiter in eadem Deductione art. 243. & ſequentibus inducunt Petrum loquentem in hæc verba: *quo audito Reus ſe è veſtigio ad prædictum Cœnobium recepit. Cùm ibidem Reus uno vel altero die fuiſſet, miſit Eximius Pater prædictus ad eum, tum unum, tum alterum, ut illum adhortarentur, ut maneret fidelis & conſtans. Et ut Reum in perjurio & falſa accuſatione prædicti Clariſſimi D. van Eſpen, & aliorum Virorum confirmaret, de tempore in tempus plurimas ei iniquas inſtructiones mittebat; notanter miſit Reo Patrem ſuum.*

42. Quàm verò hæc ſint falſa & ſtudioſè conficta, probatur ex præfata declaratione Patris, quem Petrus cum ſuis fatentur ſibi adfuiſſe. Verba

E

Patris ſivè ſenioris Tourteau ſunt : *Meque infraſcriptum ſæpiùs & ſæpiſſimè eundem Petrum Nicolaum meum filium adiiſſe, & rogaſſe, & ſeriò monuiſſe, ut mihi omninò revelaret, & diceret veritatem, & firmiter ſemper reſpondit, quòd eandem Epiſtolam & Formulare ſcripſiſſet ſub dictamine Clariſſimi D van Eſpen : & ulteriùs ipſum monendo & interrogando, an forſan non illam ſcripſiſſet ſub dictamine, aut ex ſuggeſtione Eximii Patris Deſirant, reſpondit ſemper quòd non, & quòd ipſe Eximius Pater eſſet innocens in iſto negotio. Et eadem adhuc mihi declaravit heſternâ die* 21. *Martii* 1707. Hactenùs Nicolaus Tourteau ſenior, ad cujus teſtimonium ſeſe Adverſarii cum juniore Tourteau dicto articulo 243. remiſerunt.

43. Ab art. 880. uſque 1002. non fit niſi cavillatoria repetitio falſitatum in prioribus ſatis refutatarum, niſi quòd art. 987. novam falſitatem proferant, quòd P. Deſirant Petrum apud Carmelitas ad Sanctam Catharinam profugum foverit, *etiam pro expenſis ipſius reſpondendo*, & addunt id, quod magis falſum eſt, *uti fatetur ad articulum* 124. *interrogatoriorum*. Nuſquam id P. Deſirant faſſus fuit. Erat enim falſiſſimum. Nam nè Petrus quidem à Conventu illo quidquam recepit, nec P. Deſirant cum Patre Priore, ad quem res iſta privativè ſpectabat, deſuper verbo, aut ſcripto egit, prout idem Pater Prior ſcripto declaravit.

44. Ad hæc non tantùm Adverſarii Petri crimina, tam præſentia, quàm priora excuſant in actu exercito; ſed eò inſuper venerunt, ut apertis verbis teſtentur, ſe id facere ex profeſſo. Ita enim argumentantur art. 128. *Manifeſtum & notorium eſſe, ex deductione & inſtructione hujus cauſæ, nullum in ſuſpicionem horum criminum vocari, niſi Petrum Nicolaum Tourteau, & ipſum Reum, Patrem Deſirant, alterutrum ipſorum certò eſſe omnium illorum Authorem: ita ut argumenta & indicia, quæ præſumptionem à dicto Petro amoliuntur, eam in Reum conjiciant, ipſumque gravent, & Authorem probent.* Quàm perniciosſum ſit hoc ſophiſma, nemo non videt. Ponitur tanquam manifeſtum & notorium, quod erat falſiſſimum. Fuerat Petrus de præſentibus & anterioribus criminibus convictus atque confeſſus, & nunc collocatur in ſolo gradu ſuſpicionis, ut cum Patre Deſirant ſtatuatur in parallelo; ac tunc lex proponitur de amoliendis indiciis ac præſumptionibus à Petro convicto atque confeſſo, ut iis gravetur innocens, qui nec convictus, neque confeſſus fuit. Nunquid hoc eſt agere, quod fecère, qui ad verba: *Quem vultis vobis dimitti?* Reſpondebant: *Non hunc, ſed Barrabbam*, immemores iſtius, quod ſcriptum eſt, *qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum.* Proverb. 17.

45. Eſt etiam notatu dignum, quòd Petrus, qui faciem virilem atque barbatam exhibet, ac ſi eſſet trigenarius, qui conjugatus eſt, & habet

Digitized by Google

prolem, art. 130. ſimpliciter appelletur *juvenis*, & quòd præſumatur incapaciſſimus; cùm tamen eundem turpi contradictione art. 136. faciant tam aſtutum, ut facillimè potuerit componere proſecutionem Libri Reſolutionum, quia pauciſſimo tempore *formas illas componendi ſciret memoriter.*

46. Hìc certè, ſi ullibi propriis àrmis convincuntur; ſi enim Petrum agnoſcant capacem, ut per ſe ſolum componeret proſecutionem, eò quòd jam imbibiſſet hujus compoſitionis artem, eamque pauco tempore diſcere potuiſſet à Patre Deſirant; quantò magis fateantur neceſſe eſt, illum potuiſſe iſta diſcere ab ipſiſmet, quibus ſolis omnes materiæ, quæ in iſto Libro Reſolutionum extant, erant cognitæ. Non enim erant materiæ fictæ, ſed partim factæ, partim faciendæ. Non debet ergo quæri Author, qui docuerit fingere; ſed Author, qui ſciebat facta & facienda eſſe. Excutiantur nomina illorum innocentiſſimorum, atque integerrimorum Virorum, quæ in iſto Libro extant, & videatur, ân inter tot & tantos non potuerint extitiſſe duo, qui ad fallendum P. Deſirant, Petrum inſtruxerunt & emiſerunt, cum promiſſionibus earum rerum, quarum magna pars Petro præſtita eſt, & reliqua ab ipſo exſpectantur.

47. *Nemo malus eſt gratis*, inquiebant, articulo 140. Pater Deſirant, ſtatim ut audivit Petri fallacias, deſeruit, atque impugnavit. Adverſarii verò, quibus omnia jam inde ab annis quinque cognita ſunt, tuentur eum, excuſant, pinguiter alunt, laudant, dimittunt, ſententiam, quâ damnatus eſt, ſupprimunt, imprimunt fallaciſſimam ejus deductionem, alimenta præſtant, & abolitionem petunt. Hæc profectò mala ſunt; *Nemo malus eſt gratis.* Niſi ergo dicantur inſtruxiſſe eum, emiſiſſe, & promiſiſſe; nemo probè intelliget deductionem atque inſtructionem hujus tragœdiæ.

48. Neque Ganymedem ſuum purgant per defenſiones legitimas, ſed per tergiverſationes flagitioſas, prout patet ex iis, quæ non erubeſcunt adducere ab art. 131. uſque ad 150.

49. Quando agebatur de Petro transferendo Bruxellas, Adverſarii moverunt omnem lapidem, ſuſtinendo eum eſſe ſuppoſitum Academicum, adducendo probationes, quòd actu ſtuderet Juri, ſcholas frequentaret, varioſque Authores Juridicos, & ipſum Corpus Juris haberet, prout conſtat ex actis ad Concilium Statûs tranſmiſſis. Nunc verò res aliud poſtulat; ut namque capacitatem ejus extenuent, art. 131. appellatur juvenis, *qui non ultrà, quàm Logicæ ſtuduit.*

50. Quò verò eum tenuiorem faciant, appellant *merum ſcribam, qui pro pane lucrando ibat de domo in domum ad ſcribendas Copias*, ùt dicunt art. 132. non advertentes, quòd eò magis probent, non fuiſſe apparens, quòd Pa-

E 2

Digitized by Google

ter Deſirant, qui eum non noverat, & anteà non viderat, voluiſſet ejus operâ uti ad fingendum; ubiècontra Adverſarii, qui illum & anteriores falſificationes ejus maximè cognoſcebant, veroſimillimè potuerunt hoc inſtrumentum elegiſſe, ad decipiendum.

51. Nec refert, quòd art. 133. dicant, in his litteris agi de materia Theologica: nam diſtinguenda ſunt iſta. Nulla ſiquidem illic habetur diſputatio dogmatica, quæ Theologum exigat, prout legenti patet; ſed tantummodo referuntur quædam facta & facienda; quæ cùm reverà facta fuerint, prout conſtat non ſolis Theologis, verùm etiam è plebe minimis; non majorem Petrus debuit habere capacitatem ad illas materias cognoſcendas, quàm quilibet de plebe, cui talia ſunt narrata. Et hinc patet reſponſio ad art. 134.

52. Formam verò componendi talia, ubinam Petrus didicerit, illi ediſſerant, qui inſtruxerunt; vel deſinant illum promiſſis alere, qui ſeduxerunt; ipſe forſan ad cor redibit, & deteget eos per inſtrumenta, quæ ſibi forſan reſervavit. Hæc autem non ad Patrem Deſirant. Satis eſt, quòd art. 135. & 136. agnoſcant Petrum fuiſſe capacem, ut pauco tempore, *formam illas componendi ſciret memoriter*, quemadmodum monſtravit effectu in menſe Martio, componendo proſecutionem prout ibid. & art. 137. & 138. confitentur. Ut taceam, quòd Adverſarii de Petri capacitate convincant ſemetipſos, ubi approbant *Deductionem ejus loco Motivi*, quam fecerunt publici juris; vel enim hæc Deductio eſt compoſita per alium, omniaque facta ibidem recenſita, cum ſuis ratiociniis, proſopopœis, figuris, elegantiis, atque energiis, ſunt opus, non Petri, ſed aliorum, & proinde totum ſuſpectiſſimum eſt; vel debent ſuſtinere, Petrum polluiſſe memoriâ incredibili, judicio extraordinario, & dexteritate ſingulari, ut omnia ſic recenſeret, ſic deduceret, ſic recordaretur, ſic enarraret.

54. Quod autem omnem expectationem ſuperat, Adverſarii fingunt ſe Petro credere referenti quòd nihil umquam contra Doctorem van Eſpen patraverit, niſi animo reluctante. O bona anima! Obſerva, obſecro, Lector, quotnam & quantis figuris Petrum in *Deductione loco Motivi* exornent. Fingunt quòd P. Deſirant, cùm *Petrus circiter per octo dies apud ipſum ſcripſiſſet*, incœpiſſet illum exhortari & excitare contra Janſeniſtas; Petrumque inducunt tamquam illis diſcurſibus ſcandalizatum, & inſtar Magiſtri corripientem, *qua de cauſa tanto cum furore inveheretur contra Janſeniſtas*. Art. 51. Perguntque ac ſi Pater Deſirant tam infrunitam audaciam toleraſſet, & ſe quodammodo apud Petrum, mediantibus quibuſdam explicationibus excuſaſſet. Statimque ſibi contradicunt, ubi fingunt quòd Pater Deſirant, poſtquàm audiviſſet ſe à Petro tam heroïcè de furore argui, mox deſcen-

Digitized by Google

diſſet ad extremas cum Petro confidentias, illique ſe expectoraſſet circa intentiones Deputatorum Hollandiæ, art 55. & 61. Gallorum, art. 55. & 65. Concilii Brabantiæ, art. 63. & D. Archi-Præſidis Concilii Statûs, art. eodem, in verbis: *Ipſumque Præſidem Concilii Statuum, Fautorem & Protectorem maximum eſſe Janſeniſtarum.*

54. Eſt impoſtura atrociſſima. Præterquàm enim quòd ſibi manifeſtè contradicant in circumſtantiis, res per ſe loquitur quòd P. Deſirant ab omnibus reputetur prudentior, quàm ut præcisè octavo die poſtquàm talem hominem vidiſſet, talia de Hollandis, de Gallis, Concilio Brabantiæ, atque ſupremo Præſide effutiiſſet. Numquàm vel directè vel indirectè ullam ſimilis diſcursûs ſpeciem cum Petro habuit. Erat ſcilicet egregius Vir ut cum illo de talibus ageretur. Econtra dum priores ſcriptiones adferebat, gerebat ſe ac ſi ferè nihil eorum intelligeret, & non niſi ſtipendia curaſſet, propter quæ facilis ad ſcribendum fuiſſet; licèt tandem ex remorſu videns contra Romanam Eccleſiam agi, conſcientiæ ſuæ vulnera Confeſſario aperuiſſet.

55. Viderint Adverſarii, quantam injuriam inferant his Magnatibus, talia tam leviter imprimendo, ac præſertim Excellentiſſimo D. Archi-Præſidi, quem neſciunt Patri Deſirant ſatis propitium fuiſſe, & Patrem Deſirant ſolum pluſquàm illos omnes, veras ipſius laudes, in occurrentibus occaſionibus, extollendo incorruptum ejus juſtitiæ amorem deprædicaſſe, ut taceam quædam inter P. Deſirant, & præfatum potentem Virum acta, in quibus Patris Deſirant ingenuitatem experiri non dedignatus fuit. Diſcimus interim, quibus artificiis Adverſarii nos apud Poteſtates illas denigrent. Accedunt illas in veſtimentis ovium, & ſub prætextu quòd ſint famoſi impugnatores reſtrictionum mentalium (unicum enim hoc lac uberibus exprimunt) Adverſarios ſuos deſcribunt ſtylo tam atro, ut dum Bruxellas appellimus, tacitis oculis luſtremur à capite uſque ad pedes, nec ſciamus luendorumnè an excuſandorum ignotorum defectuum causâ accedere debuerimus; atque hoc perverſiſſimo medio privamur confidentiâ exponendi noſtras neceſſitates apud Superiores, qui de jure tam ſunt noſtri quàm ipſorum, cum hac tamen differentia quòd eò fideliores ſimus dum illis, non propter nos [nihil enim petimus] ſed propter ea quæ juſta ſunt, ſervire promptiſſimi ſumus.

56. Sed redeamus ad Petrum, & audiamus Adverſarios turpiſſimæ adulationis incenſum novo huic Idolo offerentes. Articulo 71. deſcribunt illum tamquàm ſapientiſſimum polyticum, ſponte ſuâ interrogantem, *quis foret Caput prætenſæ Janſenianæ factionis.* Fuiſſet profectò in altiſſimis illis conſiliis valdè conſummatus, qui tam dexterè ſciviſſet interſerere hanc vocem *prætenſa.*

Digitized by Google

57. Articulo 74. introducunt Petrum tamquàm Doctoris van Eſpen defenſorem prudentiſſimum atque moderatiſſimum, *quòd ſibi non poſſet perſuadere Clariſſimum D. van Eſpen eſſe talem prout ibi depingebatur.*

58. Articulo 84. faciunt eum Theologum ſolerter interrogantem, *utrùm iſta Doctrina vulgo Janſeniſtarum, etiam eſſet prava & hæretica?*

59. Articulo 99. Petrum exhibent tamquàm à P. Deſirant ſemivictum, cum tanta tamen prudentia & præcautione, ut declaraſſet in terminis, *ſe paratum eſſe prædicto Eximio Patri opem ferre, ſi nullum inde eſſet oriturum malum.*

60. Articulo 101. incipiunt ſeipſos deſtruere palpabiliſſimâ contradictione, in verbis: *Eodem tempore cœpit idem Eximius Pater declarare Reo*, id eſt Petro, *ſe non dubitare quin cauſa D. Gerberon & aliæ ſimiles reſumerentur, cùm foret aperta conſpiratio Janſeniſtarum.* Dixi contradictionem palpabiliſſimam, attento quòd in eadem deductione eundem Petrum inducant confitentem articulo 269. quòd Gerberonianæ litis reſumptionem non didiciſſet à P. Deſirant, ſed à Parente ſuo, ſeniore Tourteau. En verba: *Excepto negotio Domini Gerberonii contra Illuſtriſſimum D. Archiepiſcopum Mechlinienſem, de quo benè audivit Reus*, id eſt Petrus, *loqui occaſione quòd Pater Rei in hac cauſa coram Ampliſſimo D. Abbate Stæ. Gertrudis, tamquàm Procurator inſerviverit, etiamſi de hoc negotio non fuerit locutus Patri Deſirant, prout falsò ipſe prætendit.*

61. Combinent, ſi poſſint, hæc contradictoria. Articulo 101. dicitur quòd P. Deſirant cum Petro de negotio Gerberonii verba fecerit, ſic tamen ut Petrus illud à P. Deſirant intellexerit: Articulo verò 269. aſſeritur quòd Petrus negotium illud non à P. Deſirant, ſed à ſuo Parente Nicolao audiverit, & quòd de illo Patri Deſirant locutus non fuerit. Veritas autem eſt quòd Petrus nec illud audiverit à P. Deſirant, nec à dicto Parente ſuo, ſed à prætenſis Janſeniſtis. Senior enim Tourteau non fuit Procurator pro Gerberonio, ſed contrà: & de illius litis reſumptione nihil potuit ſcire ante 20. Octobris 1706. Eſt autem ſuprà oſtenſum, quòd Petrus illam P. Deſirant prædixerit die 18. ejuſdem menſis, tamquàm pridiè reſolutam; cui conſonat Congregatio famoſi Libri Reſolutionum de die 17., quod notandum eſt cum reliquis.

62. Denique Adverſarii cunctas figuras & proſopopœias quibus perſonatum Petrum induerunt, uno ictu deſtruunt, ſuffocant, atque enecant articulo 241., ubi Petrum inducunt aſſerentem, quòd *effectivè crediderit omnia eſſe vera, & ſic ſe debere perſiſtere in ſuis accuſationibus.* Nota, Lector, omnes Petri accuſationes fuerant, quòd Epiſtolam de 10. Januarii 1707. cum annexis ſcripſiſſet ſub dictamine Doctoris van Eſpen; item quòd id

Digitized by Google

accidiſſet in iſtius Doctoris Bibliotheca; item quòd vidiſſet Doctorem ſubſignantem, litteras claudentem, & deſtinari facientem per famulum ſuum, & Petrus *effectivè* credidit omnia eſſe vera, & quòd ſic deberet in accuſationibus ſuis perſiſtere. Quomodo ergo ſcivit eſſe ficta, ſi *effectivè* credidit eſſe vera? Atque ſi à Patre Deſirant inductus fuiſſet ad illa fingenda, quomodo potuiſſet ignorare quòd eſſent ficta? Adverſarii in ſua Concluſione finali dicunt art. 80. *Dum contra Clariſſimum D. van Eſpen deponebat, quamvis res diu fuiſſet præmeditata, mox variavit.* Quomodo mox variavit, qui permittitur de ſe dicere, quòd *effectivè crediderit omnia eſſe vera, & ſic ſe debere perſiſtere in ſuis accuſationibus*? Legant nunc & relegant illud ſuum Poëticum, *Dii quos perdere volunt, dementant.*

CAPUT QUARTUM.

Confutatio quarti gravaminis: *quòd ibidem notoriè adulterata ſit ſignatura prædicti Clariſſimi D van Eſpen.*

1. ARticulus eſt maximè æquivocus. Poteſt enim ſenſus eſſe, quòd adulteratio ſignaturæ Doctoris van Eſpen, eſſet notoria tempore, quo gravamen hoc proponebatur; & poterat intelligi, quòd fuiſſet notoria in ſe, & omni tempore, ita ut debuiſſet quilibet illam ſine ulla tergiverſatione noviſſe. Nè igitur P. Deſirant caperetur in verbis, reſpondit: *tranſeat, quòd id conſtet nunc.* Dixit *tranſeat*: quia nolebat ſibi attrahere, an à parte rei adulteratio facta fuiſſet. Dixit, *quòd id conſtet nunc*, quia ad defenſionem ſatis ipſi erat, quòd de adulteratione non conſtiterit, quando Epiſtola ad manus ejus pervenit.

2. Quocircà recenſendæ ſunt attentiones, diligentiæ & examina per Patrem Deſirant adhibita, ut cognoſceret, an Epiſtola, de qua quæſtio, reverà per Doctorem van Eſpen dictata & ſubſcripta fuiſſet.

3. Petrum non noverat ante menſem Octobris 1706. prout ipſe Petrus fatetur in ſua deductione art. 43. & ſeqq. multò minùs noverat anteriores ejus falſitates, de quibus capite præcedenti. Conſiderabat eum, tamquàm merum ſcribam, qui pro pane lucrando ibat de domo in domum; cùmque intellexiſſet eum varia ſcripſiſſe, & actu ſcribere pro diverſis Academicis, ac ſignanter pro Rectore iſtius temporis, D. Guilielmo Leunckens, nullam habebat rationem dubitandi de illius probitate.

4. Incœpit Petrus ante medium præfati menſis Octobris occaſionaliter petere, an omne juramentum obligaret in conſcientia. Reſpondit P. Deſirant: obligare in rebus licitis, non verò in illicitis. Petrus tunc exivit,

Digitized by Google

& uno vel altero die rediit ſubtriſtis, aſſerens, ſe non potuiſſe à Confeſſario ſuo, quodam R. Patre Minorita, beneficium abſolutionis conſequi, niſi poſt præviam promiſſionem, quòd eſſet revelaturus alicui de ſtricta Facultate, ſe varia ſcripſiſſe ſub dictamine Doctoris van Eſpen, de rebus Janſenianis, aliiſque, quæ contra Sedem Apoſtolicam Lovanii reſolvebantur in Congregationibus, etſi ipſe Petrus fuiſſet coactus præſtare juramentum de non revelando. Se iſtam revelationem libenter facere ad ſatisfaciendum conſcientiæ ſuæ, veruntamen rogare, ut quantùm poſſet, ſervaretur honor ſuus, & provideretur, nè aliquod ex hac revelatione damnum incurreret. Et proſequebatur narrando, quòd inter alia, Janſeniſtæ in aliqua Congregatione reſolviſſent: Cauſam Gabrielis Gerberonii, in Galliis captivi, contra Archiepiſcopum Mechlinienſem reſumendam eſſe. Acta hæc fuerunt die 18. Octobris 1706.

5. Hæc ita per Petrum relata fuiſſe, probatur primò ex acta, quam Petrus die 27. Januarii 1707. fecit coram Notario van Dormael in verbis: *Se in conſcientia motum prædicta declaraſſe Confeſſario ſuo, cuidam Minoritæ, à quo monitus, quòd præfatum juramentum fuiſſet nullum & illicitum, tempeſtivè omnia revelavit alicui ex ſtricta Facultate Theologica, confidens, ſe per hoc ſatisfeciſſe obligationi ſuæ; paratus omnia prædicta confirmare ſub juramento à Judice ſuo legitime requiſitus. Actum Lovanii anno & die ùt ſuprà*: Et erat ſubſignatum: *Petrus Nicolaus Tourteau.* Infrà habebatur: *Me præſente H. van Dormael Not. Ap.*

6. Quòd Petrus ſic venerit ad P. Deſirant, probatur ſecundò ex ſimili relatione, quam R. P. Mathias Grauwels S. Th. Lector ejuſdem Ordinis, fecit die 4. Martii ejuſdem anni 1707. in verbis: *Me, dum præfatus Petrus Nicolaus Tourteau conſcientiæ ſuæ ſtimulis agitatus declarabat, ſe juramento ligatum eſſe, nihil eorum revelandi, quæ in Congregationibus ſupradictis Lovanii in ædibus Clariſſimi D. Zegeri Bernardi van Eſpen ab anno 1706. à menſe Junii uſque ad annum 1707. habitis contigerant, reſolviſſe, eundem Petrum Nicolaum Tourteau hoc ſuo juramento minime ligari, quod utique vinculum iniquitatis eſſe non poteſt. Secundò, me obligaſſe eundem Petrum Nicolaum Tourteau, ut omnia quæcumque ſciret, concernentia factiones Janſeniſticas, in dictis Congregationibus formatas, cum reſolutionibus & effectibus inde ſecutis, Superioribus, ſeu iis, quorum intereſt, revelaret, traderetque. Tertiò, me eundem Petrum Nicolaum Tourteau pluries ſtrictius examinaſſe, & ut non niſi ſinceram in hoc negotio veritatem declararet, ſub diſtricto Dei judicio monuiſſe, & addo, me poſteà omnia communicaſſe Eximio Patri Bernardo Deſirant, S. Th. Doctori, & ſtrictæ Facultatis Theologicæ Regenti ſeniori, aliiſque de parte Romano-Catholica.*

7. Res eadem probatur tertiò ex confeſſione Adverſariorum, qui ſuſtinent

Digitized by Google

ſtinent Petrum iviſſe ad Carmelitas animo ibidem declarandi veritatem. Atqui Petrus die 12. Martii apud Carmelitas exiſtens præfatam P. Grauwels declarationem vidit, & approbavit in hæc verba: *Fateor & atteſtor, me præfata ita revelaſſe, ſicut præfatus P. Mathias Grauwels ſuperiùs atteſtatur. Actum Lovanii hâc 12. Martii 1707.* Et erat ſignatum: *P. N. Tourteau.* Hæc nunc adducuntur ad probandum, quòd Petrus illo argumenti genere uſus fuerit apud P. Deſirant.

8. Igitur quæcumque Petrus Nicolaus varians malè edoctus fuit poſteà colorare, alterare, & falſificare, corruunt per ſe; attento maximè, quòd idem cum nova ſui ipſius contradictione finaliter in ſua deductione redierit ad confeſſiones perſonales in judicio per ipſum factas, quas recenſuimus ſuprà in diſcurſu prodromo §. 2., oſtendimuſque, quòd per omnia conſonent ſupradictis. Et hæc eſt probatio quarta, ad ſtabiliendam bonam fidem P. Deſirant.

9. Supereſt, ut expendantur examina, quæ P. Deſirant adhibuit ad detegendam veritatem. Videbatur incredibile, quòd cauſa Gabrielis Gerberonii natione Galli, & in Galliis captivi, tempore præſentis belli reſumeretur in Belgio. Reſumpta eſt tamen paucis diebus poſt, prout Petrus prædixerat, tamquàm ex ſcientia quam hauſerat ex inſpectione originalis Libri Reſolutionum, prout conſtanter referebat. Et quod eſt maximè notandum, tametſi Liber Reſolutionum tantummodo per Petrum allatus fuerit die 27. Januarii 1707., id eſt tribus menſibus & novem diebus poſt dictam diem 18. Octobris 1706., attamen inventum eſt quòd Reſolutio de exequendis deciſis, in dicto Libro præcisè habeatur ſub die 17. Octobris 1706. Et in Congregatione de 28. Julii 1707. deciditur, *primò, negotia D. Gerberonii contra Archiepiſcopum Mechlinienſem, in materia appellationis coram Ampliſſimo D. Abbate Stæ. Gertrudis eſſe proſequenda omni rigore.*

10. Confirmantur iſta per duos conteſtes omni exceptione majores, Doctorem Antonium Parmentier, & Advocatum van Schonbroeck, quorum primus ad articulum 15. ſcedulæ contrariorum factorum reſpondit in judicio ſub juramento, in verbis: *Quòd Deponens hoc audiverit à Patre Deſirant, qui dicebat ſe hoc habere à Tourteau. Benè recordatur fuiſſe in initio hyemis, illudque ſibi dictum ab Eximio Patre, antequàm reſumeretur cauſa Gerberonii.* Secundus verò ad articulum eundem reſpondit eodem modo, in verbis: *Quòd Eximius P. Deſirant in præſentia ſua declaraverit Eximio D. Parmentier, Ampliſſimo D. Damen, Eruditiſſimo D. Pauwels Plebano, & aliis, quòd ipſi relatum eſſet, quòd certò certiùs reſumenda eſſet cauſa Gerberonii; & cùm prædicti illi nollent credere, reſpondit, quòd certò ſibi conſtaret ex relatione alicujus, quem non nominavit, quòd illud fieret, uti reverà factum eſt, ut poſteà Deponens intellexit.*

Digitized by Google

11. Judica, Lector Catholice, an fides Petri per iſta non fuerit multùm ſtabilita, & utrùm P. Deſirant non habuerit juſtam cauſam, pro munere ſuo cuncta examinandi, ſalvo eo, quòd Petro addixerat ſervandum honorem, quatùm poſſet, & providendum, nè aliquod ex hac revelatione damnum incurreret, prout Petrus requiſiverat ſuprà art. 4.

12. Sed antequàm procedamus, occurrendum eſt objectioni, quam Adverſarii in ſua Concluſione finali faciunt art. 202. 203. 204. *Et hac quidem*, inquiunt, *ex fide tantùm illius Petri, cujus etiam mendacia in hac eadem materia de Congregationibus & conſpiratione Janſeniſtarum ipſi Reo* [Patri Deſirant] *probata fuerant. Retulerat enim Petrus, ſi Reo credimus, ad art. 29. interrogatoriorum, quòd circa 17. Octobris 1706. habita fuiſſet prætenſorum Janſeniſtarum Congregatio, cui præſediſſet Clariſſimus D. van Eſpen, & interfuiſſent DD. Melis, Sullivane, & alii. Retulerat id idem Reus ſub idem tempus in Congregatione Facultatis, ubi præſens Eximius D. Renardi repoſuit, non potuiſſe haberi ſimiles Congregationes, quia eo tempore dictus Clariſſimus fuiſſet Bruxellis, & D. Melis jam à ſex ſeptimanis jaceret lecto affixus ex podagra: uti conſtat ex depoſitione DD. Renardi, Martin, & Parmentier de 23. Maii*, id eſt ex horum trium depoſitione conſtat, Doctorem Renardi talia Patri Deſirant ſub idem tempus dixiſſe, ſeu reſpondiſſe in Congregatione Facultatis.

13. Ad hanc objectionem reſponſum fuit, quòd Doctor Renardi, ſalvâ doctrinâ, adhæreat præcipuis, qui ſunt de parte adverſa; proindeque ſi is aliquando negaverit certam Congregationem habitam fuiſſe, de qua tunc ſermo, quòd hæc negatio à Patre Deſirant accepta fuerit per modum excuſationis vel defenſionis potiùs, quàm affirmationis, præſertim cùm illo tempore Petrus adhuc præſumeretur integer, & perſiſteret, ſe intrantes & exeuntes vidiſſe, & ab eventu conſtaret, illum circa reſumptionem cauſæ Gerberonii, quæ viſa fuerat magis incredibilis, veritatem dixiſſe.

14. Cæterùm de Doctore Sullivane dictum non fuerat, quòd Congregationi interfuiſſet, prout malè objicitur art. 203.: ſed quòd in aliqua Congregatione reſolutum fuiſſet, ipſum inducere, ut litem moveret Doctori Martin, vel Doctori Daelman, pro loco ſtrictæ Facultatis. Cùmque ipſe Doctor Sullivane pluries faſſus fuerit ſe, extra tamen omnem Congregationem, ſollicitatum, vel monitum fuiſſe, ut dictam litem inſtitueret, ſed noluiſſe; hinc inſuper præfata Doctoris Renardi negatio, per poſitivam hanc Doctoris Sullivane agnitionem, non parùm dejecta fuit.

15. Quin etiam Doctor Renardi deſinet admirari quarè Pater Deſirant ipſi in hac re non plus juſto detulerit, ſi dignetur recordari quales quantique diſcurſus habiti fuerint in ejus Collegio, occaſione cujuſdam Homi-

Digitized by Google

nis; quem deſcribebat præclarus aliquis & doctus Vir quem diligit, & quem æſtimat, quemque Pater Deſirant, velit nolit, dilecturus & æſtimaturus eſt. Doctor Renardi Hominem tenuiter defendebat. Vir autem ille fortiter atque ſtrenuè ſuſtinebat quòd illum meliùs noſſet, & allegabat cauſas notitiarum, perſiſtebatque illum hypocritam eſſe, perturbatorem, pluriumque incentorem malorum. Cætera taceo. Doctor Renardi ex abundantia charitatis nitebatur Hominem excuſare. Vir autem ille præclarus ei bono modo in faciem explicabat, ſe non poſſe capere, quòd tali nimiùm faveret. Iterùm dico, dignetur Doctor Renardi hujus recordari, & inde colligat, cur Pater Deſirant dictum ſeu reſponſum ejus acceperit non per modum affirmationis, ſed excuſationis, attentis præſertim circumſtantiis quarum aliquæ deductæ fuerunt.

16. Quis verè æquus rerum æſtimator non indignetur, quòd Adverſarii in hac ipſa Concluſione finali articulo 202. non erubeſcant calumniari Patrem Deſirant, quòd proceſſerit ex fide *illius Petri*, *cujus mendacia* probata fuiſſent per unicam negationem præfati Doctoris Renardi, ubi ipſimet Adverſarii tantam fidem contra P. Deſirant præſtandam volunt eidem Petro, cujus non tantùm anteriores falſitates, verùm etiam ſacrilegia, perjuria, & enormes, nimiſque multæ tum variationes, tum contradictiones perſpectæ & in confeſſo ſunt? Hæccinè Rigoriſtarum placita? Hæccinè Chriſtiana ſimplicitas hominum innocentiſſimorum atque integerrimorum, quorum orbi nota ſit innocentia?

17. In eadem Concluſione finali objiciunt ab articulo 196. uſque ad art. 176. quòd P. Deſirant non potuerit bonâ fide credere hanc Epiſtolam eſſe ſcriptam à Doctore van Eſpen; cùm tamen nullum hactenùs argumentum ſolidum produxerint, ex quo vel præſenti die credi debeat, eandem vel ſimilem à præfato Doctore dictatam non fuiſſe.

18. Articulis 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. toti in eo ſunt, ut efficiant, quòd non potuerit Viro, qui eſt adeò aſtutus, in mentem incidere, quòd Doctor van Eſpen, qui famulum, alioſque ad manus habebat, voluiſſet uti operâ Scribæ publici, qui ſciebatur jam à pluribus menſibus eſſe Patri Deſirant familiaris.

19. Nota, Lector, novam contradictionem. Adverſariis credibile non eſt, quòd P. Deſirant *adeò aſtutus*, *hic falſitatem non fuiſſet detecturus*, prout loquuntur præfato art. 182. Et iidem non erubeſcunt in eadem Concluſione finali art. 776. effutire, quòd, Deo volente, fuerit dementatus, eique applicant illud Poëtæ: *Dii quos perdere volunt*, *dementant*. Scilicet quando Adverſariorum finis exigit, Pater Deſirant debet judicari *aſtutus*; quando non exigit autem, tunc debet condemnari tamquàm dementatus. O ſimplicitas Chriſtiana!

Digitized by Google

20. Judicaverunt autem perquàm aſtuti alii, quòd nulla cognita Petri qualitas obſtaret, quò minùs Doctor van Eſpen ei tales ſcriptiones confidere potuiſſet. Nam inprimis non incœpit Petrus de iſtis ſcriptionibus loqui, poſtquàm Doctor van Eſpen potuiſſet ſcire, quòd Petrus Patrem Deſirant cognoſceret. Oſtenſum eſt enim ſuprà, quòd Petrus incœperit de illis loqui primis diebus, id eſt, ante 18. Octobris 1706., id, quod fuit ſecutum, erat proſecutio. Et in Epiſtola de 13. Januarii, primùm innotuit, quòd Doctor van Eſpen de Petro diffideret, quia intellexerat, quòd parti ſuæ adverſæ familiaris eſſet. Verba ſunt: *Non ampliùs fido iſti ſocio, qui ſcripſit Epiſtolas noſtras; quandoquidem nimis ſæpè habeat negotia cum noſtris inimicis; ſed ſpero fore ut nos non prodat.* Signatum erat *Z. B. V. E.* Et in margine habebatur, *Lovanii hàc 13. Januarii 1707.*

21. Fuit namque etiam hoc ipſum diſcuſſum, an veroſimile eſſet rem tantam prodi per Scribam ſeu ſervum poſſe. Occurrebant autem exempla infinita: Unum pro mille ſufficiat, quod Titus Livius refert Decadis primæ Lib. 2. de ſervo Romano, qui quam audiverat conſpirationem adverſùs inſtitutam Senatûs populique Romani, poſt expulſos per Brutum Tarquinios, libertatem, diſtulerat revelare, donec adeſſent *litteræ, quæ rem redarguere poſſent.* Verba Livii ſunt: *Cùm pridiè, quàm Legati ad Tarquinios proficiſcerentur, & cœnatum fortè apud Vitellios eſſet, conjuratique ibi remotis arbitris, multa inter ſe, de novo, ut fit, conſilio egiſſent, ſermonem eorum ex ſervis unus excepit, qui jam anteà id ſenſerat agi, ſed eam occaſionem, ut litteræ Legatis redderentur, quæ deprehenſæ, rem redarguere poſſent, exſpectabat. Poſtquàm datas ſenſit, rem ad Conſules detulit.* Et Brutus Conſul ſervum audivit, proditoreſque, inter quos duo filii ſui, damnavit. Judicatum fuit meritò, ſimilem poſſe eſſe caſum Petri Nicolai.

22. Fuit etiam examinatum, an non veroſimiliùs Doctor van Eſpen ſcriptiones iſtas confiſus fuiſſet famulo vel fratri ſuo; & pars negativa prævaluit. Cùm enim juxtà ſyſtema propoſitum, deberet Epiſtola cum Formulario tranſire ad plurimas manus, nihil Doctori iſti fuiſſet inconſultius, atque imprudentius, quàm permittere, ut appareret character, ex quo potuiſſet non tantùm prodi, verùm etiam convinci. A charactere Petri Nicolai Tourteau nihil habebat timendum: Cognitæ enim illius anteriores falſitates ſatis numeroſæ, & graves erant, ut omnem illius fidem dejicerent, prout ab eventu patuit, quòd produxerint & objecerint eas ſtatim, poſtquàm Petrus depoſuerat, atque juraverat; ex quo ſequitur, quòd non de iis deliberaverint, ſed paratas habuerint, ut omni tempore proferrent.

23. Fundatur hæc ratiocinatio in confeſſione partis adverſæ, atque in

Digitized by Google

quodam ipſorum argumento ſimillimo, quod in hac Concluſione finali adferunt articulo 713., ubi agitur de adulterina ſcedula, quâ mediante, Petrus intercepit Litteras Henrici Graſper, prout Petrus faſſus eſt in judicio, juxta deductionem ſuam art. 18. *Confeſſo priùs recepiſſe, nomine prædicti Eximii Patris, pro uno faſciculo, quem clam ſurripere non poterat.* Pater Deſirant hanc ſcedulam numquam viderat, niſi in judicio, nec de illa quidquam anteà audiverat, & facilè oſtendit, quòd non eſſet character ſuus, quòdque erratum eſſet in modo, quia ſignatum erat *Bernardus Deſirant*, pro eo, quòd P. Deſirant more Religioſorum ſignare ſoleat: *Fr. Bernardus Deſirant.* Ad confirmandum, quòd de illa ſcedula nihil ſciviſſet, produxit in teſtem Magiſtrum rei curſoriæ, D. Scheybels, qui teſtatus eſt, quòd P. Deſirant illum numquam de illa ſcedula inquiſiviſſet. Ex quo P. Deſirant ſubdebat argumento ad hominem, quòd procul dubio inquiſiviſſet, & inquirere debuiſſet, ſi tale quid ſibi innotuiſſet; quando enim ſciviſſet, quòd Petrus auſus fuiſſet adulterari manum ſuam, non tantùm habuiſſet illum ſuſpectum de omnibus anterioribus; ſed inſuper caviſſet ſibi apud Curſorem, nè illa ſua adulterina manus proderetur; nam ex hoc ſolo, quòd potuiſſet produci adulterina manus Patris Deſirant, debuiſſet Pater Deſirant cognoſcere, quòd omnes Litteræ, quas Petrus attulerat, de falſitate ſuſpectari & convinci poſſent apud unumquemque: & maximè debuiſſet timere, nè Petrus per alias ſimiles adulterinas Litteras nomine Patris Deſirant exequeretur multò plura, de quibus debuiſſet forſan reſpondere.

24. At verò Adverſariorum charitas interpretatur iſta in alium ſenſum. Licèt agnoſcant ſcedulam adulterinam eſſe, nec eſſe characterem Patris Deſirant, attamen præfato art. 713. dicunt: *Proderat Reo ſcedula iſta, apud Curſorem deliteſcens, ut dictum Tourteau ſibi obnoxium haberet, dum ſciret, qualia negotia ei faceſſere poſſet, ratione talis falſitatis: quia ſi Tourteau animo mutaretur, & Reum proderet, habebat Rei inſtrumentum, quo fidem ejus hoc falſo inſtrumento ſub falſificata ſignatura abrogaret.*

25. Quàm verò inanis ſit iſta ſpeculatio, & è contra, quàm æqua fuerit ratiocinatio, quam Pater Deſirant ſtatim retulit, patuit ab eventu. Petrus enim mutatis velis Patrem Deſirant accuſavit, nec tamen Pater Deſirant hanc ſcedulam, ad infringendam Petri fidem, detexit; ſed ipſimet Adverſarii fortaſſis à Petro moniti, hanc ipſam ſcedulam produxerunt in judicio, ut ex adulterata manu Patris Deſirant inferrent, characterem Doctoris van Eſpen etiam adulteratum fuiſſe.

26. Nota interim, Lector, & obſtupeſce, quòd hæc adulterina ſcedula fuerit per Adverſarios producta in judicio, & quòd tam Petrus, quàm

Adverſarii fuerint in confeſſo, quòd ſignatura Patris Deſirant per Petrum ibidem falſata fuerit; & quòd Petrus in ſua deductione numquam auſus fuerit dicere, quòd Pater Deſirant aliquid de hac adulteratione ſciverit. Divina nunc, obſecro, quarè nulla mentio facta fuerit hujus ſcedulæ in Sententia, prout eſt Patri Deſirant per Adverſarios, & non per Judices inſinuata? Quarè non juſſa eſt comburi cum aliis? Dicant noſtri Catones [de Adverſariis loquor] quarè Pater Deſirant potiùs ſuſpectus fuerit, quòd concurriſſet ad fabricationem Litterarum aliarum, quàm ſcedulæ hujus, quandoquidem hoc ipſo, quo Pater Deſirant abſolvitur à ſuſpicione, quòd non concurrerit ad fabricationem unius, per indubitatam conſequentiam abſolvendus ſit à ſuſpicionibus omnibus? Ergonè adulteratio manûs Patris Deſirant Petro Nicolao dimittitur; & ſola, quæ putatur Doctori van Eſpen illata fuiſſe, punitur? Et quid dico punitur? Ergonè, inquam, qui faſſus & convictus eſt, ſe adulteraſſe manum Patris Deſirant, abſolvitur & præmiatur; quia poſt falſitates, ſacrilegia, perjuria, & variationes in judicio confeſſas, ſervivit parti, ut eſſet teſtis ſingularis contra innocentem? O Viros innocentiſſimos atque integerrimos! O jactatam à talibus Chriſtianam ſimplicitatem!

27. Quinimò potiùs, ò Adverſarios rursùs ſuſpectos, quòd habentes verum Librum Reſolutionum, atque ſimilia, quæ factis toti mundo notis conſonant, non timuerint Petri operâ uti! Satis enim erat Doctori van Eſpen cum ſuis, quòd dictum Tourteau ſibi obnoxium haberent, dum ſcirent, qualia negotia ei faceſſere poſſent, ratione anteriorum falſitatum ejus, quas noverant; quia ſi animo mutaretur, & contra Doctorem van Eſpen deponeret, ac juraret, habebat Doctor ille cum ſuis inſtrumenta & documenta, quæ mox producerent, quibus fidem ejus abrogarent, prout reverà, poſtquàm juraverat, ſtatim produxerunt, & abrogaverunt. Eſt argumentum deductum ex principiis Adverſariorum. Judica, Lector, an non ſit benè & cum veritate retortum.

28. Ex omnibus his concluditur, quòd nullo modo Patri Deſirant conſtiterit, ſignaturam Doctoris van Eſpen in famoſa Epiſtola de 10. Januarii 1707. adulteratam fuiſſe. Si D. Henricus Malcorps cenſeat adulterationem fuiſſe notoriam, ipſe viderit, cur non obſtante notorietate, quam agnoſcit, Petrum Nicolaum ſtatim ad contrarium juramentum admiſerit, ſtatimque exclamaverit: *Dien leck en ſullen de Janſeniſten noyt afvvaschen.* Ipſi tamen character Doctoris van Eſpen erat notiſſimus, non Patri Deſirant. Cùm verò conſtet, & fateatur, quòd primum fecerit, & ſecundum dixerit, apparet, quòd ſignaturæ adulteratio notoria non fuerit.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

Confutatio quinti gravaminis: *quòd prædicta Epiſtola apud Reum viſa ſit, & quòd eam pluribus legendam exhibuerit.*

1. ARticulus hic propoſitus fuit univerſaliter, & vago modo, ſine expreſſione ullius circumſtantiæ particularis: quod factum eſſe de induſtria, non eſt dubium: ut ſcilicet haberent plenitudinem deſcendendi ad ſingularia, quorum P. Deſirant non haberet notitiam, proindeque liceret ipſis allegare quæ vellent: ita ut Pater Deſirant non poſſet ſcire, ad quid reſpondere deberet; nihil enim illi fuit communicatum, præter vagum illum & univerſalem libellum gravaminum, prout ſæpiùs dictum atque probatum fuit: judicent Practici, quòuſque proceſſerit & exceſſerit libido criminandi.

2. Sciebat P. Deſirant Epiſtolam illam apud ſe viſam fuiſſe, & quòd eam aliquibus legendam exhibuerat, in finem optimum & perquàm neceſſarium. Ideoque reſpondit: *tranſeat in bonum finem.*

3. Hunc bonum finem explicavit, atque probavit in ſua uberiori reſponſione, prout ſtatim repetetur in confutatione ſexti gravaminis ubi agitur de copiis. Illic etenim commodiùs atque diſtinctiùs exponetur, quo bono fine originale acceperit, aliis oſtenderit, copias fieri juſſerit, uſusque fuerit, & reſpondebitur ad ea, quæ jam primùm ſciuntur objecta fuiſſe in Concluſione finali.

CAPUT SEXTUM.

Confutatio ſexti gravaminis: *quòd plures copias ejuſdem fieri, eaſque authenticari curaverit, & iiſdem ad fines ſuos uſus fuerit.*

1. EST hic pariter articulus vagus & univerſalis, confuſo modo propoſitus, ad ſpoliandum Reſpondentem defenſionibus à jure & praxi requiſitis. Triſtis potentia, quæ tantùm valet, ut nè quidem coram quo cauſa inſtructa fuit, toties requiſitus curaverit communicari accuſato ullam circumſtantiam in individuo, ad quam reſpondere debuiſſet! Ex ſolo publico rumore per Adverſarios ſparſo, ſcedulam contrariorum factorum contexuit. Inſpectâ autem Concluſione finali, dudum poſt Sententiam impreſsâ, jam primùm cognoſcit quas circumſtantias objecerint. O! ſi

Eccleſia Romana in ſuis judiciis unquam ſic procederet, quamdiu dicerent, quo ſe modo jactarent! Tempus eos citiùs, quàm verba deficerent. At videbat P. Deſirant ſe fruſtrà conqueri, fruſtràque jus & praxim invocare, prout conſtat ex actis. Decretum enim erat: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden.* Forſan ſenſus erat, quòd deberet invadi & accuſari *byſonderlyck*, id eſt, *modo ſingulari*: Reſpondit ergo: *tranſeat in bonum finem.* Quarè hic bonus finis explicandus venit. Quod ut præſtetur diſtinctiùs, procedemus per Paragraphos.

§. I.

Quânam authoritate, & quomodo P. Deſirant *originale acceperit.*

2. Satis ſuperque oſtenſum fuit, quòd Petrus Nicolaus tamquam à Confeſſario ſuo miſſus ad aliquem de ſtricta Facultate Theologica, venerit ad Patrem Deſirant, veluti illius Facultatis Regentem. Petrus falſus eſt, dum in judicio reſpondit, & in hac reſponſione perſtitit in *Deductione loco motivi* ad art. 11. in verbis: *Scipſum Epiſtolam tuliſſe ad Eximium P. Deſirant.* Si ad Patrem Deſirant tulerit, ergo nec apud Patrem Deſirant fabricata, nec deſcripta fuit. Nec obſtat, quòd Petrus poſteà in quibuſdam ſcedulis per ipſum ſcriptis, & malè recognitis dixiſſet contradictoria: nam jam ſatis reſponſum fuit, poſtremas haſce contradictiones non juratas, eſſe informes, non attendendas, & ſatis revocatas per hoc, quòd Petrus ad reſponſiones priores finaliter in illa *deductione* redierit; præterquàm quòd examinandum reſtet, an & quantum illæ ipſæ confeſſiones ponderis habeant, ad elidendam primam depoſitionem juratam, quam die 5. Martii fecerat contra Doctorem van Eſpen. Sæpiùs hæc repetenda ſunt: quia evenient forſan, quæ Doctor ille non exſpectat.

3. Ex Petri acta de 27. Januarii ſuprà relata conſtat, quòd Epiſtolam illam tulerit ad Patrem Deſirant, tamquam exiſtentem de ſtricta Facultate. Verba ſunt: *Tempeſtive omnia revelavit alicui ex ſtricta Facultate Theologica, confidens, ſe per hoc ſatisfeciſſe obligationi ſuæ*

4. Hic reſpondendum ad ea, quæ nunc primùm ſcimus contra hanc actam in ſua Concluſione finali ab articulo 604. uſque ad art. 638. ab Adverſariis objici. Nihil autem hos articulos continere præter ſubtilitates Philoſophicas, cavillationes, & tricas pueriles, legenti patet.

5. Occurrit etiam contradictio manifeſta: nam art. 614. fingunt, non quòd Notarius depoſuerit, ſed quòd ex ejus depoſitione *conſtet, quòd actam illam conſcripſerit ex minuta aliqua confecta.* Et articulo 630. quaſi ex dictis Petri aſſerunt, quòd P. Deſirant *dictam actam cum Notario van Dormael*

mael confecerit. Illa non ſtant ſimul, Notarium deſcripſiſſe actam *ex minuta aliqua confecta*, & eundem Notarium *actam confeciſſe* ſimul cum Patre Deſirant. Sed hæc ſunt parva. In Concluſione finali recurrunt centenæ contradictiones ſimiles, quibus exagitandis volumina vix ſufficerent. Veritas eſt, quòd nihil extiterit, niſi ipſa acta, prout fuit in judicio conſignata. Et quòd Petrus dictaverit ea quæ ipſum concernebant.

6. Objiciunt autem art. 615. quòd P. Deſirant ad art. 70 ſcedulæ contrariorum factorum propoſuerit, *quòd dictus Notarius exceperit depoſitionem Petri Tourteau, multa dictantis, & liberrime ſignantis*, & quòd Notarius *ſimpliciter reſponderit, ſe excepiſſe depoſitionem à Petro N. ſignatam.*

7. Benè habet quòd habeamus ad manum legitimam eorum copiam quæ Teſtes à Patre Deſirant producti depoſuerunt. Nihil erit facilius oſtenſu quàm quòd Adverſarii inveterato more textum falſaverint. Hoc dolendum quòd eò venerint ut ſit ipſis perquam difficile aliter facere. Itaque legantur acta, non falſata, ſed vera. Ibidem invenietur, quòd Hieremias Joſephus van Dormael die 20. Julii 1707. comparens, ad illum 70. articulum reſponderit in terminis: *ſe excepiſſe depoſitionem Petri Nicolai Tourteau, ſubſignatam à Petro Nicolao Tourteau, & hic conſignatam.* Proindeque bis ponit nomen *Petri*, ad ſignificandum, quòd non tantùm ſignaverit; ſed etiam, quòd ipſemet depoſuerit.

8. Æquè cavillatorium eſt, quod objiciunt art. 621. nimirum in illa acta dici, quòd Petrus fuerit *monitus & requiſitus ex parte Illuſtriſſimi Domini*, cùm tamen nullus ex parte Illuſtriſſimi Domini adfuerit. Fatentur tamen adfuiſſe Patrem Deſirant. Quaſi verò hic Pater non potuerit Petrum ſic monere & requirere. Inquirant ipſi priùs diligenter, an P. Deſirant non informaverit prævìè hunc Illuſtriſſimum, & monitionem acceperit, ut Petrum omni poſſibili diligentiâ examinaret? Sed nihil hæc ad veritatem actæ, prout neque illud, quod articulo 638. fingunt, quòd P. Deſirant aliquam hujus actæ copiam fieri juſſerit, aut miſerit ad ullam altiorem poteſtatem. Tam levibus argumentis nituntur jactantiæ, quas ſtilo quotidianis operibus ſuis digno exprimunt art. 640. his verbis: *deducta ſunt mendacia, fraudes, quin & ſacrilegia, quibus Reus eſt uſus, ut ſcelerato huic & fictitio commento aliquam in perniciem innocentium conciliaret authoritatem, & ſuperioribus Poteſtatibus fucum faceret.* Numquid innocentiſſimi atque integerrimi, qui ſic loquuntur, & talia imprimunt? Numquid hic eſt ſtilus Joſephi van Saudt, & alterius Anonymi, de quò ſuprà cap. 1.?

9. Incœpit ergò P. Deſirant in menſe Octobris 1706. examinare negotium, tamquam exiſtens de ſtricta Facultate. Petrus verò nihil ſcripti attulit, niſi poſt medium Decembris ejuſdem Anni. Primum quod tu-

Digitized by Google

ſit, erat duplicatum Epiſtolæ, ad P. Emmanuelem Ballexo die 20. Septembris 1706. ſcriptæ, quod dicebat primitùs fuiſſe ſignatum à Doctore van Eſpen, nomine ſuo expreſſo ad longum, ſed quòd mutato conſilio deleverit nomen, ſubſcripſeritque de novo quatuor Majuſculis Z. B. V. E. Cùm verò videret hanc lituram & mutationem nimis deſiguratam eſſe, juſſerit iterùm deſcribi, ſignaverit, & deſtinari fecerit. Hoc duplicatum ideò fuiſſe neglectum, numquam clauſum, & à Petro cautè retractum, & de mandato Confeſſarii ſui latum ad Patrem Deſirant. Hoc duplicatum fuit conſignatum in judicio die 4. Maii, & eſt per omnia repertum tale, quale per Petrum deſcriptum fuerat, prout videri potuit.

10. Nulla fuit difficultas, ut permitteretur aperiri & legi. Numquam enim clauſum fuerat, eratque manifeſtè character Petri, qui tamquam coactus & ſeductus complex conſentiebat. Scriptæ ſunt aliæ Epiſtolæ uſque ad 10. Januarii 1707. prout patet ex citata acta.

11. Hic memorandum, quòd tunc temporis ſtrictæ Facultatis Decanus erat Eximius Pater Hieronymus t'Seraerts, qui die 23. Julii in judicio ad articulos 49. 50. & 51. ſcedæ contrariorum factorum reſpondit, *quòd tunc temporis fuerit Decanus S. Facultatis, & foras diſceſſerit die 22. Decembris 1706. valedicto Eximio Patri Deſirant aliquibus diebus ante. Et ad art. 52. quòd tantummodo reverſus fuerit die 8. Januarii 1707. Et ad art. 83. quòd non niſi aliquibus diebus poſtea idem Decanus habuerit occaſionem loquendi Eximio Patri Deſirant.* Et ad art. 34. ſe neſcire an P. Deſirant iſtius reditûs notitiam habuerit ante 13. Januarii.

12. Ex quibus P. Deſirant in ſua uberiori reſponſione concluſit præcipua examina circa Litteras adhibita fuiſſe per Patrem Deſirant exiſtentem vice-Decanum. Cùm enim ſit ſenior Reſidens, ſecundùm ſtatuta, jure ſuo eſt vice-Decanus perpetuus, Decano abſente vel impedito. Hâc explicatione jacent ridiculæ exclamationes, quas Adverſarii faciunt, quòd P. Deſirant aliquando inter reſpondendum dixerit, ſe iſtam denuntiationem acceptaſſe non ſolùm veluti ſtrictæ Facultatis Regentem, ſed etiam ut vice-Decanum perpetuum; cùm etenim ſe ſatis clarè explicaverit, quòd Decanus eligatur per ſemeſtre, & illo abſente vel impedito, non ſoleat vice-Decanus eligi, ſed ſenior ſuccedat jure ſuo; hoc ſenſu ſatis clarè intelligitur, quòd ſit vice-Decanus perpetuus.

13. Quænam verò, & quanta ſit ſtrictæ Facultatis Regentium authoritas, non tantùm ex faſtis Academicis, ſed etiam ex ſtatutis conſtat, authoritate Apoſtolicâ & Regiâ in viſitatione anni 1617. confirmatis; ubi omnibus ſacrâ Theologiâ graduandis, promiſſionis & juramenti formula proponitur: *Jurabis, à doctrina, quam Facultas concorditer determinaverit*

Digitized by Google

non eſſe communiter tenendam, aut quæ prohibita eſt in Eccleſia ut ſuſpecta, vel ſcandaloſa (ſub qua declarat Facultas comprehendi articulos in Bulla Pii V. Pontificis prohibitos) abſtinere, & promittes, quòd ſi deſuper probabiliter in hac Univerſitate habitans accuſatus fueris, præcepto Facultatis obedies. Promittes etiam, quòd alios Facultatis ſubjectos, quos certò prohibitæ vel ſuſpectæ doctrinæ reos noveris, intra unum menſem Decano vel Facultati deferes.

14. Ex quibus evidenter patet, quòd ſtrictæ Facultatis Decanus, & illo abſente, vice-Decanus ſtabilitus ſit ad admittendas ac dirigendas denuntiationes, vel accuſationes in ſimilibus caſibus factas & faciendas. Quin etiam hoc ſingulo Regenti incumbit juxta praxim, ita tamen ut ipſe ſuo tempore Decano, vel vice-Decano referat, poſtquàm *certò prohibitæ vel ſuſpectæ doctrinæ reos noverit.* Hæc authoritas tranſiit in obligationem, præſertim accedente nupero Brevi Apoſtolico Clementis XI. feliciter regnantis, Romæ die 12. Decembris 1705. dato, & Lovanii in principio Anni 1706. homologato, in quo Sacræ Facultatis Regentibus non tantùm de iis, quæ in hiſce materiis fecerant, ſingulare encomium datur, verùm etiam exhortatio adjicitur *pergite*, inquit Pontifex.

15 Quibus mediantibus jacent articuli 261. 262 Concluſionis finalis. Oſtenſum eſt enim, quòd licèt Eximius P. t'Seraerts Lovanium rediiſſet die 8. Januarii 1707. prout objiciunt art. 263. attamen Pater Deſirant hunc reditum ignoraverit uſque ad decimam-tertiam ejuſdem menſis; & quòd idcirco tutò perrexerit, prout incœperat à die 22. Decembris 1706., quando præfatus Eximius Pater Lovanio diſceſſerat, & vice-Decanatus in Patrem Deſirant devolutus fuerat.

16. Sunt autem abſona & à ſtatutis & praxi Theologicæ Facultatis exorbitantia, quæ adducunt art. 264. 265. & 266. quòd P. Deſirant Decano reduci debuiſſet omnia notificare, quod tamen factum non eſſe, cum magno apparatu nituntur oſtendere & probare ex neſcio quibus declarationibus præfati Decani, de quibus agunt art. 267. 268. 269.

17. Obligatio enim referendi Decano, vel Facultati juxta ſtatuta, manifeſtè prærequirit, quòd *certò noverit*, prout ſuprà oſtendimus art. 13. Et poſtquam *certò noverit*, ſtatuta largiuntur tempus unius menſis ad examinandum & diſponendum. Verba ſunt: *intra unum menſem Decano vel Facultati deferes.* Nec ſtatuta in hoc caſu obligant *ſub juramento*, prout Adverſarii nimis leviter aſſerunt & non probant art. 265. ſed ſub ſimplici promiſſione, in verbis ſupra relatis, *promittes etiam.* Nec refert, quod juramenta & promiſſiones videantur confundi; norunt enim Theologi, quòd in fine ſufficienter diſtinguatur, dum à ſingulo graduando dicitur: *promittenda promitto, juranda juro.*

Digitized by Google

18. Reliquum eſt, ut ad majorem abundantiam juris oſtendatur, quòd P. Deſirant in nullo articulo prætererit tempus à ſtatutis præfixum. Inprimis ſtatim, ut audiverat loqui de Congregationibus, retulit Facultati, prout Adverſarii fatentur, & inde infundatam objectionem formant art. 204. de Doctore Renardi, qui dixiſſet, Doctorem van Eſpen fuiſſe abſentem, & Licentiatum Melis infirmatum. Litteræ in quibus aliquid contra dogmata Catholica & Eccleſiæ ſtatum continebatur, allatæ ſunt circa finem Decembris 1706. & Licentiatus Opſtraet, antequàm menſis expletus fuiſſet, die 22. Januarii 1707. evulgaverat copiam famoſæ Epiſtolæ de 10. Januarii 1707.: Cùmque aſſereret Epiſtolam eſſe fictam, & Facultas meritò concluſiſſet, urgendam eſſe reproductionem Originalis; nihil ulteriùs Patri Deſirant faciendum erat intra hunc menſem, partim quia Petrus Nicolaus, qui benigniùs tractandus erat, eò quòd ſupponeretur denuntiaſſe occaſione Confeſſionis Sacramentalis, non cupiebat nomen ſuum declarare ſuâ ſponte, nè ſibi compararet indignationem, & privaretur ſalario, quod ſibi dicebat deberi à Doctore van Eſpen; partim quia tutiſſimum videbatur hanc Originalis reproductionem exſpectare, quando Petrus poſſet ſic produci, ut nec Adverſarii ſciviſſent, ſeſe fuiſſe per illum anteà detectos; & ipſimet reproducendo Originale, dediſſent occaſionem ut Petrus interrogaretur & reſponderet: quo caſu Petrus potuiſſet eis reſpondere, quòd illi fuiſſent in cauſa, dum primò evulgaverant copiam, & poſteà reproduxerant Originale. Satis enim erat quòd Petrus conſcientiâ motus veritatem declaraſſet; non debebat exponi odio & indignationi partis potentiſſimæ ſine cauſa vehementiſſima. Denique Liber Reſolutionum allatus fuerat die 27. Januarii, & Litteræ Henrici Graſper die 16. Februarii; quia verò non ſoli Theologi, ſed etiam aliarum Facultatum ſuppoſita in illis involvebantur, Pater Deſirant cuncta detulit D. Rectori Leunckens die 23. & 25. Februarii; rurſùs intra menſem. Hiſce perpenſis viderint Adverſarii, quo fundamento tam facilè exclamaverint articulo 261. *mera ergo hæc mendacia ſunt*, & art. 263. *abſurda rurſùs mendacia!* Scilicet utuntur ſtylo Joſephi van Saudt & alterius Anonymi.

19. Nihil ergo Patrem Deſirant acceptaſſe, vel egiſſe authoritate privatâ, ſed quæ muneris ſui erant, geſſiſſe authoritate publicâ, perſpicuum eſt. Judicabis Lector ex ſubſequentibus, an Adverſarii, qui ſibi decreverant, neſcio quam dicendi, ſcribendi, agendique libertatem vindicare, non adinvenerint hanc accuſationis machinationem, ad terrefaciendos, deſtruendoſque, quos ſciebant doctrinis, & moribus ſuis, juxta Sedis Apoſtolicæ intentiones ex officio invigilare.

Digitized by Google

§. II.

De modo, quo P. Deſirant *à* Petro *acceptavit Epiſtolam de* 10. *Januarii* 1707., *ac de diligentiis erga illum ſervatis.*

20. MOdum, quo Pater Deſirant famoſam de die 10. Januarii 1707. à Petro tanquam ex Confeſſarii ſui ordinationibus denuntiante Epiſtolam acceptavit, ſatis deſcripſit & vindicavit in ſua uberiori reſponſione. Adverſarii autem ad hoc reſponderunt, aſſumentes dogma tam heteroclytum, ut operæ prætium ſit producere excerptos ex illorum Concluſione finali articulos ſequentes.

21. Verba ſunt: 207. interrogatus, *quomodo alienam Epiſtolam auſus fuerit aperire & legere?* Reſpondit: *Ex ſuperinſcriptione, videbat eſſe characterem ipſius Tourteau junioris, qui referebat contineri horrenda à ſe ſcripta, & ab alio ſubſignata; quòd ferret eam ex ordinatione ſui Confeſſarii pro denuntiatione: argumentabatur; ſi Epiſtola ſit ficta, tota pertinet ad Tourteau, & de ejus licentia poteſt aperiri: ſi ſit facta vel vera, continet horrendum ſcelus, in quo Tourteau equidem eſt complex, tamquam ſcriptor, & eo caſu ſcelus ulteriùs poterit examinari. Hoc argumento ſe permotum eſſe, ait, ad aperiendam Epiſtolam. Horrendum ſanè argumentum! quo via ſternitur ad omnem fidem & ſecuritatem Rei Curſoriæ adimendam, & litterarum commercium ſubvertendum! Si enim liceat litteras etiam apud Curſorem interceptas aperire; eo quòd juvenis aliquis, cujus etiam fides pluribus ex circumſtantiis vacillat, aſſerat, eas horrendum ſcelus continere; quæ tandem litteræ erunt ſecuræ? Ad hæc ponatur, reverâ Reum fundatè ſuſpicatum fuiſſe, quòd ſcelus horrendum in hâc Epiſtola contineretur; an ipſi licebat propriâ & privatâ authoritate, prætextu ſceleris detegendi, Epiſtolam alienam apud Curſorem publicum interceptam, aperire?*

22. Quot verba, tot errata. Qui tamen legit ea, nec audit alteram partem, primâ fronte putaret, homines confidentiſſimos magna facta probare. Hi effectus deſolatiſſimæ praxis contra Capitulum *qualiter & quando* ☒ de accuſationibus introductæ, de non communicandis parti teſtium dictis.

23. Exorbitant autem primò, quia cùm ſupponant Epiſtolam fictam fuiſſe, & à Patre Deſirant in ſuo cubiculo deſcribi juſſam, ridiculè exaggerant illam apud Curſorem interceptam, & *horrendo modo* apertam fuiſſe. Quid ad hoc? Secundò, quia nuſquam P. Deſirant, aut ipſe Petrus dixit, hanc Epiſtolam apud Curſorem fuiſſe. Legatur acta Petri ſuperiùs reclamata de 27. Januarii 1707., invenientur verba: *quòd ſuis oculis viderit dictum Clariſſimum D. van Eſpen dictas Litteras ſuâ manu ſignantem quatuor*

Digitized by Google

Majuſculis, poſt ſingulam ponendo punctum, & dein Litteras claudentem, & mittentem ad Poſtam per famulum ſuum. Et in ſua deductione art. 11. ubi incœpit poſt minas & promiſſiones factas, Doctorem van Eſpen excuſare, declarat, *ſe nomen & ſignaturam Clariſſimi D. van Eſpen adulteraſſe, & ſic adulteratam tuliſſe ad Eximium Patrem Deſirant.* Nullibi dicitur, quòd Epiſtola unquam extitiſſet apud Curſorem. Econtrà Petrus Patri Deſirant retulerat, quòd cum famulo Doctoris van Eſpen conveniret, & quòd Litteras ex ipſius manibus accepiſſet. Atque hæc una ex cauſis fuit, cur Pater Deſirant ſtuduerit dicto famulo loqui, & cautè inquirere, an Petrus vera dixiſſet. Norunt id, & fatentur Adverſarii articulo 344., licèt in ſubſequentibus quædam frivola objiciant, ad quæ infrà reſpondebitur ſuo loco. Tertiò, malè ſupponunt art. 209 quòd Petri fides tunc ex variis circumſtantiis vacillaret; quin etiam, ſi ſaperent, erubeſcere deberent, dum talia objiciunt ipſi, qui Petro fidem tribuendam aſſerunt, poſtquàm notiſſimæ illis ſunt anteriores, & ulteriores ejus falſitates, ſacrilegia, perjuria & variationes. Sed nempè Haruſpex Haruſpicis fidem prædicat. Hoc mirum, inquit Cicero, quòd Haruſpex Haruſpicem intuens non rideat. Quartò, ſunt igitur impertinentia, quæ hîc de inſtituendo recurſu ad Poteſtatem Regiam ingeminant. Quintò, hoc prorsùs inconſtans, quod articulo 212. effutiunt: *Ipſius ergo erat, Epiſtolam hanc, ùt minùs, ad Magnificum D. Rectorem deferre.* Nam ubi P. Deſirant ſe juſtificavit, quòd Litteras Henrici Graſper ad ſe latas apertas aliquibus diebus detinuerit, quia Petrus, qui ſciebatur Rectori familiaris, dicebat ſe illas ferre ex Rectoris ordinatione. Ridiculè exclamant art. 681., *quòd nulla eſſet veriſimilitudo, quòd illi Rector ſe immiſcere voluiſſet.* Ita duplici ore loquuntur in eadem materia interceptionis. Nunc dicunt, quòd P. Deſirant debuiſſet Litteras interceptas Rectori deferre; nunc redarguunt, quòd interceptas, Rectori deferendas eſſe duxerit. Ecce cum qualibus hominibus vixerimus!

24. Ultimò, procudunt novum dogma, Eccleſiæ & Reipublicæ maximè pernicioſum, quòd non liceat complici, per Confeſſarium monito, detegere Litteras, quas ſimul cum alio ſcripſit, ad impediendam conſpirationem contra Religionem & Statum Eccleſiaſticum. Legantur articuli 210., ubi procedunt etiam ex ſuppoſito, quòd P. Deſirant *reverà fundatè ſuſpicatus fuiſſet, quòd ſcelus horrendum in hac Epiſtola contineretur.* Quaſi verò complici tali caſu non liceret proprias Litteras, etſi jam apud Curſorem exiſtentes recuperare, tametſi interveniſſent alii, qui ad ſcriptionem concurriſſent. Non eſſe tamen hunc caſum noſtrum, oſtenſum eſt ſatis. Cognoſcimus interim Adverſariorum laxitatem.

Digitized by Google

25. Non impedivit ergo, nec debuit P. Deſirant impedire, ut Epiſtola cautè extraheretur ex cooperculo ſuo, ſine ejus laxatione. Et ubi rem horrendam, verumtamen non incredibilem conſpexit, ex tempore requiſivit Petrum, ut aliquam illius copiam deſcriberet. Intentio illius erat, ut experiretur, qualiter Petrus in hac copia formaturus eſſet quatuor Litteras Z. B. V. E. ſi enim eas delineaſſet eo modo quo reperiebantur in Originali, nihil ulträ requiſitum fuiſſet ad detegendam fictionem. Petrus verò copiam deſcripſit, & quatuor illas Litteras formavit charactere prorsùs diverſo, prout in judicio oſtenſum fuit per dictæ copiæ conſignationem: nec Adverſarii auſi fuerunt contradicere, nec Petrus licèt toties varians, quidquam adinvenire, ut hanc Patris Deſirant diligentiam, quâ magis magisque in opinione ſinceritatis confirmatus fuit, redargueret.

§. III.

De duobus Notariis, quibus P. Deſirant *ſecretò oſtendit Originale.*

26. POſt hæc P. Deſirant, qui Doctoris van Eſpen characterem non noverat, aliam, eamque majorem diligentiam adhibuit, ad detegendam veritatem. Copiam illam cum Originali duobus Notariis fide digniſſimis oſtendit, ſeparatim & diſtinctis diebus; & ab eis, ſub prævio ſecreto naturali requiſivit, ut ſi verum Doctoris van Eſpen characterem aliundè cognoſcerent, ſincerè judicarent, an quatuor iſtæ Majuſculæ veræ ipſius eſſent.

27. Primus fuit D. van Schonbroeck Advocatus & Notarius, qui ad articulum 66. ſcedæ contrariorum factorum juratò depoſuit: *quòd pluries viderit characterem & ſignaturam Clariſſimi D. van Eſpen, & quòd eandem adhuc domi ſuæ habeat.* Et ad articulum 67. *quòd ipſi fuerit oſtenſa die* 10. *Januarii Littera de data* 10. *Januarii, & quòd eam perpluries legerit.* Et ad articulum 68. *quòd diu dubitaverit an eſſet ſignatura Clariſſimi Domini, nec tunc aliud potuit judicare; & quòd ipſe deſuper ſervaverit ſecretum naturale.*

28. Alter fuit Jeremias Joſephus van Dormael S. Theologicæ Facultatis Bedellus, & Notarius, qui ad dictum art. 66. pariter reſpondit: *ſe vidiſſe diverſas quitantias ſignatas per Clariſſimum D. van Eſpen, idque in ædibus ſuorum Parentum, idque occaſione, quòd Cognata deponentis Maria van den Vogeſlang, habitans in ædibus Parentum deponentis, dictas quitantias haberet ſub ſe.* Et ad art. 67. *ſibi Epiſtolam de* 10. *Januarii eſſe oſtenſam.* Et ad 68. *ſe quidem judicaſſe quatuor Litteras Z. B. V. E. eſſe ſimiles, non autem judicaſſe, eas eſſe reverà Clariſſimi Domini van Eſpen ex eo, quòd dictum Cla-*

Digitized by Google

riſ. Dominum ſcribentem eas non viderit : & ſe ſemper ſervaſſe ſecretum naturale.

29. Ex duobus ergo Notariis Viris probiſſimis, & quos Pater Deſirant ſciebat non eſſe locuturos contra mentem, præſertim in tanto negotio, quos etiam noverat nullo odio contra Doctorem van Eſpen præventos eſſe; intellexerat judicatam concordiam, cujus eò major erat authoritas, quòd ſeorſim interrogati, idem judicium protuliſſent. Rogavit itaque ut copiam authenticarent, ſic tamen ut non aſſererent, eam Doctoris van Eſpen eſſe : judicium enim hoc eſſe alterius moliminis; ſed ſimpliciter, *concordantiam atteſtor*, patet ex ipſamet copia, quæ in judicio conſignata eſt, ubi reperire eſt utriuſque Notarii nomen, ſic tamen, ut ſingulus ſcripſerit ſeorſim, nihil ſciens de altero. Fallor, aut hic modus redolet ſincerum ſtudium detegendæ veritatis, ſine læſione alterius famæ. Non fallor, inquam, quia quilibet rationabiliter ſic vellet fieri ſibi.

§. IV.

De modo & cauſis, propter quas Originale deſtinatum fuit, & de modis quibus id accidit.

30. NOn tantùm ab eventu patuit famoſam Epiſtolam deſtinatam fuiſſe, ſed etiam Adverſarii in eo conveniunt, quòd P. Deſirant non impediverit, quòminùs deſtinaretur. Ex variationibus ſui Petri Nicolai plus dicunt, quòd ipſemet P. Deſirant eam deſtinari fecerit per ſervientem ſuum, adduntque, quòd reſervaverit ſibi præfatam copiam, ut per illam diffamaret & accuſaret Doctorem van Eſpen, cum reliquis innocentiſſimis, atque integerrimis Viris, quorum innocentia orbi nota, nihil eſt aliud, quàm continua ſimplicitas Chriſtiana.

31. Valdè ſimplicem reputant Patrem Deſirant, ſeu potiùs Lectorem, (de Judicibus non loquor) qui apprehendat ullam veroſimilitudinem, aut poſſibilitatem, ut Vir ſanæ mentis volens Adverſario nocere per fictas litteras, ejus nomine exaratas, Originale mitteret ad ipſummet Adverſarium, qui de illo diſponere poſſet, prout vellet, ſibique reſervaret ſimpliciter copiam. Quando Arriani finxerunt litteras ſub nomine & adulterino Charactere S. Athanaſii, has originales non miſerunt Athanaſio, ſed Imperatori Conſtantio, ut ille credens S. Athanaſii eſſe Athanaſium in Italiam mitteret, prout miſiſſe dolet Athanaſius Apologia prima pag. 156. ſimilem Hiſtoriam Titus Livius refert libro 4. de impio ſtratagemate, quo Perſeus fratrem ſuum Demetrium apud Patrem ſuum Philippum ultimum Macedonem Regem accuſavit & perdidit. *Perſeus enim, cùm*

cùm in dies magis cerneret favorem & dignitatem Demetrii fratris apud multitudinem Macedonum creſcere, & gratiam apud Romanos; ſibi nullam ſpem regni ſupereſſe, niſi ſcelere ratus, ad id unum omnes cogitationes intendit. Litteras fingi curavit ſub nomine Titi Quintii, Conſulis Romani, Philippo Regi inviſi, quaſi ad ipſum Philippum in favorem Demetrii datas, & hoc medio ſuſpicionem movit, quòd Demetrius illas procuraviſſet; atque hoc pacto innocens Demetrius à Rege Patre ad mortem ex ſuſpicione damnatus fuit, neque fallacia, niſi ſerò detecta fuit, Patri acceleravit dies, totique Macedoniæ Regno fatalis extitit. Caviſſent profectò Arriani, caviſſet quoque Perſeus efficere, ut fictæ litteræ deſtinarentur Athanaſio, vel Demetrio, aut alicui ejus neceſſario, qui rem detexiſſet. Si ergo P. Deſirant putaſſet litteras fictas eſſe, ſi finxiſſet, aut ad illarum fictionem ullo modo directè vel indirectè concurriſſet, non permiſiſſet Originale deſtinari ad Licentiatum vanden Neſſe, quem ſciebat eſſe alterum van Eſpen, cui inſcripta & deſtinata fuit; ſed vel ſervaſſet ſibi, vel miſiſſet ad aliquam Poteſtatem, quæ potuiſſet Adverſariis nocere. Mittendo enim hoc inſtrumentum Originale ad declaratum Adverſarium ſuum, miſiſſet ei arma, non modò defenſionis, ſed etiam novæ aggreſſionis, ſi quo modo ſciviſſet eſſe ficta. Nemo equidem debet præſumi tam ſtultè odiſſe, ut inimicum volens ferire, ei gladium porrigat, quo ipſemet juguletur.

32. At verò, inquiunt, P. Deſirant ſciebat, ſe reſervaſſe ſibi Copiam, per duos præfatos Notarios authenticatam.

33. Imò verò, ſciebat etiam, poſtquam Originale fuiſſet deſtinatum, nihil ſe per copiam iſtam poſſe aſſertis Adverſariis nocere: nam inprimis non erat expreſſum in copia, quòd illæ quatuor litteræ eſſent Doctoris van Eſpen. Ne nomen quidem ejus in copia expreſſum fuit, prout conſtat legenti eam. Eſt enim conſignata in judicio. Sciebat P. Deſirant, quòd in omnem eventum Notarii interrogati nihil potuiſſent ex memoria deponere: quàm quòd recordarentur iſtos characteres viſos fuiſſe ſimiles, neutrum autem vidiſſe ſubſignantem. Sola aſſertio Petri erat, & manebat ſingularis. Fuerant adhibiti Notarii, non ut Pater Deſirant illorum judicio uteretur ad diffamandum, vel accuſandum, ſed attento, quòd Doctoris van Eſpen characterem non noſſet, ut ex illis intelligeret, an res denuntiata mereretur ulterius examen.

34. Cauſæ cur non impediverit, quò minùs deſtinarentur, fuerunt ſequentes. Petrus omnibus modis inſtabat, ut deſtinaret. Urgebat, quòd eam in illum finem, & ſub illa ſponſione accepiſſet à Doctoris famulo, prout ſe accepiſſe depoſuit in ſupradicta acta ſua, quam fecit die 27. Ja-

Digitized by Google

nuarii 1707. coram præfato Notario van Dormael. Niſi Doctori van Eſpen conſtaret, hanc Epiſtolam, quæ propter gravitatem contentorum ſuorum procul dubio ipſi maximè cordi erat, deſtinatam fuiſſe, quòd certò certiùs eſſet invaſurus famulum, & famulus detecturus Petrum, & Petrus incurſurus indignationem, paſſurus perſecutiones, & amiſſurus ſalaria, quæ illi nondum plenè à præfatò Doctore ſoluta fuerant, prout ſæpè repetiit præſente R. P. Franciſco d'Herbe; & ex infrà deducendis patebit, quòd coram pluribus ſuſtinuerit, nimirùm Doctorem van Eſpen ſibi debere. Atqui Pater Deſirant ex contemplatione, quòd Petrus dixiſſet, ſe miſſum à Confeſſario ſuo, & hanc detectionem fieri ex motivo conſcientiæ, ſtabilito in Sacramento Pœnitentiæ, promiſerat ſe abſque illius conſenſu nihil facturum, undè potuiſſet damnum pati; omnis ergo honeſta ratio fuit, ut deſtinationem, quam Petrus volebat facere, non impediret.

35. Illam verò à Petro deſtinatam fuiſſe, ipſe Petrus cum oblatione juramenti declaravit die 27. Januarii, in præfata acta ſua coram Notario van Dormael facta, ubi de factis propriis, & non de alienis loquens, nominat tres Epiſtolas deſtinatas, atque hanc collocat inter illas, prout legenti patet. Et die ſequenti, id eſt, 12. Januarii 1707. retulit, deſtinatam eſſe, & pro ratione allegavit, quòd viderit illam repoſitam in faſciculo litterarum Bruxellenſium apud Curſorem: atque ab eventu patuit eam perveniſſe ad manus Licentiati vanden Neſſe, licèt ſuperius cooperculum fuiſſet inſcriptum ad quamdam filiam devotam, de qua profectò P. Deſirant non cogitaſſet, ſi quidquam quovis modo ad iſtum Licentiatum mittere voluiſſet. Reliquit hoc negotium Petro. Mirum, undè didiciſſet Petrus, Epiſtolam illam per hanc filiam deſtinandam fuiſſe, ſi ficta fuiſſet. Sed hæc ſunt parva: vera tamen, prout patuit in judicio, nam & hæc ſuperior inſcriptio cum ſuo cooperculo ibidem producta fuit. Sunt equidem nonnihil annotanda.

§. V.

De prætenſa variatione quatuor litterarum Z. B. V. E. quæ dicitur obſervata fuiſſe per duos Notarios, quando in judicio viderunt reproductum Originale.

36. NUllam rem P. Deſirant magis obſtupuit, quàm dum Bruxellis ſub finem intellexit, Adverſarios objicere, quòd poſtquam Originale per duos dictos Notarios collatum & authenticatum fuerat, ipſe P. Deſirant curaſſet alterari quatuor illas litteras, Notariis inſciis, & ſic

feciſſet deſtinari Originale per ſervientem ſuum, cujus nomen exprimunt Majuſculis FIDELEM. Cùm primùm hoc intelligeret à viro, qui apud illum habebatur frugi, putabat animo ridendi dictum. Vultus autem ſerius in re tam deridicula, miras ei cogitationes ſuggeſſit, fecitque recordari iſtius, quòd Renatus Carteſius ſcribit in ſua methodo, non poſſe excogitari quidquam tam abſurdum, quin invenerit aliquando Patronum ac Defenſorem ſuum. S. Athanaſius in re perſimili ſcripſit: *Magnitudo calumniæ ſenſus meos obſtupefacit, & perplexum attonitumque reddit.* Apologiâ 1. pag. 155.

37. Quomodo enim poſſit in ſanam mentem incidere, quòd P. Deſirant ad aſſecurandum negotium, adhibuiſſet duos Notarios, & poſtquam intellexerat illos judicare, quòd quatuor litteræ, prout illic jacebant, eſſent ſimiles ordinario characteri Doctoris van Eſpen, ipſe poſteà voluiſſet dictas litteras alterare? In quem probabilem finem id voluiſſet, obſecro? An ut Notarii poſteà declararent, ſe vidiſſe apud Patrem Deſirant alios characteres? Quidnam verò tunc profuiſſet adhibuiſſe Notarios? An ut Licentiatum vanden Neſſe, ad quem Epiſtola mittebatur, magis deciperet? quaſi verò hic Licentiatus non noviſſet verum characterem Doctoris van Eſpen, qui erat ipſi alter vanden Neſſe. Et quaſi verò per ſe non pateret, quòd ſivè Epiſtola ficta fuiſſet, ſivè non ficta, dictus Licentiatus & iſte alter ego deſuper collaturi eſſent. Ad objectionem tam ſtolidam nihil reponendum arbitror, quàm illud Athanaſii, quòd inimicus homo, jam inde ab initio, conſtituerit nova ſemper & nova accuſationum capita fingere: *Hæc animo parturiebat, hujus rei occaſionem quærebat, & non quæſitam dolet, ac proinde excluſis veris criminibus, ad inania verborum figmenta delabitur.* Apologia 1. pag. 158.

38. Quoniam verò Adverſarii novam hanc objectionem in ſua Concluſione finali ab articulo 306. uſque ad 325. exaggerant, nos in ſimili cauſa ſequemur dictum S. Athanaſii, *age jam cum tua bona venia, inſpiciamus ad reſpondendum ad aliam calumniam.* Ibid.

39. Verba citati articuli 306. ſunt: *Dictus enim Petrus, antequàm infelicem & calumnioſam ſuam depoſitionem revocaſſet, ad eam confirmandam ſuſtinuit ſignaturam Z. B V. E. in dicta Epiſtola fuiſſe alteratam & vitiatam.*

40. Bona verba, quæſo. Cogitate, quis & qualis ille Petrus vobis ſit. Eſt totus veſter; donaſtis ipſum elogio integritatis: recordamini, quòd art. 2. Deductionis, quam impreſſiſtis, laudaveritis ipſum *ab anteactæ vitæ innocentia.* Et quòd in hanc rem adduxeritis notabilem textum Juris, L. non omnes. ff de re milit. nullam vobis ingratitudinem præſtitit. Quæ cauſa revocandæ donationis?

Digitized by Google

41. Fatemini ergo quòd Petrus in ſua jurata depoſitione perſiſtens aſſeruerit, ſignaturam Z. B. V. E. in dicta Epiſtola fuiſſe alteratam. Solvite nunc argumentum, quod ſequitur. Aut ſuſtinetis, quòd illa jurata Petri depoſitio ſit falſa, & illo caſu nihil ex illa poteſtis retorquere in Patrem Deſirant; aut ſi confitemini, prout veroſimiliter aliquando debebitis, quòd vera fuerit; ergo vos illam ſignaturam alteraſtis, ergo vos, quando videbatis vos cogi ad reproductionem Originalis, corrupiſtis eam, partim ut Doctor van Eſpen liberè poſſet jurare, hanc non fuiſſe ſignaturam ſuam, partim, ut coram judicibus poſſetis ſuſtinere adulterationem ſignaturæ ex ductu diverſorum calamorum, & diverſis atramentis ſatis patere.

42. Petrus vos in ſua depoſitione jurata ſic accuſavit, & duo Notarii hanc accuſationem concordi jurato teſtimonio confirmarunt, prout agnoſcitis art. 308. & 309. in verbis: *Interrogati ambo depoſuerunt ſignaturam in dicta Epiſtola eſſe vitiatam, nominatim verò in eo, quòd littera Z. linea ſuperior fuiſſet addita, idque à tempore, quo copiam cum ipſa Epiſtola originali contulerant, ſcilicet decimâ & undecimâ Januarii.* Et hoc ipſum confirmatis articulis 310. 311. 312. & 313.

43. Articulo verò 318. *Quis autem hic corrector fuit*, inquiritis. Scilicet, *innocens mulier rogat.* Reſpondetis autem ibidem: *Indubiè unus ex illis, in quorum manibus hæc Epiſtola reperta eſt.*

44. Atqui hæc Epiſtola non fuit ampliùs in manibus Patris Deſirant, fuit enim ſtatim clauſa, ùt antè, & per Petrum lata, ut deſtinaretur. Nec fuit ampliùs in manu Petri, ut ab eo alteraretur, prout fatemini art. 319. Et eſtis in confeſſo, quòd fuerit in manibus Licentiati vanden Neſſe, Doctoris van Eſpen, DD. Vivien, & Verniel, aliorumque, quibus placuit vobis eas relinquere à 12. Januarii uſque ad 3. Martii. Ergo vos alteraſtis, quando videbatis vos per quadraginta dies continuos urgeri ad Originalis reproductionem. Vobis ſolis illa alteratio ſerviit, partim ut Doctor van Eſpen cum aliqua ſpecie veritatis poſſet aſſerere, atque ſi opus eſſet, jurare, has quatuor litteras non eſſe ſuas; partim ut poſſetis oſtendere, non eſſe apparens, quòd Doctor ille in formandis quatuor litteris, uſus fuiſſet diverſo atramento, & litteræ Z. ſuperaddidiſſet lineam, à reliquo litteræ corpore tam differentem, ut Notarii eam diſtinguere potuerint, atque deſignare.

45. Ut errorem errore pallietis, objicitis articulo 319. 320. 321 & 322. Epiſtolam non fuiſſe deſtinatam per Petrum, ſed per Patris Deſirant ſervientem, & probare nitimini per poſteriores fictas Petri depoſitiones, poſtquàm in judicio variaverat; additiſque art. 320., *quod & convenit cum Confeſ-*

Digitized by Google

ſione ipſius Rei, ſivè Patris Deſirant, *utpote qui interrogatus* articulo 10. *an non retinuerit dictam Epiſtolam ad Curſorem deſtinandam, vel quomodo fuerit deſtinata. Auſus non fuit reſpondere, quòd eam reddiderit dicto Petro ſaltem ad deſtinandam; ſed ſufficienter innuit eam per Petrum non eſſe deſtinatam, dum dixit ſe duodecimâ Januarii intellexiſſe ex Petro, eam eſſe deſtinatam, eò quòd ille dixerit, ſe eam vidiſſe in faſciculo Litterarum Curſoris Bruxellenſis; qui ſanè hanc rationem non allegaſſet (ſi tamen reverà allegaverit, & à Reo ſuper eo fuerit interrogatus) ſi eam deſtinandam accepiſſet, & reverà deſtinaſſet.*

46. Objectionem hanc eſſe maximè notabilem & continere factum ſpeciale per ſe patet. At verò nullam illius facti mentionem extenſam fuiſſe in libello gravaminum, per ſe liquet; ideoque parùm aut nihil incidit Patri Deſirant de illo loqui. Et nihilominùs in nova iſta fictione vis magna poſita fuit. Quod ergo Pater Deſirant per iniquitatem inſtructionis cauſæ non potuit, in hac Apologia præſtabit.

47. Verum eſt, quòd P. Deſirant in ſua reſponſione dixerit, prout in articulo. Indè verò non conſequi, quòd auſus non fuerit plura dicere, & expreſſiùs declarare ſe Epiſtolam reliquiſſe Petro, ut eam deſtinaret ipſe, falſiſſimum eſt. Econtrà cùm illud oretenùs à D. Henrico Malcorps objiceretur, ſtatim reſpondit, quòd Petrus Epiſtolam in menſa jacentem acceperit, & deſtinandam contulerit, & ulteriùs id probavit ex tenore actæ, quam Petrus fecerat die 27. Januarii. Et cùm D. Henricus inſtaret, quòd ibi dicantur quidem tres illæ litteræ deſtinatæ, ſed quòd non dicantur deſtinatæ per Petrum; P. Deſirant replicuit, quòd Petrus illic loquatur de actis propriis, & non de alienis, adeoque, quòd ſecundùm leges intelligendus ſit fateri, deſtinationem factam per ſe. Non fuerunt hæc ſcripta, fateor; ſed cùm D. Henricus acquieſceret, & nihil de illo notabili facto meminiſſet in libello gravaminum, nihil quoque Pater Deſirant cogitavit de ulterioribus hac in parte probationibus.

48. Poſt habitam inſpectionem Concluſionis finalis, quam pars adverſa cum tanto ſcandalo publici juris fecit, interrogavit ſervientem ſuum, qui ſincerè declaravit ſe fuiſſe vocatum in judicio, & à D. Henrico Malcorps interrogatum, an dictam Epiſtolam de 10. Januarii deſtinaſſet, & quòd reſponderit negativè; ſed quòd D. Malcorps noluerit ut juraret. Alii, ſcio, excuſabunt ſe, quòd hanc depoſitionem tranſierint, tamquàm nec juratam, nec recollectam. Cùm verò tot tantaſque de præfati Henrici Malcorps partialitatibus querelas attulerit, & ſignanter quòd juramenta exceperit, ubi voluit, recollegeritque, quos voluit, & neglexerit, quos noluit; non Pater Deſirant, ſed aliquis alius de negligentia culpandus venit, ille

ſcilicet, qui tam ſtudioſè audivit, interfuit, & recollegit depoſitionem famuli Doctoris van Eſpen, contra quem non tantùm Petrus in judicio juraverat, verùm etiam contra quem militabant, & utinam adhuc non militent, innumeræ præſumptiones juris & de jure.

49. Faceſſat igitur nova Adverſariorum oſcitantia & contradictio, quam articulo 315. adducunt, *verùm hæc alteratio potiùs dicenda eſt emendatio, quàm vitiatio ſignaturæ, conſtat enim ex notiſſimis ſignaturis dicti Clariſſimi, primam ſui nominis litteram cum linea ſuperiore ſemper & conſtanter ſic apparere expreſſam.* Ut enim taceam, quòd omnes, quos P. Deſirant deſuper interrogari fecit, conſtanter referant, quòd Doctor van Eſpen in ſuis ſignaturis ferè ſemper hanc litteram formet diverſimodè; ſufficit, quòd duo Notarii, qui ſignaturam Doctoris van Eſpen probè noverant, antequàm illa linea adjuncta fuiſſet, judicaverint eam ordinario illius characteri fuiſſe conformem, & quòd tam Petrus in ſua jurata depoſitione perſiſtens, quàm iidem Notarii depoſuerint, ſignaturam rediiſſe vitiatam.

50. Articulo 323. objiciunt: *Nec mirum quòd Petrus has litteras non vellet deſtinare, cùm facilè prævidere poſſet, fore ut hoc modo publicaretur, atque ex charactere dignoſceretur earum ſcriptor, prout factum eſt.* Quaſi verò mirum non ſit, quòd Petrus voluerit contra Doctorem in judicio deponere ſub juramento, mirum autem non eſſet, quòd noluiſſet deſtinare: ſcilicet qui auſus fuerit incendere templum Dianæ, non audebit lutilare portam ejus, vel invadere fanum Æſculapii.

51. Denique articulo 324. ſeipſos conficiunt in verbis: *Quòd autem D. Paſtor Sta. Catharinæ, aut D. van Eſpen, vel aliquis amicorum ejus, dictam lineam ſuperinduxiſſent litteræ Z. paradoxum eſt. Hanc enim alterationem feciſſent, in evidentem dicti D. van Eſpen perniciem, reddendo fictam ſignaturam conformiorem veræ ſignaturæ dicti Clariſſimi.* Proferendo enim ratiocinationem tam caducam, adferunt turpitudinem ſuam: Cùm nihil certius ſit, quàm quòd Epiſtola fuerit inſcripta ſoli D. vanden Neſſe, qui ſolus eam recepit; adeoque fuiſſet maximè paradoxum, quòd P. Deſirant cogitaſſet vel minimum per talem lineam contra Doctorem van Eſpen apud illum Licentiatum efficere. Hoc ipſo enim, quo Originale debebat venire ad illius manus, ſciebatur fore in ejus poteſtate. Ipſi verò, qui Epiſtolæ copias primi evulgarunt, aſſerentes ſe Originale habere, non poterant ignorare, quòd illud citiùs aut ſeriùs producendum foret, uti & factum eſt. Hanc ergo alterationem procul dubio fecerunt in evidentem amici ſui defenſionem, reddendo eam ordinariæ illius ſignaturæ in hoc difformem, quòd littera Z. diſtinctis calami tractibus, & diverſo atramento formata ..et.

52. Pro majori claritate rem hanc altiùs repetam. Cùm Licentiatus Opſtraet poſt tertiam monitionem citatus eſſet, ut coram Facultate compareret in diem 11. Februarii, rationem redditurus, cur memoratam copiam diſtribuiſſet: ipſe non tantùm non comparuit, ſed etiam D. Guilielmo Leunckens tunc Rectori contra Facultatem ſacram obtulit libellum ſupplicem, in quo concluſit, ut Facultas revocaret, quod dixerat, eum illius copiam diſtribuiſſe. Cavillabatur in voce *diſtribuiſſe*. Aliquibus de Facultate conſilium placuit, ut ad evitandam litem res hæc componeretur. En acta Facultatis. 16 *Februarii* 1707. *fuit Congregatio extraordinaria apud Patres Auguſtinianos, in qua fuerunt Eximii Domini, Decanus, Deſirant, Martin & Daelman, in qua propoſuit Eximius D. Decanus, quid faciendum eſſet circa ſupplicam datam Magnifico Domino, ab Erud. Domino van Opſtraet, in qua conquerebatur, ſe in citatione ad cubiculum S. Facultatis pro* 11. *hujus in horam* 11. *matutinam notari tanquàm* DISTRIBUTOREM *copiæ Epiſtolæ, de qua ſuprà, & reſultum eſt, ei declarandum per Bedellum S. Facultatem per ly* DISTRIBUTOREM, *non aliud intelligere, quàm intellexit in tribus anterioribus inſinuationibus,* QUIBUS PRÆDICTUS D. OPSTRAET NON CONTRADICIT, PER LY DIVULGATIONEM, *quam D. Opſtraet eatenùs dicitur feciſſe, quòd primò factum narravit Præſidi ſuo coram commenſalibus; ſecundò, quòd coram illis prælecta eſt copia Epiſtolæ; tertiò, quòd Præſidi petenti, an poſſit copiam illam communicare quibuſdam amicis, reſpondit quòd ſic.*

53. Licentiatus Opſtraet hiſce non contentus, obtulit projectum cujuſdam actæ, quam à Facultate poſtulabat ſignari, addebatque, ſi aliquis à Facultate deputaretur Bruxellas, quòd D. vanden Neſſe ei daturus eſſet inſpectionem Originalis. Et ſub manu eodem tempore ſpargebantur ſiniſtri rumores, quaſi aliquis de Facultate in ſuſpicionem trahendus foret.

54. Ex ſequentibus Lector videbit, quòuſque ſe Facultas Theologica huic negotio immiſcuerit; & proinde quàm falsò Adverſarii objiciant, quòd P. Deſirant cuncta tractaverit *marte proprio*. En rursùs verba actorum ejuſdem Facultatis. 21. *Februarii* 1707. *habita eſt Congregatio extraordinaria apud PP. Auguſt. ad deliberandum de acta, quam Erud. D. Opſtraet petivit à S. Facultate ſignari, in qua præſentes fuerunt Ex. Dominus Decanus, Deſirant, Martin, Damen, Daelman, Parmentier, & reſolutum eſt per proviſionem dicendum eſſe Domino Opſtraet, S. Facultatem in citatione ei facta per ly* DISTRIBUTIONEM, *nihil aliud intellexiſſe, quàm in tribus præcedentibus inſinuationibus, per ly* DIVULGATIONEM, *& quòd D. Opſtraet, cum Clariſſimo D. van Eſpen, darent declarationem ſignatam, quâ fateantur ſe nullum de*

Digitized by Google

S. Facultate habere ſuſpectum de fictione Epiſtolæ famoſæ, & quòd ſinguli etiam de Facultate S. in Congregatione anteà habita ſe paratos præſtiterint ad jurandum, quòd nec directè, nec indirectè ſciant aliquid de ſcriptione vel fictione Epiſtolæ famoſæ, TANQUAM AB ALIQUO DE FACULTATE FACTA, & *quòd S. Facultas de contentis in acta petita ſubſignari, ulteriùs deliberabit. Propoſitum fuit, quòd D. Opſtraet dixerit, ſi aliquis deputaretur Bruxellas, quòd D. vanden Neſſe ei daret inſpectionem Epiſtolæ famoſæ, notatæ Z. B. V. E. ad quod Facultas S. reſolvit primò, ſe libenter velle mittere aliquem, ſed quòd D. Opſtraet daret aſſecurationem in ſcriptis, quòd deputando vel deputandis oſtenderetur Originale; ſecundò, quòd D. vanden Neſſe fidem faceret per juramentum, quòd exhibebit Originale, ſicut recepit, non autem aliam copiam.* Signatum erat: *Concordat cum Originali, quod atteſtor F. Hie. t'Seraerts.* Hic erat pro tempore Decanus.

55. Ex hiſce conſtat primò, quòd Licentiatus Opſtraet noluerit appellari copiæ *diſtributor*, licèt non contradixiſſet, dum appellabatur ejuſdem *divulgator.* Secundò, quòd Facultas jam tunc, id eſt, 21. Februarii præviderit, quòd Adverſarii intenderent aliquem de illius corpore ſuſpectum facere. Tertiò, quòd eadem inſuper petierit aſſecurari, quòd Licentiatus vanden Neſſe poſt tot & tantas tergiverſationes oſtenderet Originale, *prout ipſe receperat.*

56. Tandem veró quod ſæpè dictum eſt, non Licentiatus vanden Neſſe Bruxellis, ſed Doctor van Eſpen Lovanii, diu petitum Originale reproduxit die 3. Martii; & Doctor Parmentier characteres conferens, die ſubſequenti indicavit illi in præſentia amiciſſimi Canonici du Vivien, quód character eſſet Petri Nicolai Tourteau, & quòd deberet illum deſuper convenire, ſed invenit utrumque deſuper valdè frigidum, prout idem Doctor Parmentier in judicio juratus depoſuit.

57. Redeamus nunc ad Concluſionem finalem, quæ nos docet art. 312. & 313. quòd duo Notarii, D. Advocatus van Schonbroeck, & Bedellus van Dormael jurató depoſuerint ſe judicare, quód aliquæ ex quatuor litteris Z. B. V. E. eſſent alteratæ.

58. Iſta litterarum alteratio tam notabilis, ut duo Notarii eam adverterint, juratumque deſuper teſtimonium dederint, oneravit Adverſariorum conſcientias, fuitque inventa tam duræ digeſtionis, ut ad expellendam illam, confugiendum crediderint ad remedia violenta. Nimirùm art. 314. & ſequentibus fingendo, quód P. Deſirant illas litteras alteraſſet, poſtquàm præfatis Notariis oſtenderat.. Ad quod probandum rursùs nihil adferunt, quàm ſubornatam Petri variantis depoſitionem, quód ipſe Epiſtolam non deſtinaſſet, cùm tamen anteà aſſeruiſſet contrarium; & inde

Digitized by Google

inde concludunt quòd hæc alteratio debeat facta fuiſſe in eum finem, ut characteres redderentur ordinario characteri Doctoris van Eſpen conformiores. En verba articuli 317. Concluſionis finalis: *Itaque author alterationis hujus litteræ, advertens ſuperiorem hanc lineam deeſſe in prima littera ſignaturæ, vidit litteram hanc non ſatis convenire cum ſignatura D. van Eſpen, voluit eam corrigere, & ſignaturæ D. van Eſpen conformiorem facere, addendo ſuperiorem lineam huic litteræ.*

59. Magis poſitivè loquuntur articulo 325., ubi concludunt: *Quæ omnia juncta cum depoſitione ſeu atteſtatione dicti Petri atteſtantis, Reum ſibi ſæpiùs dixiſſe, ſe ſignaturam hujus Epiſtolæ mutaſſe, dubium non relinquunt, quin hæc correctio copiæ* [vo'unt dicere *Originalis*] *per Reum*, id eſt, *Patrem Deſirant contigerit, apud quem & in cujus quarterio die undecimâ Januarii Notarius van Dormael copiam Epiſtolæ authenticavit, & litteram illam ſine ſuperiore illa linea adhuc vidit: maximè quia ipſius Rei, & ſolius intererat, fictam ſignaturam veræ ſignaturæ D. van Eſpen eſſe conformiorem.*

60. Imprimis fictitiæ hujus depoſitionis per Petrum, ùt fingitis factæ, verba non adducitis. Et quamquàm adduceretis, non deberemus ideo credere, per tot jam tantoſque fallatos textus decepti.

61. Legamus Petri deductionem, quam non Petrus, ſed vos imprimere curaviſtis. Videamus an & qualiter hanc fabulam ipſe exprimat. En verba articulorum 180. 181. & 182. *Aliquot autem diebus, poſtquàm denuntiatio facta erat, dixit Eximius Pater Reo*, id eſt, *Petro, ſe variaſſe duas litteras ex his quatuor Z. B. V. E. in Epiſtola de* 10. *Januarii* 1707., *poſtquàm Notarii Schonbroeck & van Dormael eam collationaſſent, prout patet etiam ex eorum depoſitione deſuper in forma probante data, quòd effectivè duæ litteræ fuerint variatæ.* Nota, Lector, Petrus de duabus litteris loquitur, Concluſio finalis de unica littera Z.: ſequuntur verba litteris curſivis expreſſa, tamquàm formalia, quæ Pater Deſirant Petro dediſſet. *Et id ideo ſe feciſſe aiebat ille Eximius Pater, ut hâc viâ poſſet probare à Janſeniſtis eas variatas eſſe, dum eam Epiſtolam habuerunt in manibus; & ut, ſi Janſeniſtæ dixiſſent, iſtas litteras nequaquam convenire cum quatuor primis litteris, prænominis & cognominis Clariſſimi D. van Eſpen; potuiſſet ille Eximius Pater reſpondere, non mirum eſſe, cur aſſerant iſtas litteras nequaquam convenire, cùm ipſas variaverint.*

62. Ecce quod dixeram; Adverſarii in Concluſione ſua finali fingunt, quòd Petrus depoſuiſſet litteras illas à P. Deſirant alteratas fuiſſe, ut ſignaturæ Doctoris van Eſpen redderentur *conformiores*: at verò in deductione ſua inducunt eumdem Petrum deponentem, quòd Pater Deſirant dixiſſet, ſe illas alteraſſe, ut poſſet ſuſtinere quòd Janſeniſtæ id feciſſent, ut aſſererent iſtas litteras veræ ſignaturæ *nequaquam convenire.*

Digitized by Google

63. Ejuſmodi contradictiones nequeunt appellari fortuitæ, ſed ex deſtinata opera perpetratæ. Habebant enim Petri depoſitionem ad manus, dum iſta utrobique ſcripſerunt, & tam in uno, quàm in alio loco diſcurrunt per longos logos, prætenſas cauſas & ratiocinationes adferunt ad perſuadendum in Concluſione finali id, quod ibi videbatur neceſſarium in defenſionem Doctoris van Eſpen, & Licentiati vanden Neſſe; in deductione verò Petri poſuerunt totum oppoſitum, quia id congruebat Petro.

64. Atque ita perquàm malitioſè ponunt Patrem Deſirant in bivio. Quidquid dicturus eſſet contra litterarum conformitatem, ſerviret Petro; quidquid contra difformitatem, Doctori van Eſpen. Omnis æquus Arbiter utrumque rejiceret: ſed cauſæ hujus inſtructoribus aliter viſum fuit. Forſan juxta Decretum, *maer byſonderlyck*. De ſolis inſtructoribus loquor.

65. Duo tamen dicenda ſunt. Primum, quòd ſit violentiſſimum hanc alterationem velle Patri Deſirant adſcribere; ſecundum, quòd ſit palpabile eam, ſi facta fuerit, [nam P. Deſirant verum Doctoris van Eſpen characterem eò uſque non novit] per Adverſarios factam fuiſſe.

66. Imprimis P. Deſirant non impedivit, quò minùs Petrus Epiſtolam die 11. deſtinaret, prout die 12. retulit factum fuiſſe; ſerviens enim nomine *Fidelis*, in judicio interrogatus reſpondit, ſe nullatenùs hanc Epiſtolam deſtinaſſe; & licèt inſtructoribus cauſæ viſum non fuerit, hunc ſervientem deſuper in judicio recolligere; debet tamen hoc ſufficere pro plenaria reſponſione ad articulum 322. Et ab eventu conſtat, quòd deſtinata fuerit.

67. Non potuit igitur P. Deſirant ignorare, quòd Originale eſſet perventurum ad manus Licentiati vanden Neſſe, qui cum Doctore van Eſpen eſt *alter ego*.

68. Jam verò, Lector indifferens expende, an vel per imaginationem apprehendi poſsit, quòd P. Deſirant voluiſſet ullam litteram alterare. Si voluiſſet reddere difformiorem, Adverſarios ſuos juviſſet; nam arma dediſſet, quibus falſationem probare potuiſſent. Si autem voluiſſet reddere conformiorem; in quem finem, obſecro, & apud quem? Numquid ſciebat hunc Licentiatum ita in-Eſpeniatum eſſe, ut foret impoſsibile ipſum decipere, circa characteris veritatem? & quòd in omnem eventum, hic Licentiatus, ſi Epiſtola, quod abſit, ficta fuiſset, illud ex Epiſtolæ contento ſcire potuiſset? & ante omnia Doctorem deſuper ſic monuiſset, ut fraus per nullam characteris conformitatem ipſum latere potuiſset?

69. Præterea P Deſirant nullatenùs tunc ſcire potuiſſet, quòd Adverſarii hanc Epiſtolam eſſent reproducturi. Hoc eſt evidens, ſed Adverſarii ſoli ſciverunt an & quomodo reproducturi eſſent.

70. Si P. Deſirant voluiſſet litteras alterare, ut redderentur veræ Do-

Digitized by Google

ctoris van Eſpen ſignaturæ difformiores, hoc ipſo deſtruxiſſet primarium intentum, quia in præſuppoſito ſyſtemate debuiſſent dici non modò conformes, verùm etiam eædem.

71. Si voluiſſet reddere magis conformes, contradixiſſet ſibi, ſuperinducendo novam lineam tam diſtinctam, ut ſcire deberet alterationem iſtam obſervandam fuiſſe à Notariis, qui declaraverant ſe judicare illam veram Doctoris van Eſpen ſignaturam eſſe. Et hoc caſu ulterius teſtimonium, quod à Notariis iſtis exſpectare potuiſſet, deſtruxiſſet.

72. Deinde, *ſicut qui certus eſt, non indiget certiorari adhuc*, nihil cauſæ erat, cur P. Deſirant quidquam in ſignatura mutaret, poſtquàm à dictis Notariis audiverat illam, prout eis ſeorſim oſtenſa fuerat, Doctoris van Eſpen eſſe.

73. Præterea nihil eſt notius, quàm quòd ſimiles litteræ ſcribi ſoleant unico calami tractu. Secundum ſuperinducere, eſt manifeſtè alterare, præſertim dum atramentum recens ſiccato imponitur.

74. Ad hæc, ſi P. Deſirant voluiſſet aliquid in ſignatura alterare, ut redderetur conformior, præſtitiſſet illud antequàm Notariis exhibuiſſet. Aut ſi voluiſſet id facere, ut redderetur difformior, uſus fuiſset operâ Petri, quem Adverſarii clamant, Patri Deſirant uſque ad quintam Martii fidelem fuiſse.

75. Perſiſtunt nihilominùs. Et niſi P. Deſirant oſtendat quiſnam alteraſset, volunt illum habere pro Authore. Articulo enim 323. Concluſionis finalis ſic argumentantur: *Quòd autem D. Paſtor Stæ. Catharinæ, aut D. van Eſpen, vel aliquis amicorum ejus, dictam lineam ſuperinduxiſsent litteræ Z., paradoxum eſt: hanc alterationem feciſſent in evidentem dicti D. van Eſpen perniciem, reddendo fictam ſignaturam conformiorem veræ ſignaturæ dicti Clariſſimi.* De ficta majori conformitate jam egimus, oſtendimuſque, nihil veræ ſignaturæ difformius eſſe, quàm quòd oſtendi poſſit, litteram diverſo atramento, & diverſis calami tractibus, quos agnoſcitis, formatam fuiſſe.

76. Vultisnè ergo, ut intrepidè aſseram, omnem legitimam præſumptionem eſse, quòd hæc alteratio facta fuerit, per ipſum Licentiatum vanden Neſse, non Paſtorem, ſed Deſervitorem Stæ. Catharinæ? Si aſſeram, vos videritis: Si indignamini, cum Apoſtolo dicam, *vos me coëgiſtis.* Sciò quidem, ſi hoc auderem dicere, quòd ſtatim uno ore clamaretis *ad calumnias, ad calumnias: Vir ille non eſt capax talium, mallet mori.*

77. Nihil verò iſti clamores me conturbarent, cùm ſciam etiam Apoſtolum Petrum ante ſuam confirmationem his vocibus uſum fuiſse: *Etiamſi oportuerit me mori tecum.* Math. 26. v. 35. Multi de morte loquentes, ante

tentationem præſumunt de ſe; & in tentatione diſcunt ſe: Putabant enim ſe poſse, quod ſe velle ſentiebant, inquit S. Auguſtinus. Veniat autem ancilla oſtiaria, & dicat in faciem: *Et tu ex illis eras, nam & loquela tua manifeſtum te facit*; cantabitur alia cantilena.

78 Dantur homines Gigantæi, qui, dum fortuna favet, ſemper parati ſunt imponere *Pelion Oſſæ*. Et interim dum ad rem venitur, *à cane non magno ſæpè tenetur aper*. Exemplum in dicta ancilla oſtiaria.

79. Oportetnè Licentiato vanden Neſſe hujuſce ancillæ argumentationem objicere? Statim ſe dedet. Ecce enim Facultas Theologica, non ancilla, ſed Mater & Magiſtra, quatuor diſtinctis vicibus ſatis rigidè exegerat reproductionem Originalis. D. Licentiatus Opſtraet reſponderat ſe apprehendere, quòd Licentiatus vanden Neſſe ob rationes non dabit. Quinimò Licentiatus Licentiatum ad ſacrâm Facultatem miſerat, cum inſtructione, ſi aliquis deputaretur Bruxellas, *quòd D. vanden Neſſe ei daret inſpectionem*. Credebant forſan, quòd Facultas noluiſſet labores & expenſas ſubire.

80. Quid ad hæc Facultas ſacra? Repetam verba actorum ſub die 21. Februarii ſuprà citata: *Facultas ſacra reſolvit ſe libenter velle mittere aliquem; ſed quòd D. Opſtraet daret aſſecurationem in ſcriptis, quòd Deputando, vel Deputandis oſtenderetur Originale. 2. Quòd D. vanden Neſſe fidem faceret per juramentum, quòd exhibebit Originale* SICUT RECEPIT, *non autem aliam copiam.* Quid ad hæc duo Licentiati? Dabitnè Licentiatus Opſtraet in ſcriptis aſſecurationem, quòd Deputando vel Deputandis oſtendetur Originale? Jurabitnè Licentiatus vanden Neſſe, quòd exhibebit Originale, *ſicut recepit?*

81. Minimè gentium. Tota illa Gigantæa altitudo ſtatim depreſſa eſt. Originale tam diu & tam ſuperbè propter altiſsimas rationes denegatum, ſtatim ad Doctorem van Eſpen miſſum fuit, & hoc pacto Licentiatus vanden Neſſe jurare non debuit, quòd exhibiturus eſſet Originale, *ſicut recepit*. Ecce enimverò argumentationem ancillæ oſtiariæ, aliorumque: *Et tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit*. Math. 26. v. 73. Sequitur in textu: *Tunc cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem*. Tu verò judica nunc, Lector, quis alterationem fecerit, & in quanam captioſitate forſan Doctor van Eſpen juramentum, quod præſtitit, abſque reſtrictione mentali fundare potuerit. Prout autem hæc magis confirmabant priorem opinionem, ita & verificant bonam Patris Deſirant fidem.

Digitized by Google

§. VI.

De parvitate temporis, quod interceſsiſſet inter Epiſtolæ ſcriptionem, factamq́ à Petro *apud* P. Deſirant *denuntiationem.*

82. TAntùm abeſt, ut Adverſarii ullum argumentum proferant, quo aliquam criminis partem, in Patrem Deſirant, cum aliqua fundamenti ſpecie conjiciant; quin ècontra debilibus conjecturis, ſophiſmatibus, contradictionibus, atque fictionibus, ſuam cauſam magis magisque ſuſpectam faciant. Audiamus quiſquilias, quas adducunt in ſua Concluſione finali articulo 188. *Juxtà depoſitiones*, inquiunt, *Petrus dixerat, ſe Epiſtolam illam; inter tertiam & quartam, ſub dictamine dicti Clariſſimi Domini ſcripſiſſe, ac vidiſſe, quòd eam clauſam miſerit ad Poſtam per famulum ſuum.* Hæc conſonant cum veritate. Subjicitur ibidem: *Intelligere debebat Reus, quòd Petrus hanc Epiſtolam debuiſſet ſurripuiſſe apud Poſtam, ſivè Curſorem.* Negatur Conſequentia. Nam Petrus ſatis clarè addiderat, quòd famulum in via apud domum Curſoris, quæ ab ædibus Doctoris van Eſpen tantummodo novem aut decem domibus diſtat, inveniſſet, & ab illo familiariter accepiſſet; quòd Petri dictum fuit una ex cauſis, propter quas P. Deſirant aliquando cupierit huic famulo loqui.

83. Proſequuntur art. 189. *ſi fictionis conſcius non fuiſſet Reus, nonnè mox Petrum interrogaſſet, ſuper modo interceptionis, & quâ authoritate ipſe Epiſtolam ad Curſorem allatam intercepiſſet: negantem autem ſuſpectum habuiſſet?* Reſp. Si Pater Deſirant fictionis conſcius fuiſſet, tunc fuiſſet certus, quòd Epiſtola apud Curſorem non extitiſſet, adeoq; Petrum deſuper fruſtrà interrogaſſet. Cùm verò nullam fictionem ſciverit, & à Petro audiviſset, quòd Epiſtolam à famulo accepiſset in via, & rectà tuliſset ad Confeſsarium ſuum, & indè veniſset ad Patrem Deſirant, ideo illum circa interceptionem nihil interrogare debuit.

84. Hiſce præmiſſis magno cum ſtrepitu proferunt Achillem ſuum, qui tanti habitus fuiſſe dicitur, ut ignoti aliqui attraxerint humeros. Atqui Petrus Epiſtolam ad Patrem Deſirant tuliſſet *circa quintam veſpertinam ejuſdem diei*, inquiunt articulo 191. Hinc articulo 192. magiſtraliter concludunt, *moraliter impoſſibile eſſe, ut tantillo ſpatio ea omnia facta fuiſſent.*

85. Si domus curſoria extitiſſet Bruxellis, Conventus Minoritarum, ubi Confeſſarius degebat, Antuerpiæ, & Conventus Auguſtinianorum Gandavi; tunc fuiſſet etiam naturaliter impoſſibile. Jam verò cùm omnibus Lovanii habitantibus notum ſit, quòd Petrus ſi totum illud ſpatium confeciſſet bis aut ter, nondum abſolviſſet milliare Italicum; à medio

quartæ uſque ad quadrantem circa quintam invenietur media hora, quâ potuiſset egiſse cum famulo, & alterâ mediâ horâ cum Confeſsario ſuo. Sed nempè homines ſpatiis imaginariis aſsueti, voluerunt ignorantibus ſpatia Lovanienſia obrepere, non advertentes, quòd per hujuſmodi cavillationes ſeſe magis ſuſpectos faciant : ferè ſicut fur, qui convictus quòd per integram horam ſolus fuiſset in cubiculo, ex quo conſtaret ablatum fuiſse ſaccum pecuniis repletum, non aliud pro excuſatione adduceret, quàm tempus illud ſuiſse nimis exiguum ad pecunias numerandas.

§. VII.
De corpore delicti, quod fingunt P. Deſirant *confeſſum fuiſſe.*

86. NOn eſt dubium, quin Lectorem, de Janſeniſtarum in aſserendo liberalitate minùs informatum, feriat Concluſionis finalis articulus 14. *De ipſis criminibus, ſeu de corpore, ut vocant delicti, ampliùs quærendum non eſt :* DEO ENIM SIC DISPONENTE, *factum eſt, ut ab ipſo penè hujus cauſæ initio in confeſſo fuerit, ipſa delicta verè eſſe perpetrata, idque toti orbi innotuerit.* Tam facilè tremendum Dei nomen invocant ad perſuadendum quòd Patri Deſirant aliqua confeſſio excidiſset *ex Dei diſpoſitione.*

87. Cùm tamen ex actis conſtet, nihil ipſum confeſsum fuiſse, niſi quod fatetur uſque in præſentem diem, & ſuſtinere paratus eſt apud Omnipotentem Judicem, ſe ſcilicet ad nullam fictionem ullo modo concurriſse, vel illam ſciviſse; extare tamen Epiſtolas ſcriptas, quæ crimina continent, ab Adverſariis facta, ſi priores litteræ ſint veræ, à Petro autem cum iis, qui eum ad decipiendum emiſerunt, perpetrata, ſi dictæ litteræ ſint fictæ : extare itidem veras Henrici Graſper litteras poſteriores cum introcluſis, in quibus multa mala continentur. Confeſſionem hanc nihil Patri Deſirant obeſse judicabunt ii, qui æternam Dei diſpoſitionem adorant.

88. Specioſam hanc confeſſionem nituntur exſculpere ex Patris Deſirant uberiori reſponſione, in qua dixit articulo 2. & ſequentibus. *Non eſt dubium, quin extet corpus delicti : Corpus hoc conſiſtit partim in litteris fictis, adulterino Petri Nicolai Tourteau calamo confictis (ex ſuppoſito, quòd Petrus juratam ſuam depoſitionem retractans, dicat veritatem) partim in veris litteris, cum introcluſis per Henricum Graſper in judicio recognitis. Prætenſæ litteræ, fictæ ſunt tempore anteriores : litteræ autem veræ ſunt poſteriores. Tantam verò viri præclari inter utraſque tum in ſcriptionibus, tum in materiis, tum in modo & forma admirantur concordiam (hic ſub n. 1.) ut ex eodem fonte profluxiſſe videantur. Supereſt,*

Digitized by Google

ut diſquiratur quiſnam illorum uſus fuerit ab Authoribus intentus, & quiſnam à parte rei adhibitus. Hactenùs uberior reſponſio Patris Deſirant.

89. Quamquam ex his verbis nihil prorsùs contra Patrem Deſirant poſſet erui, conſtat tamen ex actis, quòd Procurator Quirini, nomine & de mandato principalis ſui D. Henrici Malcorps, in termino habito die 3. Junii 1707. dixerit, *ſe acceptare quòd Reus ubique admittere debuerit ipſum corpus delicti.*

90. Ad hæc P. Deſirant per ſcedulam loco termini fuſiùs reſpondit, non bonâ fide agi, ubi dicitur eum admittere debuiſſe, vel admiſiſſe corpus delicti. Verba enim ſua non fuiſſe, *admitto*, ſed *non eſt dubium quin extet*; & quandoquidem ſtatim ſatis clarè ſubjunxiſſet, corpus illud non eſſe delicti ſui, ſed alieni, prout in tota, & per totam uberiorem reſponſionem oſtenderat; Procuratorem Quirini perperam dixiſſe, corpus delicti debuiſſe admitti.

91. Hiſce non obſtantibus, Adverſarii in præfato ſuo art. 14. non erubeſcunt adorabilem Dei diſpoſitionem aſſumere ei attribuendo, quòd ab ipſo pænè hujus cauſæ initio Pater Deſirant in confeſſo fuiſſet, ipſa delicta verè eſſe perpetrata. Judica, Lector, qualis fides tribuenda ſit jactantiis reliquis, quas de ſimilibus Patris Deſirant confeſſionibus eructant, ubi tam ſplendidè imponunt, dum tremendum Dei nomen invocant.

§. VIII.

De communicatione, quam P. Deſirant *fecit quibuſdam amicis ſub prævio ſecreto.*

92. EX iiſdem floribus Apis mel, Aranea venenum ſugit. Omnes viri probi in bonam partem interpretati ſunt, quòd P. Deſirant nihil amicis ſignificandum crediderit, niſi ſub prævio ſecreto naturali, prout atteſtati ſunt in judicio Doctores *Daemen*, *Parmentier*, *Daelman*, *D. Plebanus*, Advocatus *van Schonbroeck*, & Notarius, atque Bedellus *van Dormael*, qui concorditer ad art. 80. ſcedæ contrariorum factorum depoſuerunt, *quòd P. Deſirant nihil ipſis de iſta Epiſtola & aliis communicaverit, niſi amicis, ſub prævio ſecreto naturali.*

93. Cauſa ſecreti erat multiplex. Primò, ut Petro Nicolao ſervaretur verbum, quòd non revelaretur nomen ejus, niſi vocaretur ad Judicium, quando reproduceretur Originale, manu ejus ſcriptum, nam quòd tunc potuiſſet Adverſariis reſpondere, ſe fuiſſe coactum. Secundò, quia nondum habebantur ſufficientes probationes, adeoque non erat tutum & integrum rem propalare, tamquàm certam. Tertio, quia conſul-

Digitized by Google

tum erat in re tanta adhibere ſana conſilia; priuſquàm aliquid evulgaretur; & juxta Proverbium: *Secretum anima negotii*, & prout Sapiens dicit, *omnia fac cum conſilio & non pœnitebit.* Quartò, quia nondum habebantur probationes quæ poſteà ſupervenerunt.

94. Nec dici poterat, quòd in hac ipſa communicatione ſecreta aliqua committeretur detractionis ſpecies; licèt enim timorati Theologi doceant, non eſſe communiter licitum revelare crimen occultum, etiam viro taciturno: attamen iidem conſentiunt Doctori Angelico, 2. 2. q. 33. art. 7. o. quòd *quædam peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale: putà, ſi aliquis occultè tractet, quomodo civitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus privatim homines à fide avertat. Et quia ille qui ſic occultè peccat, non ſolùm in ſe peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denuntiationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur.* Agit autem Doctor Angelicus de caſu, quando crimen occultum, eſt ita certum, ut poſſet per denuntiationem detegi: quando verò non eſt ita certum, tunc juxta Theologos eoſdem locum habet illud Auguſtini in Regula: *Priùs tamen eſt alteri vel tertio demonſtrandum, ut duorum vel trium poſſit ore convinci, & competenti ſeveritate coërceri. Nec vos judicetis eſſe malevolos, quando hoc judicatis, magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos judicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis.* In duobus iſtis principiis Divorum Auguſtini & Thomæ fundatum extitit, quidquid P. Deſirant in hac cauſa fecit, aut permiſit.

95. Hos tamen actus juſtiſſimos Adverſarii in libello gravaminum, art. 21., necnon in variis Concluſionis ſuæ finalis capitibus, cum ſtomacho appellant *clancularias diffamationes.* Ipſi ſcilicet, de quorum doctrina & praxi notum eſt, quid in materia detractionum & diffamationum, non tantùm circa privatos, doctrinis & commodis eorum contrarios, verùm etiam contra Epiſcopos, Principes, ipſoſque ſummos Pontifices docere, & practicare ſoleant. Res enim ipſorum in detractionibus & diffamationibus aſſiduis, prout etiam in ratione jurandi (Formularium Alexandri VII. teſtor) ad extremas, eaſque publicas laxitates, quales nulla unquam ſecta promovere hactenùs auſa fuit, deveniſſe, omnes viri probi & docti pro experto habent; & prudentiores benè advertunt, quòd hic ipſorum characteriſmus ſit tam patulus, ut inexcuſabiles ſint, qui eis adhærent. Cavebo de obligatione reſtitutionis verba facere: cachinnos ederent uſque ad ravim; Adverſariorum enim ſuorum res, honorem, famam atque fortunam ita cenſere videntur in ſua poteſtate collocatam, ut ſibi ſolis quodammodo de illis omnibus rationem reddere teneantur.

96. Perſiſtunt nihilominùs, & objiciunt articulis 702. 705. & 704.

quarè

quarè à Domino Rectore priuſquàm de hoc negotio loqueretur, requiſivit ſecretum naturale, uti habet art. 321. proviſionalis intendit? ſi in ſua expoliationis excuſationem Petrus licentiam Rectoris allegabat; certè impertinens erat petere ſecretum naturale à Rectore, ut veritas haberetur. At omnia volebat Reus ſub ſecreto, nè alioqui vel ex inquiſitione, & interrogatione inſtrumentum fictitii hujus negotii Petrus Tourteau innoteſceret, & ſic tota hac horrenda fabula detegeretur.

97. Oportet iſtis hominibus veritatem ponere ante naſum, ùt loquimur, & quidem capiſtrum injicere, ſunt etenim obſtinati tanquàm muli, qui niſi conſtringantur, dictis audientes non ſunt. Fatemini ergo quòd P. Deſirant cuncta Rectori communicaverit, licèt ſub ſecreto. Juſtificate nunc, ſi poteſtis, ſequentem primi veſtri Libelli ſupplicis articulum, qui fuit præcipuus, per quem ab Advocatis Bruxellenſibus extorſiſtis famoſam ſuggeſtionem, quòd eſſet materia ſufficiens ad procedendum contra Patrem Deſirant. Impreſſiſtis illum Libellum retro Concluſionem veſtram finalem. Verba ſunt: *Negotium tale perrexit agere in tenebris. Magnificum Dominum, qui omnium Academicorum ſuperior eſt, de nullo admonuit.* Combinate nobis iſta duo; Pater Deſirant Rectori communicavit omnia; & Pater Deſirant Rectorem de nullo admonuit. Nec ſufficit jam dicere, quòd Rector ille D. Guilielmus Leunckens tandem vobis faſſus fuerit, Patrem Deſirant ipſi omnia communicaſſe, potuiſtis enim & debuiſtis illa ſciviſſe ab initio, nam quando Libellus ille fuit Bruxellis dictis Advocatis exhibitus, ipſe D. Guilielmus Leunckens aderat: qui enim illos conſuluerunt, non fuerunt alii, quàm D. Henricus Malcorps, & D. Guilielmus Leunckens. Cogitet Lector cætera.

98. Inſtant autem, quòd P. Deſirant, priuſquàm de hoc negotio loqueretur, *requiſiverit ſecretum naturale*, prout habetur art. 321. proviſionalis intendit.

99. Verba hujus articuli 321. ſunt: *Quòd Pater Deſirant ab ipſo requiſiverit ſecretum naturale, ſuper negotio magni momenti communicando cum ſuis circumſtantiis.* Quia nimirùm ſecretum erat datum aliis, nondum erat tempus publicandi, ſed conveniebat priùs deſuper audire ſententiam Rectoris, quid judicaret agendum eſſe, juxta articulum 333. *Quòd Pater Deſirant petierit à dicto D. Leunckens, quid ipſi videretur de tali negotio, & quid in eodem faciendum.* Debuitnè Pater Deſirant plus facere? Fecit. Legatur articulus 346. *quòd Pater Deſirant reſponderit, juvenis ille Tourteau ad nos detulit, & intercepit, & ulteriùs interrogavit, nihil vobis dixit?* An vos non pudet? Judicetur quânam ſpecie veritatis ſuprà dixeritis, quód Pater Deſirant ſecretum exegerit, *nè Petrus Tourteau innoteſceret* Ita in omnibus & per omnia propriis inſtrumentis convincimini & confundimini.

Digitized by Google

§. IX.

De quatuor nominatis amicis , quibus Pater Deſirant *Epiſtolam de* 10. *Januarii* 1707. *aliaq; communicavit , pro conſilio , & de prætenſis contradictionibus , quas Adverſarii fingunt reperiri in depoſitionibus tam ipſorum , quàm* Patris Deſirant.

100. ADverſarii triumphum non cecinêre ampliorem, quàm de prætenſis contradictionibus, detectis atque probatis, circa communicationem, quam Pater Deſirant die 30 Aprilis, 2. & 4. Maii faſſus fuiſſet ſe feciſſe amicis pro conſilio. Coëgerant reſpondere indebitè, prout ſæpiùs dictum fuit. Henricus Malcorps, ut caperet eum in ſermone, objecerat, quòd communicando variis, diffamaſſet. Reſpondit P. Deſirant, ſe, prout oſtenſum eſt paragrapho præcedenti, non communicaſſe niſi amicis, pro conſilio, & ſub prævio ſecreto naturali. Per fas nefaſque ſcire voluit, quinam hi amici eſſent. Tandem P. Deſirant reſpondit, quòd amici ſui ſint *Doctores Daemen, Daelman, Parmentier, D. Plebanus & alii.* Hos verò alios numquam voluit nominare, nec debuit, idque ex juſtis cauſis. Statim Adverſarii conclamarunt, detectos eſſe complices, qui dederunt conſilium *myſterio iniquitatis.* Nominatos quatuor amicos corripuit neſcio quis timor: vocati ſunt in judicium, fueruntque interrogati de omnibus quæ Pater Deſirant generatim dixerat de amicis, ſine diſtinctione, quonam, & quando communicaſſet iſtis nominatis, & quænam aliis, non nominatis. Iſti verò quatuor nominati reſponderunt prout ipſis viſum fuit. Nunc verò ex his reſponſionibus numquam Patri Deſirant communicatis, nituntur illum de mendaciis, impoſturis, falſitatibus, & iterùm mendaciis, & rurſus impoſturis, convictum facere. O ſimplicitas Chriſtiana!

101. Pro reſponſionum baſi præmittendum eſt, quòd P. Deſirant ex ſolo rumore intellexerat, Adverſarios has technas intendiſſe, & quòd idcirco in ſua ſcedula factorum poſuerat ſeptem articulos ſubſequentes, prout patet ex actis.

80. *Quòd Eximius Pater nihil de iſta Epiſtola & aliis communicaverit, niſi amicis, ſub prævio ſecreto naturali.*

81. *Quòd adeoque hoc factum fuerit, non ad diffamandum, ſed ad conferenda conſilia; & ſemper inventus ſit agere bonâ fide.*

82. *Quòd rogatus nominare amicos, expreſſerit nomina Doctorum Daemen, Daelman, Parmentier, & Licentiati Pauwels.*

83. *Quòd multoties addiderit particulas,* ET ALIOS.

Digitized by Google

84. *Quòd inter ſignandum reſponſiones, declaraverit & dictaverit, ſe non velle capi in diebus, quibus hoc iſti vel iſti dixerit.*

85. *Quòd id ipſum voluerit fuſiùs dictare in fine ultimæ ſuæ reſponſionis.*

86. *Quòd D. Henricus Malcorps, uti & Magnificus Dominus & Aſſeſſor ejus dixerint, non eſſe opus hoc ſcribere, promittentes nullam quantùm ad dies vim faciendam eſſe.*

102. P. Deſirant pluries inſtiterat, ut ſuper his & aliis articulis reſpectivè, audirentur in forma D. Henricus Malcorps Advocatus Fiſcalis, D. Secretarius Hendricx, D. van Cutſem Promotor, & Procurator Quirini. Nihil autem obtinere potuit niſi decretum de 28. Julii 1707. *huc uſque non audiendos eſſe.* Nunc autem cùm articuli *proviſionalis interdit*, ſivè ſcedæ contrariorum factorum ſuprà numero 78. fuerint poſiti in facto, & Adverſarii, in ſua Concluſione finali, nullum ex illis negare auſi fuerint, licèt ibidem contradixerint aliis articulis, hinc illis nunc utemur, tanquàm ſatis verificatis, præſertim cùm ſint conformes actis & veritati.

103. Et ex illis concludimus, quòd omnes objectiones adverſæ partis malè ſupponant Patrem Deſirant intellexiſſe de ſingulis quatuor amicis nominatis, quidquid generatim dixerat de amicis: & quòd dum rogatus, quinam amici eſſent, nominaverit quatuor, cum addito: *& alii.* Et quidquid reſpondit de amicis, verum fuerit in aliquibus reſpectivè, licèt non omnia in omnibus & ſingulis, prout clariùs exponetur in Paragraphis ſubſequentibus.

§. X.

De modo quo ſecretum communicatum fuit Doctoribus Hermanno Daemen, Carolo Giſlino Daelman, Antonio Parmentier, *ſtrictæ Facultatis Theologicæ Regentibus, & D. Licentiato* Pauwels *Piebano.*

104. PRæfati quatuor viri in acta de 20. Maii 1707. conjunctim cum Facultate Theologica declararunt, *primùm, ſacra Facultas copiam illius Epiſtolæ vidit die 23. ejuſdem menſis, deferente ac monſtrante Eximio D. Daelman, cui D. Opſtraet pridiè eam tradiderat, cupiens oſtendi Facultati ad deprehendendum Authorem.* Huic declarationi conſonat articulus 87. quem P. Deſirant in ſua ſcedula contrariorum factorum expreſſit terminis ſequentibus: *Quòd Eximius P. Deſirant nulli ex præfatis nominatis amicis quidpiam de famoſa Epiſtola de die 10. Januarii detexerit, antequàm illius copia fuiſſet exhibita per Licentiatum Opſtraet.*

105. Adverſarii à numero 215. uſque 270. impendunt totos articulos

Digitized by Google

quinquaginta quinque, ad probandum, quòd P. Deſirant, quando die 30. Aprilis, 2. & 4. Maii per vim angariabatur, ut ad centenas & centenas quæſtiones reſponderet, dixiſſet: ſe famoſam Epiſtolam quatuor nominatis viris oſtendiſſe die 11. Januarii 1707., & quòd præfata Facultas cum dictis quatuor viris declaraverint, ſe illam non vidiſſe ante 22. Januarii. Hinc inferunt Patrem Deſirant eſſe mendacem, impoſtorem, deceptorem, ſceleratum, infamem, & tot tantisque indignis epithetis onerant, ut vix meritus fuiſſet plura, ſi eſſet purus, purus Janſeniſta.

106. Sed bona verba quæſo. Si tam notorium erat, quòd P. Deſirant ita inter reſpondendum peccaſſet, cur debuerunt ſe fatigare articulis præcisè quinquaginta quinque ad illud probandum? atque ſi totidem articulis indiguerint, quis facilè credat prætenſum hunc errorem tam eſſe manifeſtum? Examinemus hanc rem, ſi placet, animo pacato, & Romanis Catholicis digno.

107. Objiciunt articulo 219. *Cùm enim articulo quarto Reus reſpondiſſet ſe Epiſtolam eandem die decimâ Januarii oſtendiſſe D. Advocato Schonbroeck, deinde articulo quinto reſpondit, quòd die ſequenti eam oſtenderit dictis Dominis.* Sed non citant ulla verba formalia iſtius prætenſæ reſponſionis.

108. Negatur autem & pernegatur, Patrem Deſirant articulo quinto, vel ullo reſpondiſſe, quòd die ſequenti eam oſtenderit dictis Dominis. Proferte verba articuli quinti, & proferte verba iſtius reſponſionis, ſi viri eſtis. Et diſcite, quòd ſi talis reſponſio, quod abſit, taliter data fuiſſet, hæc non argueret niſi lapſum memoriæ, qui in tot & tantis circumſtantiis, inter centenas & centenas interrogationes, & reſponſiones, potuiſſet ſine ulla culpa cadere in virum febricitantem, in horroribus poſitum, perplexumque, quòd tam indignè tractaretur in Univerſitate Catholica, ab hominibus, qui Catholici appellantur. Fuiſſet hic error veniâ dignus, quandoquidem ex articulo octogeſimo quarto, proviſionalis intendit, conſtet, *quòd inter ſignandum reſponſiones, declaraverit, & dictaverit, ſe non velle capi in diebus, quibus hoc iſti vel iſti dixerit:* & articulo 85 *quòd id ipſum voluerit fuſiùs dictare in fine ultimæ ſuæ reſponſionis:* & 86. *quòd D. Henricus Malcorps, uti & Magnificus Dominus, & Aſſeſſor ejus dixerint, non eſſe opus hoc ſcribere, promittentes nullam, quantùm ad dies, vim faciendam eſſe.* Fueratque hæc cautio Patri Deſirant viſa opportuna, quia interrogationes & reſponſiones duraverant univerſim plus quàm per viginti quatuor horas, ita ut febricitans, & totus defatigatus, non potuerit ſatis attendere, utrùm omnia prælegerentur, ſicut fuerant reſponſa, ut taceatur, quòd Scriba per inadvertentiam potuiſſet unum pro altero, in tam copioſis ſcriptionibus exaraſſe, ſine ulla malitia.

Digitized by Google

109. Fuiſſetque eò magis veniâ dignus, quòd ipſimet Adverſarii fateantur, quòd P. Deſirant ſuæ libertati reſtitutus, in uberiori reſponſione, quam die 24. Maii exhibuit, ſe apertiſſimè declaraverit. Verba ipſorum ſunt in Concluſione finali articulo 236. *Et ipſe Reus in mendaciis ſibi non conſtans articulo 399. reſponſionis ulterioris fatetur, quòd ex parte ſua nihil revelatum fuerit, nè quidem Eximiis DD. Daemen, Daelman, Plebano, & aliis, uſque ad præfatam vigeſimam-tertiam Januarii.*

110. Sed non eſt hoc, quod nunc quæritur. Debent Adverſarii, ſi boni viri ſunt, oſtendere Patrem Deſirant *ad articulum quintum* reſpondiſſe, quòd *famoſam Epiſtolam de* 10. *Januarii, die ſequenti oſtenderit dictis Dominis.* Niſi Adverſarii hanc reſponſionem proferant, non tantùm nihil probant, ſed novæ ſeſe calumniæ rursùs obnoxios faciunt. Proferant, inquam, jactatam hanc reſponſionem ad articulum quintum. Facile fuit Adverſariis hæc & iſta objicere coram Judicibus, quando certi erant, quòd Pater Deſirant non eſſet cogniturus quidnam objicerent. Facile fuit ipſis in ſua Concluſione finali centies & centies petere; *quarè factum eſt hoc, & quarè factum non eſt iſtud*, ubi ſciebant quòd Pater Deſirant eſſet ignoraturus multiplex illud *quarè*, & conſequenter ponendus extra poteſtatem loquendi tunc, quando pro parte Actoris ſciebant interventurum Advocatum Fiſcalem, qui haſce interrogationes promovere poſſet; pro parte verò innocentis nullus adfuturus, qui reſpondiſſet: & ut aliquis ex præſentibus reſpondere voluiſſet, non potuiſſet; agebatur enim de factis, æquè ignotis ac fictis. Apertiùs nunc diſcimus, cur in inſtructione cauſæ reputatum fuerit pro ſacroſancto, nè P. Deſirant ullo modo ſciret, quænam circumſtantiæ urgerentur, & conſequenter reſpondere ac ſe defendere non poſſet. Et ut hoc fatale ſecretum magis roboraretur, Procurator Quirini (ille ſatelles doloris, qui ſine ullo charactere die 17. Decembris ſcandaloſam illam apprehenſionem corporalem in perſonam Patris Deſirant, cum tanto exceſſu exercuit, ut parum abfuerit, quin ſequeretur dura mors) in ſuis terminis utebatur ignoto nomine quorumdam Potentium, quaſi hi inſtarent, ut cauſa accelararetur, ideoque Patri Deſirant denegandæ forent, quas petebat defenſiones.

111. Cùm etenim Aſſeſſor quaſi *ex ſpeciali gratia* indulſiſſet ſex dies ad reproducendos teſtes, idque per Decretum de die 10. Auguſti, dictus Procurator Quirini die 11. ſervavit terminum ſequentem: *Quirini viſo Decreto noviſſimo dicit, ſe maximam habere anſam conquerendi de illo, quandoquidem poſt ſecluſorium die 8. currentis eidem reo detur adhuc terminus ſextidui, directè contra ordinarium cauſæ curſum, qui fuit tridui, & non obſtantibus continuis querelis advenientibus ob nimiam protractionem hujus negotii.*

Digitized by Google

112. Ut autem redeamus ad petitam reſponſionem, quam Pater Deſirant feciſſet ad articulum quintum, de qua ſuprà, proferemus eam nos ipſi ex ipſamet præſenti Concluſione finali partis adverſæ, non quidem eo loco, quo debuiſſet poni, hoc eſt, non articulo 219. ubi perperam dicunt, quòd P. Deſirant reſpondiſſet, ſe Epiſtolam die 11. Januarii oſtendiſſe *dictis Dominis*; ſed alio loco, ubi intendentes novam fictionem fingere, produxerunt hujus reſponſionis verba formalia, ex quibus evidentiſſime conſtat, quòd Pater Deſirant ad quintum articulum nequaquàm reſponderit, ſe die 11. Januarii præfatam Epiſtolam *dictis Dominis oſtendiſſe*, ſed Notario *van Dormael*.

113. Adverſariorum verba ſunt articulo 252. & 253. ùt ſequitur: *Articulo quarto dixit P. Deſirant, quòd Tourteau eam ſibi attulerit eodem die 10. Januarii; quodque ſtatim juſſerit ejuſdem fieri copiam per dictum Tourteau, atque eodem die Epiſtolam oſtenderit Domino Schonbroeck, ut copiam authenticaret.* ET ARTICULO QUINTO DIXIT, QUÒD DIE SEQUENTI EODEM MODO OSTENDERIT NOTARIO VAN DORMAEL AD EOSDEM FINES, PROUT ANTE DOMINO SCHONBROECK. Ecce deſideratum articulum quintum, & reſponſionem, quam iidem Adverſarii confitentur datam fuiſſe ad eundem articulum quintum. Ubinam ſit illic mentio de dictis quatuor Dominis? Comprehenduntur nè dicti Domini ſub nomine Notarii van Dormael? An vos non pudet ſic reſponſiones fingere, ſic textus falſare, ſic calumniari?

114. Saltant nunc ad alia, & ut per conſequentiam inferant, id, quod de reſponſione ad articulum quintum finxerant, & ſeſe finxiſſe noverant, ſubſtituunt reſponſionem aliam, quæ toto cælo diſcrepat. Ita enim objiciunt articulo 220. *Quin & articulo decimo tertio interrogatus, quarè, loco, quòd remiſerit Epiſtolam dictam ad Curſorem, non miſit ad Magnificum D. Rectorem, ut author hujus facinoris propriâ manu convinceretur, puniretur cum omnibus ſuis complicibus, & congregationes & conſpirationes tales diſſiparentur? Reſpondit: quòd in re tanti momenti judicaverit præmittenda conſilia cum prædictis de ſtricta Facultate, quæ conſilia, ait, duraverunt ad 23. Januarii 1707.*

115. Et poſteà ſubjiciunt articulum 221. *Si verum hic diceret Reus, & iis Dominis ſincerè totum negotium expoſuiſſet, unaque indicaſſet Petrum Tourteau hujus Epiſtolæ ſcriptorem & bajulum, necnon, quòd hujus tam inſignis bajuli fidei unicè inniteretur horrenda conſpiratio contra Statum & Religionem, de qua in Epiſtola & Formulario adjuncto; aliqua ſaltem appareret in Reo ad detegendam hujus Epiſtolæ ſinceritatem, diligentia & ſinceritas, ſed nihil minus feciſſe, mox convincetur.*

116. Pro reſponſione notandum, ex noviſſimo hoc Adverſariorum diſ-

Digitized by Google

curſu confirmari, quòd ſciant, ſe finxiſſe ſuprà, Patrem Deſirant ad articulum quintum reſpondiſſe, quòd Epiſtolam dictis Dominis communicaſſet die 11. Januarii. Quoniam verò ſciunt id, quod in hac fictione ſupponitur, ſibi neceſſarium eſſe ad coloranda ſcommata ſtatim relata, quæ in Patrem Deſirant evomere conſtituerant, ideo impendunt reſponſionem ad articulum 13. datam, ex qua nituntur per conſequentiam deducere, quòd Pater Deſirant reſpondiſſet ſe Epiſtolam illam oſtendiſſe dictis Dominis de ſtricta Facultate, ante 23 Januarii.

117. Evidens eſt, quòd nodum in ſcyrpo quærant, & ſuſcitent litem de lana Caprina, nè dicam de Aſini umbra. Omnis enim vir prudens ſatis advertit, hanc circumſtantiam dierum eſſe leviſsimi momenti, nec poſſe inferre ullam criminis ſpeciem, ſed ad ſummam in reſpondendo, ad tot & tantas, centenas ſcilicet atque centenas interrogationes, imprudentiam, non impudentiam; oblivionem, inquam, vel inadvertentiam, commiſſam à perturbato & febricitante.

118. Negatur autem, quòd ex prædicta reſponſione, quantumvis adulterata, ad articulum 13. ullo modo ſequatur, quòd P. Deſirant reſpondiſſet ſe Epiſtolam illis oſtendiſſe. Nam imprimis in reſponſione, prout hîc reproducitur, non dicitur aliud, quàm *quòd judicaverit præmittenda conſilia.* In quo autem iſta conſilia conſtiterint, nullo modo ibidem exprimitur. Quòd hæc conſilia debuiſſent conſiſtere in deliberationibus, *an Epiſtola Rectori communicanda foret*, eſt fictio Adverſariorum. Conſilia in hoc ſita erant, utrùm eſſet credibile, & veroſimile, quòd tales talia machinarentur. Hæc autem conſilia tunc reverà fuiſſe adhibita, oſtenſum eſt ſuprà, ac Adverſarii faſſi ſunt, & ad abundantiorem convictionem ſtatim repetemus.

119. Sed priùs oſtendenda nova falſatio & adulteratio verborum, ab Adverſariis in re ſummi momenti, tam clarè perpetrata, ut ſaltet ad oculos. Dicunt enim articulo 220. Patrem Deſirant ad articulum 13. tantummodo reſpondiſſe, *quòd in re tanti momenti judicaverit præmittenda conſilia cum prædictis de ſtricta Facultate, quæ conſilia, ait, duraverunt ad 23. Januarii.*

120. Articulo verò 228 recenſent alium articulum quem vocant quintum, in conſequentiam præfatæ reſponſionis, Doctoribus Daemen, & Daelman propoſitum, in verbis per litteras curſivas expreſsis. *An dictus Pater Deſirant cum deponente, vel cum aliis iniverit conſilia, an Epiſtola de decima Januarii communicanda eſſet Magnifico D. Rectori, & an hæc conſilia duraverint uſque ad 23. ejuſdem menſis?*

121. Non eſt dubium quin reſponderint negativè, quia reverà Pater Deſirant hoc eis non propoſuerat. Si namque citatus articulus 220. con-

Digitized by Google

feratur cum articulo 228. manifeſtum eſt, quòd prætenſa Patris Deſirant reſponſio ſit falſata per intruſionem horum verborum, *an Epiſtola de* 10. *Januarii communicanda eſſet D. Rectori.*

122. Eſtque hæc intruſio facta contra ſenſum naturalem, tam interrogationis, quàm reſponſionis decimæ tertiæ, de qua agitur; quia interrogatio illa continebat, quarè Epiſtola originalis non fuiſſet communicata Rectori, *ut author hujus facinoris propriâ manu convinceretur.* Reſponſio autem fuit, quòd P. Deſirant defungebatur ſuo munere, præparando, & præmittendo conſilia cum iis, qui erant de Facultate, quòd autem per hæc conſilia non potuerit intellexiſſe deliberationes, an originalis Epiſtola eſſet communicanda Rectori, *ut author hujus facinoris propriâ manu convinceretur*, probatur ex verbis per Adverſarios productis, *quæ conſilia duraverunt uſque ad* 23. *Januarii.* Etenim Originale fuerat deſtinatum die 11. Januarii; ergo conſilia, quæ duraverunt uſque ad 23. Januarii, ridiculè & contra omnem ſanum ſenſum acciperentur pro deliberationibus, an Rectori communicandum eſſet Originale, *ut author hujus facinoris propriâ manu convinceretur.* Fuerunt ergo alia conſilia, de quibus ſtatim.

123. Totus error in eo verſatur, quòd ſicut Adverſarii articulo 219. finxerunt reſponſionem, quam P. Deſirant dediſſet ad articulum quintum; ita pariter articulo 220. fabricaverunt reſponſionem, tanquàm ab illo datam ad articulum decimum tertium. Fabricaverunt, inquam, eamque ex pluribus reſponſionibus conſuerunt & aſſuerunt, ut faceret ſenſum ridiculum, & minimè ſibi cohærentem.

124. Interrogatio ſiquidem decima tertia, eò tendebat, ut Patrem Deſirant argueret, quòd in re tanti momenti, non rectà ad Rectorem veniſſet. Ad quod reſpondit P. Deſirant, hanc eſſe materiam Theologicam & dogmaticam, atque ideo primam inſtantiam non ad Rectorem, ſed ad Theologicam facultatem ſpectare; prout eadem facultas adhuc recenter ſuſtinuerat & practicaverat in Cauſa Caroli du Cellier.

125. Et quod plus eſt, nuſquam dixit P. Deſirant ſe conſilia illa contuliſſe cum dictis Dominis quatuor. Sed uſus eſt hiſce terminis, *ſe adhibuiſſe conſilia amicorum* Et alio die, atque ex alia occaſione interrogatus quinam eſſent amici? Reſpondit *Doctores Daemen, Parmentier, Daelman & alii.* Neque hos alios tunc nominavit quidem. Hinc conſequentiam fecerunt doloſiſſimam, quod quidquid reſpondiſſet de amicis, hoc ad dictos dominos referendum eſſet. Et cùm tres priores ſint de ſtricta facultate; in falſata propoſitione intruſerunt hæc verba: *cum prædictis de ſtricta Facultate.* Legatur enim reſponſio, prout eam præfato articulo 220. exhibent. Intruſio dictorum verborum *cum prædictis. de ſtricta Facultate*, invertit

Digitized by Google

vertit totum reſponſionis ſenſum. Supponatur enim interrogatio, prout ibidem jacet: *quarè loco, quòd remiſerit Epiſtolam dictam ad Curſorem, non miſit ad Magnificum Dominum Rectorem, ut author hujus facinoris propriâ manu convinceretur, puniretur cum omnibus ſuis complicibus, & congregationes & conſpirationes tales diſſiparentur.* Reſponſio fuiſſet, *quòd in re tanti momenti judicaverit præmittenda conſilia cum prædictis de ſtrictâ Facultate.* Quinam erant iſti prædicti? vox *prædicti*, præſupponit anteà dictos fuiſſe. Anteà verò non fuerunt nominati niſi amici, ut diximus.

126. Probamus hoc ex articulis ſcedulæ contrariorum factorum, ad quos Adverſarii non fuerunt auſi reſpondere. 82. *Quòd rogatus nominare amicos, expreſſerit nomina Doctorum Daemen, Daelman, Parmentier, & Licentiati Pauwels* 83. *Quòd multoties addiderit particulas*, ET ALIOS.

127. Dicent, ſcio, Adverſarii hoc argumentum negativum eſse; nam ut hoc poſſent dicere, tantas tragœdias excitarunt, ut impedirent, quominùs Pater Deſirant poſſet producere teſtes neceſsarios, prout cum effectu impediverunt. Oſtendemus autem, quòd ipſimet faſſi fuerint, quòd P. Deſirant interrogatus, an adhibuerit aliquas diligentias, ad veritatem indagandam, & quas? reſponderit in terminis, *ſe adhibuiſſe conſilia amicorum.*

128. Excæcati enim, atque obliti corruptionis, quam citatis articulis 220. & 228. fecerant, vera & formalia reſponſionis verba reproduxerunt in alios fines, in eadem hac Concluſione finali, & ita ſibi rursùs contradixerunt, & de nova textûs falſatione convicerunt.

129. Legatur Caput nonum, ubi per compendium repetunt, quæ anteà nimis fusè deduxerant. Verba articuli 1013. ſunt. *Interrogatus articulo 35. an adhibuerit aliquas diligentias ad veritatem indagandam & quas? Reſpondit ſe adhibuiſſe conſilia amicorum.*

130. Huic reſponſioni innixi poſteà interrogaverint Doctores Daemen, Daelman, Parmentier & Licentiatum Pauwels, prout turpiter fatentur articulo 1014. cujus hæc ſunt verba: *Interrogati amici unanimiter reſponderunt ad articulum ſeptimum, nullum conſilium petitum, vel datum eſſe.*

131. Quòd verò per amicos qui ſic reſponderunt *ad articulum ſeptimum*, intelligant Doctores Daemen, Daelman & Parmentier, & Licentiatum Pauwels, pleniùs probatur ex ipſorum articulo 231. ubi dicunt: *Interrogatus* ARTICULO SEPTIMO *D. Plebanus, an dictus Pater Deſirant adhibuerit conſilium &c.* Et art. 232. *interrogatus ſuper eodem articulo D. Parmentier.* Et art. 233. *ſimiliter interrogati Eximii Domini Daemen & Daelman, reſponderunt ſe nullum conſilium dediſſe.*

132. Indenè ſequitur id, quod articulo 114. objicitur: *Interrogati amici*

Digitized by Google

unanimiter reſponderunt? Quomodo amici reſponderunt *unanimiter*, cùm nec omnes fuerint interrogati, nec omnes nominati? Quinam enim ſint *iſti alii*, hactenùs declaratum non fuit, & Jure merito.

133. Cùm autem jam toties oſtenſum ſit, quòd Adverſarii in hac Concluſione finali adulteraverint verba tam interrogatoriorum, quam reſponſionum, credi non debet referentibus, quòd amici *unanimiter reſponderint ſe nulla conſilia dediſſe.*

134. Verum quidem eſt, quòd Adverſarii ſtatim poſt reſponſiones à Patre Deſirant diebus 30 Aprilis, 2. & 4. Maii factas raucis clamoribus evulgaverint, Patrem Deſirant confeſsum fuiſse fictiones, & ſe excuſaſse, dicendo, quòd ſecutus fuiſset conſilia amicorum, inter quos nominaſset Doctores Daemen, Daelman, Parmentier, & Licentiatum Pauwels. Vafra hæc conſilia adhibuerunt, partim ut hos amicos terrerent, nè Patrem Deſirant adjuvarent, prout ipſe aliquando fideliter adjuverat illos in tempore opportuno; partim ut eoſdem, ſi potuiſsent, in reatum traxiſsent, & hoc medio, ſaltem à ferendis teſtimoniis repuliſsent, prout fecerunt reſpectu Patris d'Herbe, & tentaverunt facere reſpectu Patris Leopoldi à Sta. Thereſia.

135. Non debet ergo mirum videri, ſi amici in illis circumſtantiis poſiti, reſponderint, ſe *non dediſſe conſilia ad fingendum, vel fictiones ſuſtinendum.* Interrogentur amici, an qui primi interrogati fuerunt, non ſic dederint ſuas depoſitiones, ut jurati non fuerint. Et utrùm non fuerint prudenter moniti, rem ſuſpectam eſſe, quòd non fuiſſent ad juramentum aut requiſiti, aut admiſſi. Et utrùm die ſequenti deſuper conqueſti non fuerint, & juramentum præſtiterint. Per ſimiles enim fraudes & dolos Patres Deſirant & d'Herbe in reatum tracti fuerant, dum vocati ùt teſtes, & nihil mali ſuſpicantes, depoſuerant ſine juramento. Intentio enim accuſandi præceſſerat omnem notitiam delicti. Prætenſa notitia delicti fundata fuit in variationibus Petri factis poſt 26 Martii, prout Adverſarii per totam hanc Concluſionem finalem fatentur. At verò P. Deſirant in judicio comparuit tamquàm teſtis die 14 Martii, prout patet ex actis. Nec poteſt dicere D. Henricus Malcorps, quòd ideo P. Deſirant ad juramentum admiſſus non fuerit, quia in depoſitione, quam illâ die fecit, depoſuiſſet aliquid contra ſeipſum. Mos enim ordinarius & praxis, quam obſervavit erga alios, obtinet, ut teſtes jurent, antequàm incipiant deponere. Non poterat D. Henricus Malcorps ſcire, quid Pater Deſirant depoſiturus eſſet, antequàm incœpiſſet. Quòd ergo non fecerit, aut permiſerit eum jurare, antequàm inciperet, ſignum fuit manifeſtum, quòd voluntas illum accuſandi jam non tantùm concepta, ſed etiam nata & robo-

rata eſset, priuſquàm aliqua delicti ſpecies occurriſset. Scilicet die 7. Februariii 1707. Lugduni Batavorum decretum fuerat: *maer bysonderlyck moet op den Augustyner Monick gecanonneert vvorden.* Id eſt, *ſed præcipuè tormentis bellicis explodendum eſt in Auguſtinianum Monachum.* Hoc verò intellectum fuiſse de Patre Deſirant, non tantùm patet ab eventu, verùm etiam ex Confeſſione Adverſariorum, qui non modò in reſponſione ſua ad concordantiam, non fuerunt auſi hoc negare, cùm tamen haberent ad manum Henricum Graſper, qui potuiſset huic decreto alium ſenſum dare, ſi alius extitiſſet: & inſuper, quia Pater Deſirant optimè recordatur, quòd eâdem die 14. Martii D. Henrico Malcorps conqueſtus fuerit, tale quid in una ex litteris dicti Graſper contineri, & quòd dictus D. Malcorps cum fervore reſponderit: *Quis dubitat, quin in te explodendum ſit?* Conjungantur iſta cum reliquis.

§. XI.

Quòd præfati amici reverà pluries plura conſilia contulerint cum P. Deſirant, *tam antè, quàm poſt* 22. *Januarii* 1707. *& in omnibus obſervaverint bonam fidem ejuſdem.*

136. UBicumque igitur amici potuerunt reſpondiſſe, ſe non dediſſe conſilia Patri Deſirant, intelligendi ſunt tam ex circumſtantiis, quàm ex claris expreſsionibus quas fecerunt, quòd nulla conſilia petita vel data fuerint ad fingendum, fictionibusvè concurrendum, aut defendendum.

137. Alioqui quomodo poſſet negari, quòd fuerint collata conſilia ubi Adverſarii non tantùm fatentur, verùm etiam objiciunt articulo 203. & 204. quòd P. Deſirant *retulerit in Congregatione Facultatis*, quòd circa 17. Octobris 1706. *habita fuiſset prætenſorum Janſeniſtarum Congregatio*? Verum quidem eſt, quòd Doctor Renardi inſinuaverit, Doctorem van Eſpen fuiſſe tunc abſentem, & D. Melis infirmum. Sed jam reſponſum eſt ſuprà, quòd Pater Deſirant hoc dictum ejus acceperit potiùs pro excuſatione, quàm affirmatione; idque ideo, quia Petrus, qui adhuc reputabatur integræ fidei, perſiſtebat, quòd vidiſſet intrantes & exeuntes, & quia duæ reſolutiones, quas Petrus referabat tunc cœptas fuiſſe, inventæ fuerunt veritati conformes, nimirùm de reſumenda cauſa Gerberonis; & quòd deberet moneri Doctor Sullivane, ut litem reſumeret pro loco ſtrictæ Facultatis. Licèt enim hic Doctor nec Congregationi interfuerit, nec litem reſumpſerit, fatetur tamen ſe monitum fuiſſe, ut reſumeret, ſed no-

Digitized by Google

fuiſſe. Nec Petrus dixerat hunc interfuiſſe; ſicut neque in Libro Reſolutionum inventum eſt, ipſum vel interfuiſſe, vel conſenſiſſe.

138. Quomodo non fuiſsent collata conſilia, quandoquidem ex depoſitionibus juratis tam Doctoris Parmentier, quàm D. Advocati van Schonbroeck ad articulum 15. ſcedæ contrariorum factorum conſtet, quòd de iſta reſumptione litis Gerberonianæ, quam P. Deſirant à Petro intellexerat, antequàm crederetur poſſibilis, ſpecialiter actum fuerit in cubiculo Patris Deſirant cum Doctoribus *Parmentier*, *Daemen*, *Daelman*, *& Plebano Pauwels*?

139. Quomodo non fuiſſent collata conſilia cum iiſdem, quos conſtat toties apud Patrem Deſirant fuiſse, ut loquerentur ſimul de iis, quæ ſpargebantur, & inter alia deliberarent de libro quodam, ſive libris ex parte cujuſdam Poteſtatis Eccleſiaſticæ miſsis ad examinandum? quod examen eò deductum fuiſse, ut jam inde excerptæ forent aliquot propoſitiones ad Cenſuram paratæ, nimis liquidè probari poteſt. Licèt ergo P. Deſirant non illis quatuor, ſed amicis aliis, inter quos D. Advocatus van Schonbroeck, & Notarius van Dormael, de famoſa Epiſtola ante 22. Januarii expreſsè locutus fuerit; in omnibus tamen occaſionibus etiam cum illis quatuor conferebat, proponens nunc hoc, nunc illud, ut quoquomodo cognoſceret, an & quòuſque probari poſsent, quæ Petrus Nicolaus attulerat. Et nè ludatur in nomine; P. Deſirant per conſilia nihil aliud intelligit, quàm deliberationes familiares tendentes ad detegendam veritatem. Et talia conſilia tractata & data fuiſſè, ſufficienter probatur ex jurata depoſitione præfati Doctoris Daemen ad articulum 81. ſcedæ contrariorum factorum, *quantùm ad conſilia, ſe non aliter, nec alia conſilia dediſſe, quàm ut inquireretur veritas litterarum.* Data ſunt ergo conſilia hoc ſenſu.

140. Quomodo non fuiſſent collata, quandoquidem inſuper ex actis conſtet, dictos Dominos eòuſque fuiſſe inſtructos & informatos, ut aliquando ſimul cum Patre Deſirant cenſuerint, & quæ Petrus attulerat non eſſe ficta, prout in judicio ſub juramento declaravit Doctor Parmentier ad articulum 88. & 89. reſpondens, *quòd aliquando exiſtimaverint Epiſtolam de 10. Januarii, & Librum Reſolutionum non eſſe ficta, & hoc maximè propter concordantiam cum litteris Graſper.* Et Doctor Daemen agnoſcit quidem ſe aliquando judicaſſe Epiſtolas eſſe fictas, ſed ad dictum art. 88. addit, ſe judicaſſe *aliquando, non eſſe fictas, eò quòd aſſereretur, quòd venirent ex via Sacramenti Pœnitentiæ, & ex conſilio Confeſſarii fuiſſent communicatæ.* Cui addi poteſt, quòd ex actis conſtet, Confeſſarium non primò veniſſe ad Patrem Deſirant, ſed ad hunc Doctorem Daemen, & hunc Doctorem con-

Digitized by Google

ſuluiſſe, ut Confeſſarius accederet Patrem Deſirant, prout illum conſtat feciſſe. Addit Doctor Daemen ibid. *Et quia D. Opſtraet tergiverſabatur tanto tempore exhibere originalem Epiſtolam ſacræ Facultati.* Et ad articulum 89. addit aliam rationem, *quòd propter illam concordantiam judicaverit dari pondus pro veritate.*

141. Quomodo denique non fuiſſent inita conſilia, quandoquidem omnes & ſinguli, ſeorſim in judicio interrogati, ſub juramento declaraverint quòd de præfato negotio cum Patre Deſirant agentes ſeu conferentes, ſemper in ipſo obſervaverint bonam fidem? Ad art. 105. qui erat, *quòd qui de præfatis Epiſtolis cum Eximio Patre prævio naturali ſecreto egerant, ſemper obſervaverint in Eximio Patre bonam fidem.* Doctor Parmentier reſpondit, *quantùm ad ſe affirmativè.* Doctor Daemen remiſit ſe ad id, quod depoſuerat art. 8. in verbis, quòd hoc factum fuerit non ad diffamandum, *neque etiam apprehenderit in ipſo aliam, quàm bonam fidem.* Et D. Plebanus, *ſemper iſtam apprehenſionem habuit, quòd bonâ fide procederet Eximius Pater.* Et Doctor Daelman, *de fine, quem intendit Pater Deſirant, non poteſt ita reſpondere, licèt verum ſit, quòd Eximius D. Deponens non obſervaverit malam fidem.* Quibus ob convenientiam materiæ addi poteſt depoſitio Advocati van Schonbroeck ad art. 81. *quòd quantùm in ſe eſt, non poſſit aliter judicare, quàm quòd dictus Eximius Pater illud fecerit bonâ fide.* Et Confeſſarius Pater Grauwels ad art. 154 *quòd in his dum egit cum Eximio Patre, reflexerit, quantùm potuit, bonam fidem.* Et Notarius van Dormael ad art. 81. *ſe ſemper judicaſſe Eximium Patrem Deſira t agere bonâ fide.* Collata ſunt ergo conſilia cum his & cum aliis; ſemperque & in omnibus Pater Deſirant egit bonâ fide, prout ex ſeptem juratis conteſtibus in officio & dignitate conſtitutis, omnique exceptione majoribus, & per ipſoſmet Adverſarios in teſtes productis, adeoque canonizatis, ſatis ſuperque oſtenditur.

§. XII.

Reſpondetur ulterioribus cavillationibus circa communicationem & non communicationem amicis factam.

142. HAbebant Adverſarii totam cauſam & inſtructionem ejus ita in ſua poteſtate, ut non tantùm ſecuri forent, quòd P. Deſirant numquam eſſet habiturus notitiam ullius diſtincti gravaminis, vel ullius diſtinctæ circumſtantiæ, quam intendiſſent, aut potuiſſent probare; verùm etiam certiorati, quòd nè quidem ei communicandus eſſet ullus articulus, ſuper quo teſtes vel auditi, vel recollecti fuerunt. Tantùm a-

Digitized by Google

beſt, ut ſpes fuiſſet obtinendarum depoſitionum, quas teſtes fecerant, licèt illud expreſsè requiratur per cap. *qualiter & quando*, ⅹ de accuſationibus.

143. Hâc inauditâ, & in nullo hactenùs Chriſtiano Tribunali uſurpatâ licentiâ freti, fanda atque infanda miſcuerunt in ſua Concluſione finali, nihil curantes quòd contradictoria adferrent, nunc criminando Patrem Deſirant, quia hoc vel illud feciſſet, & ſtatim poſteà eundem accuſando, quia idem non feciſſet. Percutiebant gladio ex utraque parte acuto, & feriebant inermem, cui omne defenſionis inſtrumentum ademerant.

144. Exemplum in circumſtantia, de qua ſtatim agebamus, de communicatis, & non communicatis conſiliis cum amicis. De illa ſatis petulanter agunt articulo 244 ubi loquuntur de Altioribus Poteſtatibus, Inter-Nuntio Apoſtolico, & Archiepiſcopo Mechlinienſi. In libello gravaminum, quem ſolum Patri Deſirant communicaverunt, finxerunt art. 20., ſe Patrem Deſirant reum habere, quaſi dictas Poteſtates, per quarumdam copiarum tranſmiſsionem circumveniſſet. In ſua verò Concluſione finali, quam communicandam non eſſe ſciebant, mutârunt vela ſua, & utramque illam Poteſtatem de indigniſsima contra prætenſos Janſeniſtas præventione notare auſi ſunt. Verba citati articuli 240. ſunt : *Malebat ea Altioribus Poteſtatibus clanculum communicare, nullo adhibito conſilio; quia has contra prætenſos conſpiratores & Janſeniſtas noverat magis præventas, & conſequenter faciliùs hiſce fictis inſtrumentis ſine magno examine fidem ab ipſis habitum iri in perniciem ſuorum Adverſariorum.*

145. Hic meritò a Concluſionis finalis ſubſcriptore petetur, quòuſque tandem abutêris, *Henrice Malcorps*, Romanæ Eccleſiæ patientiâ? Nonnè vides atroces has injurias integerrimis iſtis Prælatis illatas, in Sedem redundare Apoſtolicam? Verbis te S. Auguſtini conveniam : quid tibi hæc Cathedra fecit, in qua olim Petrus ſedit, & hodiè Clemens XI. ſedet? Si quid enim in Janſeniſtarum cauſa duo ſupradicti Antiſtites cupiunt, ex Romanis Decretis atque Conſtitutionibus venire notiſsimum eſt. Non ergo jam Patrem Deſirant culpas, quaſi voluiſſet circumvenire deceptos, ſed decipere quodammodo decipi volentes. Cùm verò illorum merita ita ſint calumniis tuis ſuperiora, ut defenſione non egeant, dicam breviter id, quod ad Patris Deſirant cauſam valebit, quòd ſibi ſolus ſuffecerit ad judicandum an conveniret Prælatis iſtis copias mittere pro informatione; quodque illud fecerit optimo modo & bonâ fide, & quòd ex abundanti inſuper amicorum conſilia adhibuerit. Tu ipſe id confiteris, & novâ rursùs contradictione objicis art. 275. in verbis: *Addit quidem ſe*

hic adhibuiſſe conſilium tantùm aliquorum. Interim ex præfato articulo tuo 240. ſatis conſtat, non tantùm quid contra duos illos Prælatos moliri auſus fueris, verùm etiam, quale patrocinium prætenſis Janſeniſtis impenderis tu, qui in Univerſitate Catholica Advocatum Fiſcalem agis. Officium quidem illud manuale eſſe ex faſtis Academicis conſtat. Quamdiu autem ſcietur, quòd tu illud geras, poterit cogitare Sedes Apoſtolica, poteruntque cogitare parentes filiorum, qui ad Univerſitatem iſtam mittuntur, quantam protectionem illic Janſeniſmus obtineat. Et propter hoc ſolum, debuiſſes à talibus abſtinuiſſe.

146. Pergunt ibidem ſtylo ſolito: *ſed & in hoc rurſùs mendacii redarguitur ex depoſitionibus Doctorum dictæ Facultatis ad art. 5. ipſis propoſitum die 23. & 24. Maii, qui erat, an de conſilio D. Deponentis eadem Epiſtola miſſa ſit ad Altiores Poteſtates? Ad quem omnes interrogati, unà cum D. Plebano reſponderunt negativè.*

147. Quid illi reſponderint, neſcio. Nihil ſtultius, quàm vobis poſt tot falſationes detectas in iis quæ vidimus, adhibere fidem in iis quæ non vidimus. Hoc jam diſco, quòd fateamini, vos dictis Doctoribus propoſuiſſe nova ſophiſmata ad quæ reſponderent. Nuſquam enim Pater Deſirant dixerat, ſe per iſtos *aliquos* intellexiſſe unum ex illis quatuor. Verba ejus ſemper fuerant, prout alibi etiam ex dictis veſtris oſtenſum eſt, ſe adhibuiſſe *conſilia amicorum.* Et cùm ex alia occaſione alibi alia interrogatio Henrico Malcorps in mentem incidiſſet, peteretque *quinam ſint amici?* Pater Deſirant reſpondit, *amicos eſſe Doctores Daemen, Daelman, Parmentier, & D. Plebanum Pauvvels, & alios.* Sed hos alios numquàm nominavit. Nunc verò hanc particulam *& alios* prætеritis; & quidquid de amicis *aliquibus* ſine expreſſione dictum fuerat, ad aliquem ex nominatis quatuor reſtringitis, id eſt dictum ſecundùm quid accipitis ſimpliciter, quod Sophiſtarum eſt. Ex his patet, quàm leviter in novum ſcomma erupentis articulo proximè ſubſequenti, *impudentiſſimum igitur mendacium eſt.* Audite Athenæ Belgicæ, notus vobis D. Henricus Malcorps impudentiſsimum mendacium objicit.

148. Ejuſdem farinæ eſt, art. 257. *ſuper hoc agendi modo ipſe Reus*, id eſt, Pater Deſirant *interrogatus articulo 14. quomodo curaverit fieri per Facultatem (nimirùm ut rogaretur Licentiatus Opſtraet, ut curaret reproduci originale) cùm decimâ Januarii conſtiterit interrogato dictam Epiſtolam fuiſſe ſcriptam manu junioris Tourteau & inde haberet plures copias? Reſpondit, quòd eximius Pater hanc rem noluerit tractare marte proprio, ſed conjunctim cum aliis, juxta ſtylum Facultatis ſacræ, ubi licèt aliquid denuntiatur uni de corpore, ille tamen non ſolet procedere ſolus, ſed conjunctim cum aliis.*

Digitized by Google

149. Reſponſio hæc fuit juſtiſſima, ſi taliter data fuerit. Licèt etenim quilibet de ſtricta Facultate privata privatim faciat, prout in Domino judicaverit expedire; attamen quæ ſunt publica, & præſertim quæ comprehendunt exercitium Juriſdictionis œconomicæ., quâ dicta facultas in ſibi ſubjectos gaudere dignoſcitur, ſemper aguntur conjunctim. Nemini licitum eſt *procedere* marte proprio. Idcircò P. Deſirant, licet quædam privata privatim & ſecretò egiſset, attamen cùm eſset publicè monendus & interrogandus Licentiatus Opſtraet, noluit *marte proprio*, ſed conjunctim cum aliis *procedere*.

150. Pergunt Adverſarii art. 258., & verba objiciunt ex illa charitate manantia, quâ totam vitam ſuam inſtituerunt. *O hominis imprudentia*, inquiunt. Ita videntur excæcati, ut non videant; ita obdurati, ut non ſentiant, verba illa Chriſtianis indigna aſſiduè manifeſtare motiones animi, quibus ſolis delectari videntur.

151. Articulo eodem parant Achillem ſuum, non per aliquam probationem; ſed in ſophiſmatibus hærentes rursùs quarificant: *Si noluerit hanc rem tractare marte proprio, ſed conjunctim cum aliis de Facultate juxta ſtylum Facultatis, quare cum nullo de Facultate rem communicavit à decima Januarii uſque ad 23. ejuſdem menſis, ſed omnia proprio marte tractavit?*

152. Cauſa per ſe patet, quia à decima Januarii uſque ad 23. ejuſdem menſis, nullus contra quempiam proceſsus inſtitutus, vel inſtituendus fuerat.

153. Iterùm quarificant articulo 259. *quare ſaltem vigeſimâ tertiâ Januarii, dum Facultas congregata occaſione copiæ exhibitæ ſollicite de ſcriptore & Authore Epiſtolæ inquirebat, Facultati hoc negotium cum omnibus circumſtantiis non expoſuit, ipſumque ſcriptorem & delatorem Epiſtolæ non nominavit, ut juxta ſtylum Facultatis ſacræ conjunctim cum aliis procederet.*

154. Satis Facultati indicavit, dum non obſcurè ſignificavit, ſe non fictorem quidem, ſed ſcriptorem noſſe, prout eadem Facultas ad inſtantiam veſtram declaravit die 20. Maii 1707. in verbis, *omnes & ſinguli de Facultate proteſtati ſunt ac juramentum obtulerunt (die 23. Januarii] quòd nullam unquam partem in ea Epiſtola formanda habuerint, nec Auctorem aut fictorem illius cognoverint, excepto quòd Eximius P. Deſirant licet diceret ſe nullatenùs ſcire ullum qui finxiſſet illam Epiſtolam, nolebat tamen dicere quòd non ſciret illius Authorem.* Nec conſentiebat Petrus, ut nominaretur, quinimò intuitu ſacramentalis Confeſſionis, cujus occaſione ſupponebatur rem detectam eſse, promiſſum ei fuerat, quòd exſpectaretur occaſio, quando poſſet ita vocari ad teſtandum, ut Adverſarii ſcire non poſſent, illum quidquam revelaſſe. Tantùm & ampliùs debebatur metui, quem præ ſe

ferebat.

Digitized by Google

ferebat. Prætereà fuiſſet imprudentiſſimum tunc ſcriptorem & delatorem nominare. Nulla enim tunc probatio habebatur ad manum præter ipſius dictum, quod erat ſingulare. Quid ſi Adverſarii produxiſſent originale fictum, alio charactere exaratum? Æqualia fecerunt; finxerunt enim ſe characterem tunc non noſſe, & poſteà confeſſi ſunt, ſe ſciviſſe ab initio, ùt conſtat ex ipſorum art. 184. & 187.

155. Pergunt Adverſarii [non enim Æthiopes pellem mutabunt] art. 260. *Mera ergo hæc mendacia ſunt, per Reum ad occultandam veritatem inventa.*

156. Pacatis animis opus eſt, ad hæc omnia ferenda. Sunt deſtituti omni probatione, ideoque nullam vel umbratilem adferunt. Faciunt interrogationem in aëre, quam ſciunt non communicandam parti, quæ poſſet reſpondere; & ſtatim audacter ſine ullo alio adminiculo concludunt, *mera ergo hæc mendacia ſunt.* Quidnam, obſecro, appellatis mendacium, antequàm ad interrogationem, quam feciſtis, audiveritis reſponſum? Iterùm eadem art. 263. repetunt *abſurda rurſùs mendacia*; cùm tamen faſſi atque convicti fuerint, ſe eâdem die 23. Januarii ſimulaſſe, quòd characterem non noſſent.

157. Nihil ineptius dici, aut cogitari poteſt, quàm art. 276. *vera proinde ratio, cur Reus, id eſt Pater Deſirant, nollet ſcriptorem & bajulum Epiſtolæ indicare Facultati, iſta fuit, quòd prævideret conceptum fictitium negotium certò proditum iri, ubi ſcriptor & bajulus innoteſceret.*

158. Semper loquuntur magiſtraliter, nihil probant, perpetuò interrogant; fingenteſque reſponderi non poſſe, concludunt, quod volunt. Et has interrogationes & iſtas concluſiones multiplicant ſine numero, ut inauditum & indefenſum in vetitas ſuſpiciones trahant.

159. Seipſos verò redarguunt, & petitam ſolutionem adferunt art. 277. *Cupiebat igitur Reus negotium occultari; & tamen unà ipſam Facultatem eidem intricare per reſolutiones captas contra Licentiatum Opſtraet pro reproductione Originalis: quarum reſolutionum ipſe Reus erat præcipuus author.*

160. Nigras nives adfertis, & frigidos ignes, ſiccas aquas, & obſcuram lucem, limpidaſque tenebras, dum pro excæcationis veſtræ pœna juſtiſſima non videtis vos affirmare & negare idem de eodem, eodem modo. Si namque Pater Deſirant erat præcipuus author, ut D. Licentiatus Opſtraet compelleretur ad reproductionem Originalis; ergo non cupiebat negotium occultari. Non enim etiam per intellectus ſubtiliſſimos potuiſſet medium excogitari præſtantius ad negotium revelandum, quàm per reproductionem Originalis, prout ab eventu patuit negotium detectum fuiſſe, quando Originale die 3. Martii productum fuit. Non adferimus probationes aëreas, non ſophiſticas & quarificatas, ſed ab eventu

Digitized by Google

patentes. *Succeſſibus res probantur*, inquit Seneca. Non ergo ad occultandum, ſed ad negotium infallibiliter & tutò detegendum, Pater Deſirant pro Originalis reproductione inſtandum credidit, & res licèt ſerò ſucceſſit.

161. Interrogent nunc Adverſarii cor ſuum, nec mentiatur iniquitas ſibi, & in animo reſpondeant, an in objectis iſtis quinquaginta articulis, ex vera Chriſtiana ſimplicitate, tam exorbitanter licuerit inſultare, & tot ac tanta ſcommata evomere, *quòd Pater Deſirant in mendaciis ſibi non conſtet*, art. 236. *quantâ impudentiâ Pater Deſirant mentiatur*, art. 238. *totius fictionis non tantùm complex, ſed & primarius author*, art. 246. *hic jam eluceſcit vafrities, nè dicam horrenda nequitia ipſius Rei*, art. 249. *ô hominis impudentia!* art. 258. *mera hæc ergo mendacia ad occultandam veritatem inventa*, art. 260. *abſurda rursùs mendacia!* art. 263.

162. Quid ad hæc reponet P. Deſirant, niſi illud S. Athanaſii: *Ad convitia igitur eorum & calumnias, quamquàm multa, & quæ ab illis, utpote ſibi malè conſciis negari non poſſunt, ad ſcribendum ſuppetant; non tamen animum inducam, ut quippiam aliud adversùs eos dicam, niſi Apoſtoli verbum, mendacium eſſe ex Diabolo, & convitiatores Regnum Dei non poſſidebunt.* Apologia de fuga ſua, pag. 163.

CAPUT SEPTIMUM.

Confutatio ſeptimi gravaminis: *quòd Reus per eundem Petrum Nicolaum Tourteau fabricari curavit Librum Reſolutionum, quæ in variis Congregationibus ab iiſdem prætenſis Conſpiratoribus captæ fuiſſent, conformiter ad prædictam confictam Epiſtolam de 10. Januarii 1707. quòdque Reus eidem Tourteau tam Libri hujus, quàm dictæ Epiſtolæ materiam ſubminiſtraverit.*

1. AD hunc articulum Pater Deſirant reſpondit in hæc verba: *negat pro utraque parte.* In toto enim articulo nullam veritatis umbram cognoſcebat, prout neque cognoſcit. Sed numquid ſaltem eſt evidens, quòd Liber Reſolutionum ſit fictus, quòdque ficta ſint omnia, quæ in illo continentur? Utinam quidem! utinam hoc ſaltem ſolatii poſſemus referre, quòd timuiſſemus umbras, quòd lemures impugnaſſemus, & quòd præter contumelias Patri Deſirant illatas, nihil ultra Romano-Catholicis metuendum reſtet! jam verò, cùm omnia proceſſerint ab ho-

Digitized by Google

minibus, qui à medio & quod excurrit ſæculo, edocti ſunt facere & negare, fingere, & ficta dicere, Janſeniſmum ubique promovere, & eundem ubique phantaſma dicere; ſuſpecta ſunt omnia, nec facilè rebus fictitiis accenſenda, niſi illo ſenſu, quo Janſeniſmus, qui totum Belgium turbat, fictitius dicitur ab authoribus, adhærentibus, & defenſoribus ſuis. Claritatis atque diſtinctionis ergo, rem iterum in Paragraphos dividemus.

§. I.

Unus in toto Reſolutionum Libro, ab Adverſariis retro Concluſionem finalem impreſſo, articulus fictus quæritur, nec invenitur.

2. VIdentur Adverſarii cum ſumma facundia exclamare in genere, conficta eſse *omnia*, & Librum Reſolutionum continere *crimina horrenda*, ut à Romanis, quorum adhuc fidem ore nominant, audiantur; pluries autem rogati, ut articulos, quos fictos dicunt, enuntient, tacent omninò, illoſque ne in præſenti quidem ſua Concluſione finali deſignant; fortaſſis, ne intelligantur ab iis, quibus volunt indigere, & ſatis cogniti ſunt.

3. Præſtemus igitur obſequium cauſæ, totum librum percurramus, & videamus, an plauſibile ſit, quod dicunt, hunc librum fictum eſſe. Non quarificabimus ipſos, prout ſolent quarificare alios, id eſt, non quæremus, *quarè hoc, & quarè iſtud?* Sed ſimpliciter proponemus notitias quas de ſingulis circumſtantiis accepimus, quando rem examinabamus, & factis monſtrabimus, adhibita fuiſſe conſilia, & diligentias, quantas poſſet cauſa requirere.

4. Atque ut exordiamur, quæramus primò, utrùm ſit fictum, quòd Doctor van Eſpen veluti Anteſignanus eorum qui ſolent dicere Janſeniſmum phantaſma eſſe, & non dari Janſeniſtas in orbe, niſi in cerebro inimicorum ſuorum, celebret Congregationes, Librum Reſolutionum habeat, & ſit præcipuus executor rerum deciſarum?

5. Pro parte negativa facit primò, quòd inter ſcripta Amaſii ejus Paſchaſii Quenelli, non tantùm hujuſmodi Congregationum ac reſolutionum ſint inventa plurima documenta; verùm etiam in individuo quædam Congregatio Mechlinienſis, quæ in Libro, cui titulus *Cauſa Quenelliana*, impreſſa eſt ſub titulo *Collatio*, in qua Doctori van Eſpen conceduntur partes præcipuæ, ut inter alia Lovanii accedat Dominum N. N. cauſaſque communes commendet. Secundò, Doctor van Eſpen paulò poſt

Digitized by Google

præfatam Collationem Mechlinienſem, Lovanii anno 1701. acceſſit præfatum Dominum N N. tunc hoſpitatum in platea Cattorum in domo *Burckgraef*, eidemque ſuos Libros, quibus titulus, *Jus Eccleſiaſticum univerſum*, obtulit, ſeſeque pati dixit, propter doctrinas N N. & protectionem petivit. Omiſſis pluribus aliis, proponuntur hæc pro parte negativa. Pro parte affirmativa dicent Adverſarii quæ volent.

6. Quæramus ſecundò, utrùm fictitium ſit, quòd Doctor van Eſpen cum ſuis, dum ſibi mutuò ſcribunt, utantur fictis nominibus, de quibus agitur in Libro Reſolutionum in Congregatione de 15. Auguſti 1706. & de 2. Januarii 1707. ubi recenſentur duo ejuſmodi diſtincti Catalogi, in quorum primo monentur ponere primas litteras ſuorum Nominum, vel aliquod ſignum, & in ſecundo Doctor van Eſpen appellatur *Fr. Valerianus ?*

7. Pro parte negativa facit, quòd publicè notum ſit, anteà fuiſſe ab iiſdem fabricatos duos ſimiles Catalogos, pluries typis mandatos, quorum primus prope Aldenardam, retro ſpeculum quoddam repertus fuit per D. Capitaneum du Mont; alter inventus inter ſcripta Patris Paſchaſii Quenelli, impreſſus in præfato Libro cui titulus *Cauſa Quenelliana*, in quo Doctor van Eſpen appellatur *Frater Antoninus.* Quinimò in eodem libro proferuntur variæ Epiſtolæ per præfatum Doctorem ſcriptæ & ſignatæ: *Fr. Antoninus.* Ecce unam, paginâ 151. quam ad præfatum Patrem Paſchaſium Quenellum ſcripſit die 3. Martii 1703. *Sapientiſſime Domine, afflictiſſimum miſſionis Hollandicæ ſtatum, & litterarum Domini Silvii* (ſic juxta clavem ſivè Catalogum ibidem pag. 326. appellabatur D. Inter-Nuntius Apoſtolicus Buſsi, nunc Archiepiſcopus Tarſenſis, & apud Colonienſes Nuntius dignisſimus) *contentum intellexeram ex litteris* AMICORUM, *iiſque reſpondi* EX AMICORUM CONSILIO, FORTITER INSISTENDUM *juribus Capitulorum, oſtendendumque Pontifici fuiſſe ſubreptum. Juribus Capituli Harlemienſis* [*credo quòd idem jus competat Capitulo Ultrajectino, ſed ſuper eo hactenùs conſultus non ſum*] *firmandis miſi ſcriptum, cujus hic copiam jungo. Rogo ut illud examinare dignetur, & ſi quid addendum, aut demendum judicaverit, dignetur ſignificare D. Swanio.* Et licèt tandem intellexerimus, quòd primus Catalogus Aldernardenſis fuerit fictus, & nomina in illis expreſſa, non fuerint cum effectu ab illis uſurpata, ſimul tamen intelleximus, quòd fictus fuerit per ipſos, idque inter Antuerpiam & Mechliniam, ad occultandum Catalogum verum. An ſimiliter in copia, quæ pervenit ad manus noſtras, per operam Petri Nicolai Tourteau, aliquam in Catalogos fictionem intruſerint, ad celandum verum Originalem, eſt quæſtio, quam non intelligimus; & deſuper libenter

audiemus Adverſarios in iis, quæ proferre ſatagent pro parte affirmativa.

8. Quæramus tertiò, an ſit fictum, prout D. Henricus Malcorps aſſerit in reſponſione, ſivè Appendice ad §. 5. Concordantiæ, quòd Doctor van Eſpen *in Libro Reſolutionum ſtabiliatur, per quem communi nomine ſcribitur ad Dominum Crys?*

9. Pro parte negativa facit primò, quòd ex mox citatis verbis Epiſtolæ præfati Doctoris conſtet, tamquàm ordinarium fuiſſe, ut hoc faceret. *Contentum intellexeram ex litteris amicorum, iiſque reſpondi ex amicorum nomine*, inquit. Secundò, quòd litteræ Henrici Graſper non tantùm communi nomine ſint exaratæ, ſed in individuo proſequantur præ reliquis illam ipſam miſsionis Hollandicæ cauſam, quam *Frater Antoninus* in ſe aſſumpſit contra Romanum Pontificem, & pro qua compoſuit ſcriptum, cujus copiam examinandam miſit ad Patrem Quenellum, ut correctiones, ſi quæ fierent, mitterentur D. Swanio, ſub cujus nomine ſimile ſcriptum reverà prodiit, & impreſſum fuit. Pro parte affirmativa dicant Adverſarii, quæ volunt.

10. Quæramus quartò, an ſit fictum id, quod habetur in Epiſtola de 13. Januarii, ubi dicitur quòd Doctor van Eſpen, ſivè Frater Antoninus nollet ampliùs uti charactere Petri Nicolai, eò quòd intellexiſſet hunc Adverſariis ſuis familiarem eſſe, & an ſit fictum, quòd idem Frater ante 10. Januarii 1707., Petri Nicolai characterem noviſſet, quando Bruxellis exiſtens illius copiam miſit D. Canonico du Vivien, qui eam tradidit Licentiato Opſtraet, & hic Licentiatus Doctori Daelman, in eum finem, ut oſtenderetur ſtrictæ Facultati ad cognoſcendum ſcriptorem, tamquàm ſibi ignotum, prout fatentur in ſua Concluſione finali, art. 241. 242. 243. 244. 245. Eſtnè, inquam, fictum, quòd tam Frater Antoninus, quàm alii tunc finxerint, ſe ignorare, quiſnam illud Originale ſcripſiſſet? Eſt hæc quæſtio ſummi momenti. Si enim conſtaret, quòd Frater Antoninus tunc cognoviſſet characterem, & finxiſſet ſe non cognoſcere, & in hac fictione per totos quadraginta dies perſiſtens, fuiſſet tergiverſatus Originale reproducere, non obſtantibus tot, tantiſque per Theologicam Facultatem factis inſtantiis, tam publicis, quàm privatis, quas agnoſcunt; tunc profectò ſuſpecta eſſent omnia: Qui enim convinceretur, quòd per quadraginta dies falsò negaſſet, ſe characterem noviſſe, quem noverat, & hoc ideo negaſſe, ut tutiùs aſſereret, ſe uſque adeo authorem non eſſe, ut etiam ignotum ſibi ſcriptorem ſeriò quæreret; hoc ipſo per ſtrictiſſimam præſumptionem juris crederetur Epiſtolæ author fuiſſe: exemplo mulieris, de procurata mariti ſui nece convictæ, quia cùm juraſſet, ſe numquam vidiſſe, vel cognoviſſe

Digitized by Google

ſervum, qui occiderat; in alio loco redarguta, quòd hunc ſervum odiſſet, & ideò perſecutioni exponeret, reſponderat, toti viciniæ notum eſſe, quòd ſervum hunc ſemper amaverit, & pluribus beneficiis affecerit.

11. Pro parte negativa facit, quòd ipſe Frater Antoninus cum ſuis in præſenti Concluſione finali non tantùm fateantur, ſed etiam exaggerent hunc Petri Nicolai Tourteau characterem die 10. Januarii 1707. tam publicè notum fuiſſe, ut indè inferant nullatenus fuiſſe apparens, quòd Doctor van Eſpen tunc voluiſſet illo uti: articuli 187. verba ſunt: *Si Doctor van Eſpen forſan ſub alieno charactere latere voluiſſet, in caſum interceptionis, an eam tunc ſcribendam commiſiſſet ſcribæ publico, cujus character notus erat paſſim omnibus?* Et art. 184. *poteratnè Patri Deſirant incidere clariſſimo Domino van Eſpen, cæteriſque ignotum eſſe, quòd hic Petrus jam à pluribus Menſibus ipſi eſſet familiaris, & pro Amanuenſi uteretur?* Ex quibus ſine ulla ulteriori conſequentia patet, quòd Doctor van Eſpen jactet ſe jam inde à 10. Januarii ſciviſſe, quòd Petrus Nicolaus Tourteau eſſet Patri Deſirant familiaris, & quòd characterem illius noviſſet, & haberet tamquam notum paſſim omnibus, ut taceamus experientias, quas idem Doctor de eodem charactere habuerat, quando idem Petrus ſub ejuſdem Doctoris nomine in menſe Septembris 1704. ſcripſerat ad D. Abbatem Vlierbacenſem. Nunc per me licet, ſudent Adverſarii, ut aliquid plauſibilis adferant pro parte affirmativa.

12. Quæramus quintò, an ficta ſint negotia, quæ communi amicorum nomine promovenda ſuſcipiuntur in Congregatione de 28. Julii 1706. in verbis: *Convenerunt amici, & Clariſſimus D. van Eſpen propoſuit amicis quandoquidem bellum in hiſce partibus ex optato ſuccedat, fortuna ab Hollandica Gente ſtet, & pervenerimus ſub iſtud ſuave jugum Hollandorum Statuum, ad quod tam diu anhelavimus; utrùm non cenſeant, primò negotia Domini Gerberonii contra Archiepiſcopum Mechlinienſem, in materia appellationis coram Ampliſſimo D. Abbate Sta. Gertrudis eſſe proſequenda omni vigore, & Archiepiſcopum per hanc litem ſummoperè eſſe vexandum, cùm pars ſit in cauſa, quandoquidem ipſe mandatum dederit in hac cauſa Procuratori Tourteau. Secundò, tentandum eſſe reditum P. Quenelli in hoc Belgium, ut ipſe viâ juris Archiepiſcopum ſuper injuriis & aliis invadere poſſit. Tertiò, executioni mandandam eſſe Sententiam latam in favorem Caroli du Cellier, contra Procuratorem noſtrum. Quartò, tentandum eſſe reditum Domini Opſtraet, & Eximii D. Hennebel in Univerſitatem Lovanienſem. Quintò, litem D. Gautii contra Eximium Patrem Deſirant eſſe denuò in Conſilio Brabantiæ proſequendam. Sextò, litem Clariſſimi D. van Eſpen, ſcilicet meam, contra ſtrictum Collegium jurium, omni vigore eſſe proſequendam.*

Digitized by Google

Et ſeptimò, negotia Eruditiſſimi Domini vanden Neſſe contra Archiepiſcopum eſſe iterùm proſequenda, & ita cætera omnia negotia amicorum eſſe expedienda. cùm nimis longum foret de uniuſcujuſque in particulari negotiis proponere. Et reſolutum eſt, omnes antedictas propoſitiones eſſe executioni mandandas, & ad omnes amicos copias hujus reſolutionis eſſe mittendas. Ex omnibus hiſce, eſtnè aliquid fictum?

13. Pro parte negativa facit, quòd poſtquàm copia hujus Libri Reſolutionum veniſſet ad manus die 27. Januarii, detectæ ſint die 16. 20. & 23. ſubſequentis menſis Februarii indubitatæ litteræ Henrici Graſper, qui *amicorum nomine*, de variis ex præfatis negotiis ſcri, ſit in Hollandiam *ad amicos* ibidem, prout oſtenſum eſt in Concordantia, ad quam Adverſarii frigidè reſponderunt, neque auſi ſunt negare, quòd in dictis litteris Graſper agatur de negotiis Licentiati vanden Neſſe, Doctoris Hennebel, Patris Deſirant & aliorum. Illic inſuper producta ſunt generalia verba Epiſtolæ de 20. Februarii 1707. ad D. de Graef, *omnia negotia ſtant hic adhuc prout anteà, in eodem æſtu. Cum adventu Deputatorum exſpectatur mutatio, & ſperatur, quòd omnia accipient novam faciem.* Ita ut Graſperiana ſcriptio in menſe Februario facta, nihil fuerit aliud, quàm proſecutio eorum, quæ in Libro Reſolutionum fuerant in menſe Januario inventa. Et ut deſcendamus ad particularia; eſtnè fictum negotium primum Gerberonii appellantis contra Archiepiſcopum Mechlinienſem? Adeatur Rotula Perilluſtris D. Abbatis Stæ. Gertrudis, cauſa ejus invenietur illic reſumpta in menſe Octobris 1706. ſub D. Corſelio Aſſeſſore. Eſtnè fictum negotium de tentando reditu Paſchaſii Quenelli? Dicitur Lovanii fuiſſe, & conſtat quòd plurima tam anno 1707. quam 1708. contra Mechlinienſem Archiepiſcopum ediderit. Eſtnè fictum negotium tertium de Carolo du Cellier? Procurator ejus plures inſtantias fecit, reſque hæſit, quia non ſunt inventa Acta originalia. Eſtnè fictum negotium, quartum, de tentando reditu Licentiati Opſtraet & Doctoris Hennebelli in Univerſitatem? Jam redierunt. Eſtnè fictum negotium quintum de reſumenda lite D. Gautii contra Patrem Deſirant? Reſumpta eſt, Relatore Domino Conſiliario de Paep. Eſtnè fictum negotium ſextum de proſecutione litis Doctoris van Eſpen, contra Facultates utriuſque juris? Proſecutio ſecuta eſt, ſub relatore D. Conſiliario Caverſon. Eſtnè fictum negotium ſeptimum de Licentiato vanden Neſſe, contra Archiepiſcopum Mechlinienſem? Relator fuit D. Conſiliarius de Blye; Summus Pontifex immiſcetur, contriſtatum eſt Belgium, & Europa ſcandalum paſſa eſt univerſa. Pergant Adverſarii pro parte affirmativa.

14. Quæramus ſextò, an fictum ſit quòd dicitur in Congregatione

Digitized by Google

de 15. Auguſti 1707. reſolutum : *Negotia Domini Hennebelli contra Regentes ſtrictæ Facultatis Theologicæ, & maximè contra Eximium D. Martin eſſe agenda omni vigore juris ?*

15. Lis hæc fuit in ſummo vigore, Doctor Hennebellus in menſe Decembris 1707. poſſeſſorium inſtituit, poſſeſſionem accepit, cauſa agitatur in Conſilio Brabantiæ, Relatore D. Conſiliario Eelckens : cætera ignoro.

16. Quæramus ſeptimò, Eſtnè fictum, quòd Adverſarii utriuſque Cleri convenerint contra Patrem Deſirant, ut abſentem, inauditum, ac indefenſum obruerent, tot tantiſque injuriis afficerent ?

17. Pro parte negativa facta loquantur. Detectæ ſunt litteræ nondum publicatæ. Et non niſi pluribus poſt allatum hunc Reſolutionum Librum menſibus innotuit, quòd reverà plura fuerint contra illum concepta quæ in hoc Libro continentur, quæ tamen non fuerunt executioni mandata. Dicant, obſecro, quis potuit illa dictaſſe, & huic Libro inſeruiſſe ? Perorent pro parte affirmativa, ùt poſſunt.

18. Quæramus octavò, Eſtnè Formularium de 10. Januarii 1707. fictum ? in quanam parte ?

19. Pro parte negativa faciunt omnia Adverſariorum facta, tum publica, tum privata, quæ ſunt tam notoria, ut nihil hic exſpectemus pro parte affirmativa. Et quando opus erit, proferemus virum præclarum, omni exceptione majorem, & in dignitate conſtitutum, qui Romæ extitit anno 1707. & vidit Epiſtolam ab aliquo ex Adverſariis è Belgio ſcriptam ad ſuum illic correſpondentem, in qua diſertis atque patheticis verbis exprimebatur, quòd conſtituiſſent illud Formularium ſignare, illiq́ue ſe conformare, ad ſtabiliendos ſe. Fuitque dicto præclaro viro oſtenſa copia famoſæ Epiſtolæ Doctoris van Eſpen, de 10. Januarii 1707. & fuit interrogatus, an forſan vidiſſet Romæ copiam hujus Epiſtolæ? Reſponditque, ſe non vidiſſe copiam, ſed Originale, non Doctoris van Eſpen, ſed alterius, ſcriptam ad NN. quem nominavit, addiditq́ue, quòd hæc originalis Epiſtola contineret multò plura nomina, quàm quæ in illa copia Epiſtolæ Doctoris van Eſpen reperiuntur. Formularium autem dicebat, eſſe idem, ſaltem quoad ſubſtantiam, uſque ad circumſtantiam de Civibus Amſtelodamenſibus : forſan ſicut ex cauſa Quenelliana conſtat, Gerberonium fuiſſe creatum Civem Rotterodamenſem.

20. Denique ut breves ſimus, quæramus nonò & ultimò, an ſtylus ſit fictus, fictus ordo, & ficta nomina ?

21. Pro parte negativa facit, quòd curioſiores ſtylorum cognitores nullam

nullam diverſitatem inveniant. Ordo eſt ordinarius, & convenit cum iis quæ reperta ſunt in Cauſa Quenelliana. Si nomina quædam adjecerint in copia, quæ pervenit ad manus, prout finxerunt, & adulteraverunt clavem Aldernardenſem, explicent hoc in iis, quæ pro parte affirmativa proferent, vel oremus, ut detegatur Originale. Unus ergo in famoſo Reſolutionum Libro articulus fictus quæritur, nec invenitur.

§. II.

Quis cenſendus ſit Petro Nicolao *ſubminiſtraſſe materias Libri Reſolutionum, allati die 27. Januarii 1707., & quis* Henrico Graſper *ea, quæ continentur in litteris ab eo Lovanii ſcriptis die 16. 20. & 23. Februarii 1707., & ab eodem in judicio recognitis.*

22. MEritò conjungentur binæ quæſtiones, quis cenſendus ſit materias ſubminiſtraſſe Petro, quis Henrico. Utrumque enim partis adverſæ Alumnum eſſe, ſcripſiſſe eadem, eodem modo, diverſis tamen temporibus, ita ut Petrus attulerit in Januario, quæ Henricus ſcripſit in Februario, ex dictis ſuprà, & ex concordantia conſtat, ubi oſtendimus non eſſe ovum ovo ſimilius, quàm utraque iſta ſcripta ſibi.

23. Sicut porrò ridiculum eſſet cogitatu, quòd P. Deſirant ſubminiſtraſſet materias Henrico Graſper; ita quoque incredibile dictu, quòd Petro Nicolao Tourteau. Pleraſque etenim materias P. Deſirant ignorabat, nec ſciebat ullas reſolutas fuiſſe eo modo, quo in ambabus iſtis ſcriptionibus referuntur, & ſolus eventus Patri Deſirant illo tempore ignotus monſtravit, quòd tam ſcriptiones Petri, quàm Henrici conſonent veritati. Ita ut Adverſarii aut debeant ſuſtinere, quòd Petrus in menſe Januarii, velut alter Calchas ſciverit vera prædicere; aut quòd materias acceperit ab iiſdem, qui ſubminiſtraverunt illas poſteà Henrico Graſper.

24. Adverſarii ſemetipſos conficiunt, dum ad rem tam liquidam non adferunt, niſi falſatos textus, qualis eſt ille, quem objiciunt articulo 806. & 807. verba ſunt: *Primò dicit Reus* [P. Deſirant] *in ſua depoſitione de decima quarta Martii, " quòd Petrus fidem apud ipſum meruerit, eò quòd dum „ Cauſa Gerberoniana contra D. Archiepiſcopum Mechlinienſem coram D. Abbate Sanctæ Gertrudis fuit reſumpta, hoc Petrus Reo* [id eſt, *Patri Deſirant*] *„ antè prædixiſſet. „ Magnum profectò fidei & ſinceritatis argumentum! Sed ipſemet Reus* [P. Deſirant] *illud ſubvertit articulo trigeſimo tertio reſponſionis ulterioris, dicens*

Digitized by Google

25. *Quòd illud poterat didiciſſe, tum ex Rotula Magnifici Domini, tum Perilluſtris D. Conſervatoris, quam aſſiduè loco Patris & cum Patre frequentabat.*

26. Si Pater Deſirant hæc dixerit articulo trigeſimo tertio, vel alibi tum manifeſtè ſibi contradixit. Scitur tamen, quòd non ſit Janſeniſta. Oportet igitur articulum illum ſcrutari in fonte. Vera articuli verba ſunt: *Poterat aliqua didiciſſe in Rotula tum Magnifici D. Rectoris, tum Perilluſtris D. Conſervatoris, quam aſſiduè loco Patris & cum Patre frequentabat.* Eſt falſatio manifeſta: pro voce *aliqua*, ſubdolè poſuerunt particulam *illud*, quaſi Pater Deſirant in ſua uberiori reſponſione dixiſſet, quòd Petrus reſumptionem Cauſæ Gerberonis in alterutra iſta Rotula didiciſſet; ubi tamen Pater Deſirant expreſſiſſimis terminis illud negavit in eadem uberiori reſponſione articulo 28. *Non potuit etiam in opponentis ædibus didiciſſe id, quod opponenti* (Patri Deſirant) *retulit die* 18. *Octobris elapſi de reſumenda Cauſa Gerberonii, quemadmodum opponens narravit Eximio D. Parmentier, antequàm vel opponens, vel ipſe Eximius Dominus quidquid de iſta reſumptione, quæ paucis diebus poſteà ſecuta eſt, audiviſſent.* Ex nova hac falſatione confirmatur Adverſariorum in fingendo lubricitas, & quòd tam certum ſit, Petrum non accepiſſe materias, niſi ab ipſis, ut nequeant hanc præſumptionem à ſe diſpellere, niſi novâ fictione, novâ textûs falſatione.

27. Juvat reproducere fictionem aliam, quæ plures in ſe falſationes continet, articulo 45. ejuſdem Concluſionis finalis. *Præteribit*, inquiunt, *Actor teſtes, quorum depoſitiones unicè inſerviunt ad oſtendendam falſitatem eorum, quæ in Libro Reſolutionum, & confictis inſtrumentis continentur; falſitas enim eorum, vel ipſo Reo fatente, publicè ſatis innotuit, ut ulteriori probatione nequaquàm indigeat.*

28. Quaſi verò Adverſarii, ſi ullum teſtem idoneum, vel ullum inſtrumentum firmum habuiſſent ad manus, quo prætenſam illam fictionem potuiſſent feciſſe vel probabilem, id neglexiſſent; ubi vidiſſent, quòd P. Deſirant, in annexis ad uberiorem reſponſionem ſuam, collocaſſet ſub numero primo, ineluctabilem illam inter ſcripta per Petrum allata, agnitaſque Henrici Graſper litteras, concordantiam, ex qua oſtendit, non magis ſcripta Petri poſſe falſa dici, quàm litteras Henrici. Tantùm abſit etiam, ut ſubſiſtat nova Adverſariorum fictio, quòd Pater Deſirant Libri iſtius falſitatem ullibi vel umquàm faſſus fuit. Cavebit hanc injuriam irrogare veritati. *Publicè ſatis innotuit*, inquiunt. Nimirùm quia curaverunt iſta publicè comburi, nè extaret ampliùs corpus delicti ſui. Si namque ſincerè ſtuduiſſent combuſtioni, propter falſitatem; quarè, obſecro, non fuerunt ſolliciti, ut etiam combureretur ſcedula, per quam Petrus apud

Digitized by Google

Curſorem dictas litteras Henrici Graſper intercepit, & quam articulo 713. fatentur adulteratam fuiſſe in verbis: *ſub falſificata ſignatura*; ſed ſcilicet mundus vult decipi. Satis eſt, quòd prætenſa falſitas quocumque modo publicè quodammodo innotuerit.

29. Magis magiſque nunc apparebit ſycophantia, quam articulo 305. exhibent in verbis: *Certa & indubitata apparet depoſitio Petri Tourteau de 26. Martii, quâ deponit ac fatetur, ſe hanc Epiſtolam conſcripſiſſe domi ſuæ ex ſubminiſtrata materia per Patrem Deſirant.*

30. Quid enim ſtolidius dici vel excogitari poſſit? Probationem non habent aliam, quàm ſuppoſititiam hanc depoſitionem Petri, aſſerentis ſe finxiſſe. Quaſi verò ſi Petro credendum ſit, quòd Epiſtolam finxerit, non ſit etiam præſumendum, quòd fingat materiam ſibi à Patre Deſirant ſubminiſtratam fuiſſe. Volunt Petro credere, dicenti, quòd domi finxerit; nec volunt ſuſpicari, quòd fingat, ſe à Patre Deſirant accepiſſe materias fingendi.

31. In eodem articulo 305. aliam fictionem, contradictionem, & textûs falſationem adjiciunt, quaſi Petrus inſuper die 26. Martii depoſuiſſet, *quòd ipſe inde confecerit aliquam minutam, quâ viſâ & approbatâ per Eximium Patrem Deſiram, ipſe nitidè exſcripſit.* Dicunt quæ volunt, & prout volunt, citantque quæ volunt, & prout volunt, atque hæc eò licentiùs volunt, quò ſe putant certiores, quòd à nullo corripientur. Similiter valuerunt varias depoſitiones occultare, ut nihil prorsùs ad manus Patris Deſirant pervenerit, niſi horridus ille & confuſus, vaguſque libellus gravaminum, in quo nullam prorsùs expreſſerunt circumſtantiam, quam P. Deſirant potuiſſet reſcindere.

32. Sed benè habet; libido convitiandi hanc eis mentis cæcitatem attulit, ut licèt ſuppreſſerint Sententiam contra Amaſium ſuum Petrum latam, attamen typis dederint ejuſdem *D. auctionem loco Motivi*, in qua produxerunt depoſitiones illas, quas præfatâ die 26. Martii fecit. Verba ſunt articuli 11. *Faſſus deſuper eſt Reus, ſe ipſam Epiſtolam ſignaſſe litteris Z. B. V. E. & ſic nomen aut ſignaturam Clariſſimi D. van Eſpen adulteraſſe*, ET SIC ADULTERATAM TULISSE AD EXIMIUM PATREM DESIRANT. Quid hoc eſt? Non ergo faſſus eſt, ſe tuliſſe minutam, ſed ipſam Epiſtolam adulteratam: nec faſſus eſt ſe illam nitidè deſcripſiſſe apud Patrem Deſirant; *ſed ſic adulteratam tuliſſe ad Patrem Deſirant.* Non poſſunt ſimul ſtare, quòd Petrus ad Patrem Deſirant Epiſtolam ſignatam, vel adulteratam tuliſſet, & quòd tuliſſet tantummodo minutam, quam apud Patrem Deſirant nitidè deſcripſiſſet. Eruent ſibi oculos priùs, quàm ut hoc non videant.

Digitized by Google

33. Quando Petrus die 27. Martii interrogabatur à Doctore Parmentier in præſentia D. Aſſeſſoris Leunckens, tunc aliqua de iſta materiarum ſubminiſtratione dicebat, ſed apertis verbis declarabat, quòd *Pater Deſirant non aliter ſubminiſtraſſet materiam, quàm reliqui de Univerſitate, ex ore quorum poterat aliquid audiviſſe*, prout idem Doctor juratus depoſuit ad art. 21. ſcedulæ contrariorum factorum.

34. Et ut ſpecimen daret, ſe ſolum ſcribendi Libri Reſolutionum capacem eſſe, periculum fecit, miſitque ad præfatum Doctorem quamdam proſecutionem, quam deduxerat uſque ad futurum menſem Aprilem.

35. Ordinis & ſtyli paritas Patri Deſirant perſuaſerat, Petrum ſimilis compoſitionis capacem eſſe, ideoque in ſua uberiori reſponſione articulo trigeſimo ſeptimo dixerat, *accedit ejus confeſſio & experientia, quam fecit pro tempore, quo detinebatur apud Patres Carmelitas, ubi inſcio Patre Deſirant, Eximius D. Parmentier in præſentia Domini Aſſeſſoris periculum fuit utrùm eſſet capax ſcribendi Librum Reſolutionum, de quo quæſtio, & ſtatim arrepto calamo, brevi temporis ſpatio, compoſuit quamdam Libri proſecutionem. Nec eſt ovum ovo ſimilius, quàm hæc proſecutio priori compoſitioni, quæ ſuo tempore proferetur.*

36. Pater Deſirant originalem hanc proſecutionem in judicio conſignavit die 15. Novembris 1707. prout patet ex actis. Neque aliud exſpectabat, quàm quòd Adverſarii conſequenter negaturi eſſent, hanc proſecutionem eſſe Libro ſimillimam. Quoniam verò ſciebant, quòd Pater Deſirant ſtatim ut de aliqua Petri falſitate informatus eſſet, Petrum omninò deſeruerat, & poſt 25. Martii, nè nomen quidem ejus audire voluerat, non invenerunt ullam ſpeciem fingendi, quòd Pater Deſirant huic proſecutioni, vel materiam, vel ſtylum, vel ordinem ſuggeſſiſſet. Non ignorabant tamen, quòd iſta compoſitionis paritas multùm valitura eſſet ad detegendum verum Libri authorem. Nè igitur poſſet illis objici, quòd etiam proſecutionem dictaſſent, invenerunt conſultum admittere, quòd Petrus per ſe ſolum compoſuiſſet proſecutionem, adjectâ frivolâ ratione, quam videre eſt articulo 136. *Cùm tantùm eſſet proſecutio ejuſdem materiæ, & jam formam illas componendi ſciret memoriter.*

37. Subdola hæc reſponſio fecit nos cautiores. Putaveramus Petrum hanc proſecutionem feciſſe ſemotis Arbitris, adeoque compoſitionem illam ei ſoli tribuendam fuiſſe. Nunc autem diſcimus, quòd adfuerint ipſi duo viri alterius partis, & quidem, quòd ipſemet Petrus Nicolaus id declaraverit in fine ultimæ paginæ, in qua proſecutionem exaraverat. Verba ſunt: *Plura componere non potui ob defectum temporis, cùm Parens meus & alius ad me venerint, poſtquàm Eximius Dominus abiviſſet.* Quis fuerit iſte alius, ignoramus. Habemus tamen ſatis ad formandam præſumptionem,

Digitized by Google

quòd extiterit aliquis inſtructor, qui judicavit convenire, ut in illis circumſtantiis prodiret proſecutio, quam Petrus à ſe ſolo compoſitam diceret, ut omnis ſuſpicio de anterioribus, à Doctore van Eſpen cum ſuis efficaciùs amoveretur.

38. Manent autem, & firma manebunt argumenta, quæ adduximus, & quæ confirmantur ex adverſæ partis articulis 326. 327. 328. 329., ubi fatentur materias famoſæ Epiſtolæ de 10. Januarii, & hujus Libri, prout Petrus attulit, conformes eſſe. Addere debuiſſent, etiam conformes eſſe indubitatis Henrici Graſper litteris, prout in concordantia oſtenſum fuit.

39. Ridicula ſunt, quæ ſimpliciter aſſerunt, & non probant articulis 331. 332. 333. 334. & 335., quòd Pater Deſirant cenſendus ſit illius author; cùm nihil aliud adferant, quam variabile dictum Petri, quem falſarium, ſacrilegum & perjurum extitiſſe ſuſtinent, antequàm Patrem Deſirant falsò accuſaret. Suntque nimis frivola, quæ art. 336. adferunt ex ſola ejuſdem Petri variata relatione, quòd P. Deſirant dixiſſet Petro, litteras non eſſe ſcribendas, *niſi per intervalla*, & hujuſmodi, quæ adferunt art. 337. quæ cùm deſtituta ſint omni probationis umbrâ, aliam reſponſionem non merentur, quàm quòd in judicio conſtet, etiam litteras Henrici Graſper *per intervalla* ſcriptas fuiſſe, & hinc tamen neutiquàm probari Patrem Deſirant illarum authorem eſſe. Econtrà cùm Adverſarii in intervallis iſtis vim ponant; è converſo ſequitur, illos ſcriptionum anteriorum per intervalla factarum indubitatos authores eſſe, prout ſunt litterarem poſteriorum manu Henrici Graſper, pariter *per intervalla* ſcriptarum.

40. Si ergo (quod nondum didicimus) aliqua in Petri compoſitione falſitas irrepſit, ad ſummum poteſt illa conſiſtere in quorumdam nominum intruſionibus, & aliquorum expunctionibus, aliiſque minutiis, ad quas Petrus in principio forſan non potuit advertere. Cùm etenim, prout in acta ſua de 27. Januarii coram Notario van Dormael declaraverat, cum oblatione juramenti, vidiſſet originalem Librum Reſolutionum, nec aliam copiam haberet, quàm quæ per alias vias ibidem relatas inciderat in ejus manus, non potuit tam firmum certumque teſtimonium dare, an præcisè in illa copia expreſſi eſsent veri Congregationum habitarum dies, item an eſsent omnia eadem præcisè nomina, & an in Catalogis & ſignis nihil fuiſset intruſum vel alteratum, prout alteratas fuiſse litteras originales famoſæ Epiſtolæ de 10. Januarii, ipſi Adverſarii contra ſe faſſi fuerunt. Quam intruſionem potuerunt feciſſe, quia cùm ſcirent Petrum Tourteau aliquando adeſſe Patri Deſirant, prout art. 184. confitentur ſe cum Doctore van Eſpen ſciviſſe, & cùm aliundè perſpecta m habe-

rent Petri indolem; meritò timere poterant, nè cuncta detegeret, non obſtante juramento *de non revelando*, quod ignorare non poterant habendum eſſe pro invalido, quando Petrus illud ſacramentaliter confeſſus fuiſſet. Sicut ergo confinxerunt clavem Aldernardenſem, & facilè permiſerunt eam incidere in manus, interim cùm practicarent clavem aliam inter ſcripta Patris Quenelli repertam, in qua Doctor van Eſpen celebratur ſub nomine *Fratris Antonini*, ita forſan aliqua inſeruerunt huic copiæ, in qua *Frater Antoninus* appellatur *Frater Valerianus*. Et hoc pacto Doctor van Eſpen cum ſuis potuerunt in judicio jurare, ſe illum Librum, prout exhibebatur, non cognoſcere, & ſimiliter neque ſcripſiſſe quatuor litteras famoſæ Epiſtolæ, prout in judicio exhibebantur.

41. Idem fuiſſet, ſi ſupradicta clavis Aldernardenſis fuiſſet umquàm producta in judicium. Omnes ibidem nominati liberè juraſſent hanc clavem fictam eſſe, & tacuiſſent, quòd duo vel tres ex ſuis illam inter Mechliniam & Antuerpiam finxiſſent, & quòd aliqui facilè permiſiſſent in manus incidere ad occultandam veram clavem *Fratris Antonini*, quâ unanimiter & conſtanter uſi fuerunt, donec detecta fuit Bruxellis inter ſcripta Patris Paſchaſii Quenelli.

42. Alioqui quis intelligat, quòd in dicta copia inveniantur quædam nomina, de quibus non fuerat cogitatum, nec inveniatur nomen D. Henrici Malcorps, quod juxta rerum ordinem debuiſſet poni immediatè poſt Doctorem van Eſpen, & certò poſitum fuiſſet, ſi P. Deſirant, vel alius iſtius partis ſe huic compoſitioni immiſcuiſſet? Nihil enim Lovanii erat magis publicum, quàm quòd præfatus D. Henricus in omnibus & per omnia adhæreat præfato Doctori, prout varii teſtes, per ipſummet D Henricum producti, ſub juramento declaraverunt, licèt perquàm modeſtè, propter viri conſiderationem. Ita Doctor Daelman reſpondit ad art. 174. ſcedulæ contrariorum factorum: *Scit eum eſſe amicum Clariſſimi D. van Eſpen.* Et Erud. D. Plebanus Pauwels, *quòd audiverit ſæpiùs, & aliquando obſervaverit, quòd D. Fiſcalis in Electionibus Rectoralibus, & aliis Reſolutionibus publicis, adhæreret ordinariè illi parti, pro qua ſtabat Clariſſ. D. van Eſpen.* Et Doctor Daemen, *quòd obſervaverit in Reſolutionibus publicis Univerſitatis, quòd faverit ordinariè, datâ occaſione, iſti parti, pro qua ſtabat Clariſſ. D. van Eſpen, & ſic habere etiam rumorem publicum.* Proferat ergo Doctor van Eſpen verum Librum originalem, quem ſe habere non obſcurè inſinuavit in ſua acta de 19. Aprilis, quemadmodum infrà probabitur ad ſufficientiam juris, & cuncta patebunt.

Digitized by Google

§. III.

De quibuſdam textibus ex Libro Patris Deſirant, *cui titulus:* Commonitorium ad Orthodoxos, *excerptis*, *& per Adverſarios objectis, per quos probatur, quòd Adverſarii per hanc litem intenderint* in Patrem Deſirant *retorquere fabulam Duacenam.*

43. ADverſarii ab articulo 118. uſque ad art. 127. toti ſunt, ut oſtendant, Patrem Deſirant anno 1701. in Libro ſuo, *Commonitorium ad Orthodoxos*, varia retuliſse de Janſeniſtarum inter ſe colligatione, & Catholicorum metu, nè ſi aliquando nanciſcerentur Poteſtatem adjutricem, ſeſe ipſos, excuſsâ Authoritate Pontificis, in Rempublicam quandam erecturi eſsent. Hinc concludunt, eum voluiſse prætenſam fictionem fabricare, ad confirmandum, quod ſcripſerat: cum ſcilicet hoc voluiſse facere præſenti tempore, ubi omnia Adverſariis favebant.

44. Tam verò oportet mente captum eſse ad credendum, quòd ſimilis fictio neceſsariò detegenda, ſi fictio eſset, ad talem confirmationem valeret, quàm ad perſuadendum, quòd qui talia anno 1701. ſcripſiſset, vellet anno 1707. ſua ſcripta per tales fictiones ſuſdeque evertere. Quid enim eſſet ſua ſcripta, quæ tam ſolida fuerunt, ut nullus Adverſariorum reſpondere auſus fuerit, deſtruere, quàm illa per inutiliſsimas, & maximè noxias fictiones velle firmare? Adverſarii art. 140. tam ſtudioſè inculcant illud: *Nemo malus eſt gratis.* Profectò P. Deſirant in talibus fictionibus, non tantùm malus fuiſſet *gratis*, ſed maximè ingratis. Si namque ſciviſſet eſſe fictionem, eamque contra plures, quàm 25. viros attentatam; non potuiſſet impedire, quominùs cauſa ad judicium veniret, certusque fuiſſet, quòd fictio talis & tanta, contra tot tantosque fuiſſet detegenda.

45. Legantur verò textus in præfatis articulis adducti. Nuſquàm Pater Deſirant loquitur in perſona propria, ſed ſimpliciter recenſet ea, quæ ab aliis dicta ſunt ſæpiùs, & ſcripta in Libris, qui cunctorum manibus teruntur, & ad quos non fuerunt auſi reſpondere, nec umquàm reſpondebunt. *Ignoſce*, inquit, *Lector benevole, magnam iſtam in recenſendis iis, quæ dicebant, libertatem.* Art. 120. & infrà: *An vera ſint omnia, quæ de eorum conſiliis circumferuntur, neſcio.* Art. 125.

46. Erubeſcent Adverſarii, ſi poſſunt, dum hæc obſervabunt. Et cùm in nullo ex præfatis textibus ullus caſus exprimatur, qui in præſentibus

litteris continetur, agnoſcent nihil ex hoc *Commonitorio* ad rem præſentem facere, niſi fortè, quòd illorum novitates fuerint illic tam fortiter perſtrictæ, ut neſcierint reſpondere, niſi per vindictæ rationes.

47. Alius textus in præfato Patris Deſirant *Commonitorio* contentus, fuit ipſi 4. Maii 1707. oretenus objectus; in Concluſione autem finali eſt omiſſus, neſcio quam ob rem, niſi forſan, quia talis objectio manifeſtiùs indicaſſet appetitum vindictæ, qui præſentis accuſationis inſtitutor atque director fuit. Quod ut clariùs intelligatur, notandum, quòd Pater Deſirant in iſto Libro inter alia propoſuerit Dialogum quemdam inter Virum doctiſſimum, qui Janſeniſmum impugnat, & ſocium ejus, qui defendit. Agitur de fictione Duacena, quando aliqui putantes ſe recipere litteras à vero Arnaldo, reſponſorias minùs cautè permiſerunt incidere in manus Adverſariorum ſuorum, & de neſcio quibus erroribus, & inter alia, quòd *gratiam ſufficientem Thomiſticam* appellaſſent *ſtultitiam*, dicuntur hoc pacto fuiſſe detecti. Vir doctiſſimus in præfato Dialogo cœperat de hac Duacena hiſtoria loqui. Socius verò interrumpit pag. 583. his verbis: *Quis neſciat fabulam hanc eſſe Duacenam, quæ phraſim iſtam,* GRATIA SUFFICIENS THOMISTICA EST MERA STULTITIA *peperit, virisque piis juxtà & eruditis per calumniam affinxit, doloſâ, inquam fraude extorſit. Cujus rei ſeriem, ſi pleniùs cognoviſſes, afflictionem afflictis non dediſſes.* Ex parte verò adverſa, ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, Vir doctiſſimus introducitur reſpondens his verbis: *Confiteor, quòd ad cauſam non minùs valebit, arcanâ certè providentiâ comparatum eſſe, ut phantaſma Janſeniſmi detectum fuerit phantaſmate Arnaldi. Imago ejus ceu magnes quidam quæſivit, & invenit ferream Janſeniſmi veritatem. Arnaldus fecit phantaſma: umbra ejus detexit quod fecerat. Arnaldus docuit illos latere, & ſeſe fictitios dicere; fingere oportuit Arnaldum ipſum, ut mundus diſceret quales ſunt.*

48. Hæc verba nomine Viri doctiſſimi, per modum Dialogi, in prima perſona ſingulari poſita, fuerunt perperàm ſic accepta, ac ſi eſſent verba Patris Deſirant, ſivè authoris Libri. Ipſe autem author ſtatim ſuo nomine ſubjungit ibidem pag. 583. *Ægrè me habebat iſta digreſſio... Et ut odioſam facti ſeriem diverterem, ecce, inquiebam, Doctorem ſubtilem.*

49. Iſta verò Adverſariis non ſuffecerunt. Habuerunt Patrem Deſirant, tamquàm hiſtoriæ Duacenæ approbatorem, quam ut vindicarent, luſam voluerunt Lovanii ſimilem ſcenam, ut ſicut Duaci aliqui ex adhærentibus ſuis fuerant decepti per falſum Arnaldum, Pater Deſirant Lovanii deciperetur per falſum *Fratrem Antoninum.* Cum hac tamen differentia ſæpiùs repetenda, & ſemper obſervanda, quòd licèt forſan [quod ignoramus tamen] per aſtutiam quorumdam, copiis Libri Reſolutionum,

quæ

Digitized by Google

quæ venerunt ad manus, fuerint inſertæ quædam alterationes, circa nomina, dies, & minutiores circumſtantias, ut poſteà poſſent omnia fictitia dicere, ipſum tamen corpus & ſubſtantiam Libri, cujus Originale viſum fuerat à Petro, prout declaravit die 27. Januarii 1707. reliquerint, prout fuerat; ita ut jam pleniſſimè conſtet de veritate, quippe cùm ſit moraliter, imò phyſicè impoſsibile, ut Liber ille Reſolutionum cum famoſa Epiſtola de 10. Januarii 1707. in omnibus & per omnia convenirent, non tantùm cum agnitis litteris ab Henrico Graſper Lovanii in menſe Februarii 1707. ſcriptis, verùm etiam cum factis toti Belgio notis, quemadmodum ſtatim Paragrapho primo oſtendimus.

CAPUT OCTAVUM.

Confutatio octavi gravaminis: *quòd ſimiliter Reus eundem Librum habuerit, variis legendum dederit, copias authenticas ejuſdem fieri curaverit, illiſq; ad fines ſuos uſus ſit.*

1. PAter Deſirant ad hunc articulum reſpondit, prout ad quintum: erat enim paritas rerum: *tranſeat in bonum ſinem.*

2. Adverſarii in ſua Concluſione finali ſuſtinent, quòd Pater Deſirant hunc bonum finem non ſatis probaverit. Putavit Pater Deſirant, quòd Actoribus incumberet probare malum finem: ſibique fuiſſe ſatis, quòd oſtenderit, ſe non ob aliud curaſſe fieri copias, aliiſque oſtendiſſe, & duabus Altioribus Poteſtatibus Eccleſiaſticis ſecretò miſiſſe, quàm ut examinaretur veritas, cogitaretur de remedio, informarentur, qui informandi erant, adjectâ ſemper præcautione, quòd veritas examinaretur.

3. Adverſarii ècontra in iis, quæ Patri Deſirant communicata non fuerunt, & ideo ab ipſo reſponderi non potuit, nec debuit, accuſaverunt, quòd malus ipſius finis fuiſſet, mediantibus iſtis copiis, apud Altiores iſtas Poteſtates nocere *Viris ſpectabilibus*, quorum erant illic ſcripta nomina *in evidens periculum ipſorum ruinæ.*

4. O ludibrium juſtitiæ humanæ! Suſtinebant articulo 20. ejuſdem libelli gravaminum, Altiores has Poteſtates fuiſſe Illuſtriſsimos DD. Inter-Nuntium, & Archiepiſcopum Mechlinienſem; & nunc per ſarcaſmum inſultant Patri Deſirant, quaſi in præſentibus circumſtantiis voluiſſet eos apud utrumque hunc Illuſtriſsimum Dominum perdere per copias illas. Illæ ſcilicet copiæ poterant utrique huic Eccleſiaſticæ Poteſtati authoritatem reſtituere, ut ſpectabiles iſti Viri periclitarentur.

5. Et apud quem periclitati fuiſſent? Apud ſuos Patronos? apud Ro-

Digitized by Google

manum Pontificem? Sed & hunc horrendâ fictione accuſaverant in Hollandia, prout patet ex litteris Henrici Graſper, Lovanii amicorum nomine, ad ſpectabiles Viros per Hollandiam diſperſos exaratis. Taceo proſecutionem cauſæ, quam ſuprà vidimus per Doctorem van Eſpen anno 1703. excitatam fuiſſe, ad manutenenda fictitia jura imaginarii Capituli Harlemienſis, quoad admiſſionem Vicarii Apoſtolici; quaſi Capitulum extinctum viveret, & Eccleſia deſtructa floreret, & Epiſcopatus olim Regiæ nominationi ſubjectus, ad perſonatos Canonicos devolutus eſſet; & ad illos ſpectaret, dum non poſſent creare Epiſcopum, cogere Romanum Pontificem, ut Apoſtolicum Vicarium ſtatueret ipſorum moribus & doctrinis conformem. Sed parva ſunt hæc, & flenda tantùm.

Levia perpeſſi ſumus
Si flenda patimur

6. Quod verò cunctam Romano-Catholicorum exſpectationem ſuperat, in ſecundo Memoriali, quod Amſtelodamo per Jacobum Krys miſſum fuerat ad Henricum Graſper, & ab eodem, amicorum nomine die 16. Februarii 1707. cum approbatione & plauſu remiſſum fuit, legitur proterva accuſatio verbis ſequentibus expreſſa: *D. Adamus Daemen per Nuntium Colonienſem deſpoticè inſtitutus eſt, ad fabricationem Jeſuitarum, atque Cockii, & vult ſe nunc taliter introducere*, nimirùm in Vicarium Apoſtolicum Hollandiæ. *Atque id, eo præcisè tempore, quo partialitas Aulæ Romanæ adversùs Paderbornenſem Epiſcopum orbi patet, & unicuique notum eſt, qualiter Papæ Nepotes ſint potentiſsima inſtrumenta illius partialitatis. Per quod ipſe etiam eò magis à Roma, & iis, qui ipſi Vicariatum procuraverunt ſerviliter dependebit, Aulam iſtam, & qui ei faverunt in omnibus protegendo, & obediendo. Id quod eſt interitus Cleri indigenæ.* Et in fine concludunt: *Si omnibus hiſce rationibus non obſtantibus admiſsio Domini Daemen apud ſupremam Poteſtatem tranſeat, quid aliud exſpectandum ſupereſt, quàm quòd ſimilis inſtitutio Vicarii etiam poſteà omni tempore tranſitura ſit, Capitula ſub pedibus jacebunt, ſuſpectæ & ſcandaloſæ perſonæ, quas Capitula tamquàm notitiam habentia denuntiare poſſent, promovebuntur, Jeſuitæ diſcordiæ ſtructores ſuperabunt, indigenæ ſupprimentur, & numerus trecentorum millium Romano-Catholicorum per Aulam Romanam deſpoticè regetur.* Infrà habebatur, *Veneris 4. Februarii* 1707.

7. Legantur hæc ſiccis oculis & maturè perpendatur, an talis memorialis incentores, authores, & approbatores, ab illa Eccleſiaſtica Poteſtate timuerint, poſſitque in ſanam mentem cadere, quòd vel tenuiſſimè apprehenderint, non jam dicam ruinam, ſed vel ullum ſibi nocumentum imminuiſſe ex omnibus iis, quæ Pater Deſirant voluiſſet aut potuiſſet contra illos apud Eccleſiaſticas Poteſtates deponere. Non parcunt Romano

Digitized by Google

Pontifici, non ſacræ Religioni, quam ſe dicunt profiteri, non ulli Eccleſiaſticæ Poteſtati. Quemnam timeant, qui omnes invadunt, aut à quonam puniri metuant, qui omnes accuſant? Accuſantnè? Immoverò diffamant calumniis, & laceſsunt impoſturis. Quis enim neſciat fictum eſſe illud, quod Sanctiſſimo Pontifici, & æquiſſimis Nepotibus ejus, Nepotiſmo ſublato, tam perfrictè imponunt de Epiſcopo Paderbornenſi. Relationes publicæ, ad ampliorem ipſarum confuſionem aperuerunt, quòd non Papæ Nepotes, ſed veneranda quædam Majeſtas ſe pro Epiſcopo Oſnabrugenſi interpoſuerat. Hoc non obſtante, Romæ, ùt ſolet, vicit juſtitia, & utraque Electio declarata fuit invalida, & jus ad Pontificem juxta Canones devolutum fuit, ipſeque Pontifex non Oſnabrugenſem, ſed Paderbornenſem ad ſacras Monaſterienſes Infulas evexit. Sed ſcilicet fuerunt Adverſarii uſque adeo fictionibus ſuis immerſi, ut fictam hanc partialitatem impingere non ſint veriti coram illis, apud quos, ſi verè Romano-Catholici erant, debuiſſent Romani Antiſtitis honores ſuo etiam diſcrimine vindicare. Procul abſit, ut eis licuerit Romanam obedientiam appellare ſervitutem, & pro eo, quòd tamquàm Miſsionarii Evangelici laboraſſent augere vineam Domini, ſtuduerint potiùs illam minuere, & quantum in ipſis erat, evellere, odioſiſsimis terminis exhibendo, quòd Romano-Catholicorum numerus eſſet ita anguſtus, ut extarent trecenta millia Sedi Apoſtolicæ in ſpiritualibus Chriſtianè, non tyrannicè, ſivè deſpoticè, ùt loquuntur ſubjecta. Non quæro nunc, quænam ſit Eccleſiæ talium Miſsionariorum neceſsitas, ſed rogo, quæ utilitas? An ut ædificent, an ut deſtruant? Quomodo ædificabunt, qui ſtructuræ verticem dejiciunt, reliqua ex Religionis neceſsitate ſubſunt? Quâ fronte audebunt alios invitare, ut ſeſe reddant Romanæ Eccleſiæ, & exemplo ſuorum Majorum Romano-Catholici fiant, ipſi, qui Romanam obedientiam tam fœdo ſervilitatis nomine, & tam crudeli deſpotici dominatûs ſcommate fœdarunt; ut pro eo, quòd aliis deberent cum zelo Orthodoxam ſub uno & ſummo poſt Chriſtum Capite ac in terris Vicario Catholicam unitatem prædicare, juxta illud: *Compelle intrare*; eòuſque ſeſe præcipites dederint, ut ferè dicendum foret illis: *Compelle exire.*

8. Nulla igitur eſt umbra vel ſpecies, quòd Pater Deſirant ſivè per copias, ſivè per ullum ſignum voluerit, aut potuerit cuiquam ex Adverſariis apud Eccleſiaſticam, vel ullam aliam Poteſtatem nocere. Rident Adverſarii, & Poteſtates illas contemnunt, dum talia in præſentibus circumſtantiis objiciunt.

9. Imoverò ſtultum eſſe, hanc non modò ſtultitiam Patri Deſirant affingere, quòd talem finem habuiſſet, & quod eſt ſtultius, quòd tale

quid confeſſus fuiſſet, nemo non videt. Sciviſſet nempè inſtrumenta eſſe ficta, cauſamque contra tot altutiſſimos vitilitigatores permiſiſſet venire ad judicium, & in mediis Fœderatarum Poteſtatum armis imbellis, atque inermis hanc tragœdiem excitaſſet, quam utpotè fictam, ſcire debuiſſet numquàm probari poſſe.

10. Non fuerunt autem ſtulti, qui Patrem Deſirant odio plus quàm vatiniano jam pridem proſequentes, uſi fuerunt circumſtantiis temporis, ut quem anno 1701. perperàm accuſaverant, de nimio in Chriſtianiſſimi Regis inimicos affectu, & mediantibus his calumniis Cathedris ſuis exuerant, expulerantque; rursùs accuſarent, & Cathedras, patriamque libertatem, quam innocentiâ demonſtratâ recuperaverat, iterùm raperent, finemque in prima accuſatione fruſtrà intentum, in ſecunda reſtaurarent. Scilicet *Maer byſonderlyck, moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden.* Id eſt, *ac præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt.*

11. Atque hinc non ex amore juſtitiæ, ſed ex accuſandi neceſſitate, quam ſibi impoſuerant, nodum quærunt in omni ſcirpo, & ut perſuadeant, quòd Pater Deſirant aliquid confeſſus fuiſſet, luxuriant in voce *uſus*, articulo 16. 18..... & alibi repetentes, quòd Pater Deſirant fateatur ſe præfatis litteris uſum fuiſſe, & miſiſſe ad Altiores Poteſtates, nimirùm Eccleſiaſticas, ad quas hæc res privativè pertinebat, in hoc tamen ſinceri, quòd agnoſcant illum ſemper addidiſſe, ſe fuiſſe uſum, & copias miſiſſe *bonâ fide* dicto art. 16. & 18.

12. Æquivocatio autem eſt in voce *uſus*. Cùm enim, prout P. Deſirant poſteà didicit, Juriſperiti in eo conveniant, quòd qui inſtrumento falſo utitur in alterius præjudicium, teneatur de illo reſpondere; captioſè propoſuerunt ei hanc vocem *uſus*; quam nihil mali ſuſpicans agnovit, & agnoſcit, intelligendo per vocem *uſus*, omnem actum, quem aliquis exercet circa rem uſibilem, tractando eam, retinendo, examinando, aliiſque monſtrando, vel mittendo pro examine; abſque eo tamen, quòd per aliquid horum ullum alicui nocumentum vel præjudicium irrogetur, prout in præſenti caſu accidit, ubi quidquid cuicumque monſtravit vel miſit, ſemper bonâ fide proceſſit, denuntiationem exponens, prout apud ſe tamquàm ſtrictæ Facultatis ſeniorem & vice-Decanum facta fuerat, & ignorans fictionem, addenſque argumenta pro & contrà, nec ulli præjudicium inferens, prout neque ulli illatum fuit. Hæc bona fides, hic bonus finis.

13. Hiſce non obſtantibus, Adverſarii ad inauditam ſævitiam converſi, ſtatim in initio crudeliter omnia exaggerarunt, idque articulo ſecundo,

Digitized by Google

quaſi Pater Deſirant *conſilio prorsùs diabolico & infernali*, *in fortunas*, *libertatem*, *famam*, *caput & vitam innocentiſſimorum omnis conditionis virorum*, *atque integerrimorum excogitata ad perniciem Reipublicæ*, *omniſque ſocietatis humanæ ſubverſionem manifeſtè tendentia concurriſſet*; cùm tamen ex una parte ſit evidentiſſimum, quòd P. Deſirant denuntiationem apud ſe per Petrum intentatam, & poſteà per eundem apud Rectorem deductam, cum ſummo ſecreto, & charitate examinaverit, omneque ſtudium adhibuerit, ut denuntiati pleniſſimum defenſionis atque purgationis campum haberent, prout etiam habuerunt; nec umquàm paſſus fuerit, ut abſolutè dicerentur Rei, ſed egerit omnia, quæ ad exonerandos illos magis, quàm onerandos conducerent; nec umquàm conſenſerit, nec etiam factum fuerit, ut hæc cauſa perveniret ad Judicem vel ullam Poteſtatem ſæcularem, aut talem, quæ illorum *fortunas*, *libertatem*, *caput*, *atque vitam* auferre poſſet.

14. Ubiècontra Adverſarii ex altera parte hanc ipſam cauſam mutatis velis per eumdem Petrum in innocentis caput retortam, ſic inſtitutam atque directam voluerunt, ut quantùm in ipſis erat, Patris Deſirant non modò *famam*, *fortunam*, *atque libertatem*, *ſed caput etiam atque vitam* videantur voluiſſe extinctam.

15. Neglecto enim Judice Eccleſiaſtico & ordinario, nomine Presbyteri Martini de Houdt Bruxellis Poteſtati laïcæ exhibuerunt libellum ſupplicem ab eodem ſignatum, necnon per ardentiſſimas inſtantias Licentiati Guilielmi vanden Neſſe famoſi deſervitoris Eccleſiæ Stæ. Catharinæ ibidem apud eandem Poteſtatem continuatas, ſuſtinuerunt cauſam hanc contra Doctorem Catholicum, Presbyterum & Religioſum Profeſſum diſcutiendam eſſe coram Judice ſæculari; cùmque ex parte Univerſitatis Lovanienſis fieret contradictio, ſequereturque conflictus juriſdictionis, nihil ex ſua parte omiſerunt, quominùs forum ſæculare prævaleret, totaque altercatio ferè ad illos terminos redacta fuit, ut quodammodo dicerent: *Nos legem habemus*, *& ſecundùm legem debet mori*. Cùmque Juriſdictionis Eccleſiaſticæ defenſores reſponderent: *Accipite eum vos*, ipſi magis clamabant eſſe caſum Regium, ſcilicet, *nobis non licet interficere quemquam*. Atque hoc pacto adversùs innocentem Sacerdotem, qui nihil umquàm contra ipſorum fortunas, libertatem, caput, atque vitam tentatum voluit, factis luculentis demonſtraverunt, ut verbis S. Athanaſii utar, *ſanguinariam voluntatem*.

16. Nec poteſt hæc expreſſio dura dici, attentâ acerbitate accuſationis, utì articulo ſecundo innocentem criminantur, quòd voluiſſet *capita & vitas* perdere, & prout art. 13. calumniantur, *Supremas Poteſtates Regi fœderatas*, *cum Rege*, *& inter ſe committere ac collidere*. Hæc enimverò capi-

Digitized by Google

talia eſſe, nemo ambigit, & qui accuſationem inſtituit tam atrocem, illamque tot exquiſitis artibus à Tribunali Eccleſiaſtico, in quo ſanguis non effunditur, evocatam voluerunt ad ſæculare, in quo talia pœnâ mortis vindicantur; mortem volunt, ſi verum eſt, quod ipſimet in hac cauſa aſſerunt art 12. *ex qualitate teli, ex loco inflicti vulneris, & ex infligendi modo, rectè colligitur animus occidendi.*

17 Hæc incœperunt publicè in menſe Martio anni 1707. ut conſummaretur, quod occultè ſcriptum fuerat Lugduni die 7. menſis Februarii præcedentis: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden*: id eſt, *ſed præcipue tormentis bellicis explodendum eſt in Monachum Auguſtinianum.* Verba ſunt unius ex litteris incluſis faſciculo primo Epiſtolarum Henrici Graſper de 16. Februarii ejuſdem. Hæc, inquam, viri illi, qui conſueverunt de ſemetipſis dicere, quòd ſint *innocentiſſimi atque integerrimi.* Ubinam charitas illa rigida, ubinam illa, quam jactitant *ſimplicitas Chriſtiana?* Nihil in tam juſto dolore ſupereſt niſi dictum S. Athanaſii: *Verùm quia mentem perdiderunt, impetu ad perſequendum rapiuntur, & in quærendo ad necem, ſuam impietatem non animadvertunt*, inquit, Apol. de fuga ſua, pag. 163. Et Synodus Alexandrina in Apologia 2. pag. 193. *Tota enim illorum accuſatrix Epiſtola, nihil aliud, niſi necem ſpectat, aut necem moliuntur, ſi ipſis liceat, aut exules facere, quod & impetraverunt ab Religioſiſſimo Cæſarum Patre, qui iras ipſorum, offenſaſque, cùm ſupplicium capitale poſceretur, exilio damnatorum explevit. Iſta opera Ethnicorum ſunt, & non vel tenuiter Chriſtianorum.*

CAPUT NONUM.

Confutatio noni gravaminis: *quòd tam Liber hic, quàm dicta Epiſtola de 10. Januarii propter horrendam diffamationem, quam continent, manifeſtè tendant ad excitanda diſſidia inter Clementiſſimum Regem noſtrum, ejuſque Fœderatos.*

1. ARticulus hic continebat potiùs quæſtionem juris, quàm facti; nimirùm quale & quantum malum in iſtis ſcriptionibus contineretur. Nulla ex hiſce ſcriptionibus pertinebat ad Patrem Deſirant, qui ſimpliciter denuntiationis principium jure ſuo, & ex officio à Petro acceptaverat, ſemper relictâ Petro obligatione probandi; & idcirco jure merito reſpondit: *Tranſeat ad onus Petri Nicolai Tourteau.*

2. In ſua verò uberiori reſponſione addidit, quòd nulla umquàm ſpecies diffamationis ſecuta fuiſſet, niſi Adverſarii die 22. Januarii famoſæ

Digitized by Google

Epiſtolæ copiam evulgâſſent, & poſt tot & tantas Facultatis Theologicæ inſtantias, petitam Originalis reproductionem obſtinatè diſtuliſſent uſque ad quadrageſimam diem. Se profectò nullius diffamationis Reum eſſe, cùm omnia ſervaverit ſecretiſſima uſque ad præfatam 22. Januarii.

3. Viſâ tandem Concluſione finali partis adverſæ, cognoſcimus, quòd factam illam præfato die evulgationem, & per 40. dies tergiverſationem agnoſcant. Et quod eſt gravius, articulo 184. & 185. jactant ſeſe ab initio cognoviſſe characterem, atque ſciviſſe, quod eſſet Petri Nicolai Tourteau; nec piget illos confiteri, quòd tam apud Concilium Statûs, quàm apud dictam Facultatem Theologicam, totumque Belgium ſtudioſè ſimulaverint, quòd characterem ignorarent, ſcriptoremque quærerent.

4. Æquum eſt, ut nonnihil fuſiùs extendatur, qualiter hic Adverſarii inter reciprocos contradictionum & tergiverſationum fluxus atque refluxus natent, ut injuſtas criminationum ſuarum merces, quocumque artificio in alienum portum inferant.

5. Pro principiis ponendum, quòd fateantur Patrem Deſirant omnia ſervaſſe ſecretiſſima; & quòd ab initio ſciverint hunc eſſe characterem Petri; quòdque nihilominùs finxerint ſe id neſcire, & copiam evulgaverint.

6. Primum probatur, quia articulo 21. libelli gravaminum, prætenſas Patris Deſirant diffamationes appellant *clancularias* in verbis: *Non contentus clanculariis ſuis diffamationibus.* Quinimò in ſua Concluſione finali adducunt plures teſtes ad probandum id, quod brevibus in rem noſtram objiciunt articulo 278. *Nihil ergo umquàm de hoc negotio corpori Facultatis, imò nec ipſi Decano Patri t'Seraerts communicavit; ſed tandem ſub finem Januarii & in menſe Februario 1707. prædictis tribus Doctoribus Daemen, Daelman, & Parmentier, & D. Pauvvels Plebano, & amicis ſibi magis fidis de hoc negotio ſignificavit aliquid.* Quibus verbis Adverſarii inadvertenter probant, quòd P. Deſirant non diffamaverit.

7. Secundum Adverſarii probant articulo 184. & 187., ubi graviter exaggerant, quòd character Petri de 10. Januarii fuerit tam cognitus, ut Pater Deſirant non potuiſſet ignorare, quòd Doctor van Eſpen illum tunc noviſſet, ſciretque, quòd Petrus Patri Deſirant tunc familiaris eſſet. Verba ſunt: *Poteratne Reo incidere, Clariſſimo D. van Eſpen, cæteriſque omnibus ei junctis conſpiratoribus etiam ſui Ordinis Patribus ignotum eſſe, quòd hic Petrus jam à pluribus menſibus ipſi eſſet familiaris, & pro Amanuenſi impenderetur?* Art. 184. Item: *ſi* Doctor van Eſpen *ſub alieno nomine latere voluiſſet in caſum interceptionis, an eam tunc ſcribendam commiſiſſet Scribæ publico, cujus character notus erat paſſim omnibus?* Articulo 187.

talia eſſe, nemo ambigit, & qui accuſationem inſtituit tam atrocem, illamque tot exquiſitis artibus à Tribunali Eccleſiaſtico, in quo ſanguis non effunditur, evocatam voluerunt ad ſæculare, in quo talia pœnâ mortis vindicantur; mortem volunt, ſi verum eſt, quod ipſimet in hac cauſa aſſerunt art 12. *ex qualitate teli, ex loco inflicti vulneris, & ex infligendi modo, rectè colligitur animus occidendi.*

17 Hæc incœperunt publicè in menſe Martio anni 1707. ut conſummaretur, quod occultè ſcriptum fuerat Lugduni die 7. menſis Februarii præcedentis: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden*: id eſt, *ſed præcipuè tormentis bellicis explodendum eſt in Monachum Auguſtinianum.* Verba ſunt unius ex litteris incluſis faſciculo primo Epiſtolarum Henrici Graſper de 16. Februarii ejuſdem. Hæc, inquam, viri illi, qui conſueverunt de ſemetipſis dicere, quòd ſint *innocentiſſimi atque integerrimi.* Ubinam charitas illa rigida, ubinam illa, quam jactitant *ſimplicitas Chriſtiana*? Nihil in tam juſto dolore ſupereſt niſi dictum S. Athanaſii: *Verùm quia mentem perdiderunt, impetu ad perſequendum rapiuntur, & in quærendo ad necem, ſuam impietatem non animadvertunt*, inquit, Apol. de fuga ſua, pag. 163. Et Synodus Alexandrina in Apologia 2. pag. 193. *Tota enim illorum accuſatrix Epiſtola, nihil aliud, niſi necem ſpectat, aut necem moliuntur, ſi ipſis liceat, aut exules facere, quod & impetraverunt ab Religioſiſſimo Cæſarum Patre, qui iras ipſorum, offenſaſque, cùm ſupplicium capitale poſceretur, exilio damnatorum explevit. Iſta opera Ethnicorum ſunt, & non vel tenuiter Chriſtianorum.*

CAPUT NONUM.

Confutatio noni gravaminis: *quòd tam Liber hic, quàm dicta Epiſtola de* 10. *Januarii propter horrendam diffamationem, quam continent, manifeſtè tendant ad excitanda diſſidia inter Clementiſſimum Regem noſtrum, ejuſq; Fœderatos.*

1. ARticulus hic continebat potiùs quæſtionem juris, quàm facti; nimirùm quale & quantum malum in iſtis ſcriptionibus contineretur. Nulla ex hiſce ſcriptionibus pertinebat ad Patrem Deſirant, qui ſimpliciter denuntiationis principium jure ſuo, & ex officio à Petro acceptaverat, ſemper relictâ Petro obligatione probandi; & idcirco jure merito reſpondit: *Tranſeat ad onus Petri Nicolai Tourteau.*

2. In ſua verò uberiori reſponſione addidit, quòd nulla umquàm ſpecies diffamationis ſecuta fuiſſet, niſi Adverſarii die 22. Januarii famoſæ

Epiſtolæ copiam evulgaſſent, & poſt tot & tantas Facultatis Theologicæ inſtantias, petitam Originalis reproductionem obſtinatè diſtuliſſent uſque ad quadrageſimam diem. Se profectò nullius diffamationis Reum eſſe, cùm omnia ſervaverit ſecretiſſima uſque ad præfatam 22. Januarii.

3. Visâ tandem Concluſione finali partis adverſæ, cognoſcimus, quòd factam illam præfato die evulgationem, & per 40. dies tergiverſationem agnoſcant. Et quod eſt gravius, articulo 184. & 185. jactant ſeſe ab initio cognoviſſe characterem, atque ſciviſſe, quod eſſet Petri Nicolai Tourteau; nec piget illos confiteri, quòd tam apud Concilium Statûs, quàm apud dictam Facultatem Theologicam, totumque Belgium ſtudiosè ſimulaverint, quòd characterem ignorarent, ſcriptoremque quærerent.

4. Æquum eſt, ut nonnihil fuſiùs extendatur, qualiter hîc Adverſarii inter reciprocos contradictionum & tergiverſationum fluxus atque refluxus natent, ut injuſtas criminationum ſuarum merces, quocumque artificio in alienum portum inferant.

5. Pro principiis ponendum, quòd fateantur Patrem Deſirant omnia ſervaſſe ſecretiſſima; & quòd ab initio ſciverint hunc eſſe characterem Petri; quòdque nihilominùs finxerint ſe id neſcire, & copiam evulgaverint.

6. Primum probatur, quia articulo 21. libelli gravaminum, prætenſas Patris Deſirant diffamationes appellant *clancularias* in verbis: *Non contentus clanculariis ſuis diffamationibus.* Quinimò in ſua Concluſione finali adducunt plures teſtes ad probandum id, quod brevibus in rem noſtram objiciunt articulo 278. *Nihil ergo umquàm de hoc negotio corpori Facultatis, imò nec ipſi Decano Patri t'Seraerts communicavit; ſed tandem ſub finem Januarii & in menſe Februario* 1707. *prædictis tribus Doctoribus Daemen, Daelman, & Parmentier, & D. Pauwels Plebano, & amicis ſibi magis fidis de hoc negotio ſignificavit aliquid.* Quibus verbis Adverſarii inadvertenter probant, quòd P. Deſirant non diffamaverit.

7. Secundum Adverſarii probant articulo 184. & 187., ubi graviter exaggerant, quòd character Petri de 10. Januarii fuerit tam cognitus, ut Pater Deſirant non potuiſſet ignorare, quòd Doctor van Eſpen illum tunc noviſſet, ſciretque, quòd Petrus Patri Deſirant tunc familiaris eſſet. Verba ſunt: *Poteratne Reo incidere, Clariſſimo D. van Eſpen, cæteriſque omnibus ei junctis conſpiratoribus etiam ſui Ordinis Patribus ignotum eſſe, quòd hic Petrus jam à pluribus menſibus ipſi eſſet familiaris, & pro Amanuenſi impenderetur?* Art. 184. Item: *ſi* Doctor van Eſpen *ſub alieno nomine latere voluiſſet in caſum interceptionis, an eam tunc ſcribendam commiſiſſet Scribæ publico, cujus character notus erat paſſim omnibus?* Articulo 187.

Digitized by Google

8. Tertium, quòd nihilominùs finxerint, ſe hunc characterem non noſſe, copiam evulgaverint, & per hoc diffamaverint, copioſiſſimè oſtenditur.

9. Exordiar à depoſitione Doctoris Daelman, qui ad art. 108. ſcedulæ contrariorum factorum juratò *reſpondit, quòd D. Licentiatus Opſtraet cupiverit ſeu conſenſerit, ut illa Epiſtola ſeu copia aliquibus, notamer Regentibus Facultatis communicaretur, ſivè oſtenderetur, an nil ſcirent de Originali, aut ejus Authore.*

10. Eſtque hæc reſponſio relativa ad declarationem, quam die 1. Februarii ſcripto fecerat, quæque fuit conſignata in judicio, ſub numero 7. inter annexa ad uberiorem reſponſionem. In hac declaratione dictus Doctor Daelman diſtinctiùs explicat, qualiter præfatus Licentiatus Opſtraet memoratam copiam primùm oſtenderit die 22. Januarii 1707. aſſerens illam Bruxellis miſſam fuiſſe à Doctore van Eſpen ad Canonicum *du Vivien* addebat [verba ſunt Doctoris Daelman] *nec ſe, nec Paſtorem Stæ. Catharinæ, nec alios ejus amicos, de Authore illius Epiſtola ſivè veræ, ſivè fictæ, directè vel indirectè aliquid ſcire.* Et quando idem Doctor die ſequenti ex commiſſione ſtrictæ Facultatis præfatum Licentiatum requirebat, *quatenùs dignaretur ipſe ſcribere Bruxellas, & procuraret dictam Epiſtolam originalem, prout à D. vanden Neſſe recepta fuit*, ſtatim dictus Licentiatus *interrogavit quibuſnam iſta originalis Epiſtola deberet oſtendi?* Et Doctor Daelman reſpondit: *Dominis Regentibus ſacræ Facultatis, ad videndum, an nullus ipſorum dignoſceret characterem: ad quæ D. Opſtraet tacuit, & nihil tum ultrà repoſuit.* Poteſt hæc appellari prima requiſitio.

11. Idem Licentiatus requiſitus fuit ſecundò, eâdem die, ab eodem Doctore, cujus verba in eadem declaratione ſunt: *Eâdem die petivi ab eodem D. Opſtraet, cur Dominus vanden Neſſe, & ejus amici primò publicaverint iſtam Epiſtolam?* Hic hærebat aqua. Simulabant ſe non noviſſe characterem, cur ergo publicaverant?

12. D. Opſtraet reſpondit: *Ideo hoc eſſe factum, nè tacendo, apprehenſum fuiſſet, veram & non fictam fuiſſe Epiſtolam.* Quiſnam autem id apprehendiſſet? An ille, qui finxiſſet? Hoc erat impoſſibile. An ille, qui Epiſtolam receperat? Habebat tunc Bruxellis Doctorem van Eſpen ad manum, à quo informari poterat. An ergo alii, qui hanc Epiſtolam ſciviſſent fuiſſe ſcriptam? Undenam id vobis potuit in ſuſpicionem venire, niſi ſicuti cognoſcebatis characterem, cujus vos fingebatis notitiam quærere, ita etiam direxeritis totam rei ſeriem? Confirmatur hæc præſumptio, quia D. Opſtraet perſiſtebat, ſe ſuoſque hanc evulgationem facere ad dignoſcendum ſcriptorem. Atqui ſciebat eſſe impoſſibile, ut ſcriptor characteris

Digitized by Google

ris originalis dignoſceretur ex inſpectione alicujus copiæ aliâ manu deſcriptæ. Erat ergo nugatorium oſtendere ſolam copiam, ad dignoſcendum ſcriptorem Epiſtolæ originalis, eratque peremptorium, quòd merito peteretur Originale, ut ſcriptor quæreretur.

13. Pergit Doctor Daelman ibidem: *Et addebat* D. Opſtraet, *quòd putaret eandem Epiſtolam originalem Bruxellis communicandam Concilio Status, ut ſic publice profiterentur ſuam innocentiam, & aperirent Adverſariorum ſuorum in fictione illius malitiam.*

14. Atqui articulo 184. & 187. faſſi ſunt, quòd tunc ſciverint Epiſtolam fuiſſe ſcriptam manu Petri Nicolai Tourteau; ergo non tantùm apud Facultatem Theologicam finxerunt ſe ſcriptorem quærere, ſed etiam apud Concilium Status ſimularunt ſe illum non noſſe, ignotamque malitiam accuſare. Quantopere autem in hac ſua fictione & diſſimulatione perſtiterint, ex ſequentibus patebit.

15. Statim, dum copia Epiſtolæ coram Facultate Theologica die 23. Januarii proferebatur, alii dicebant, quòd nullam in hac Epiſtola haberent partem, & quòd nec authorem nec fictorem noſſent; at verò Pater Deſirant dixit: ſe non ſcire illum, qui dictam Epiſtolam finxiſset, nolle tamen dicere, quòd non ſciret illius authorem.

16. Adverſarii in ſua Concluſione finali adducunt quinquaginta articulos ad probandum, quòd P. Deſirant illâ die 23. Januarii nihil omnino ſacræ Facultati communicaverit, ſed ſe geſserit, ac ſi nihil ſciret. Et concludunt art. 278. *Nihil ergo unquàm de hoc negotio Corpori Facultatis, imò nec ipſi Decano t'Seraerts communicavit, ſed tandem ſub finem Januarii & in menſe Februarii* 1707. *prædictis tribus Doctoribus Daemen, Daelman & Parmentier, & D. Pauwels Plebano, & amicis ſuis magis fidis de hoc negotio ſignificavit aliquid.*

17. Similibus fictis illationibus & affirmationibus Concluſio finalis plena eſt, prout etiam plena eſt falſis citationibus, & corruptis textibus, quos ibidem adduxerunt. Nec ignoraverunt, quòd P. Deſirant has fallacias facillimè detecturus fuiſset, ſi ad notitiam ejus deveniſsent, omnem verò lapidem moverunt, nè illi quidquam communicaretur, præter univerſalem & vagum illum libellum gravaminum, in quo nihil de ejuſmodi circumſtantiis objectum fuit.

18. Multa quidem ſunt ad manum, quibus præſentem fallaciam ad oculos exhibere poſſumus. Præſtat autem adducere tale probationis inſtrumentum, de quo conſtet ipſos Adverſarios plenè inſtructos fuiſſe; & hinc rurſùs patebit, quòd tam ſtudioſè cognitam veritatem impugnaverint, ut prorſùs inexcuſabiles ſint. Fatentur enim articulo 334. ſe

habuiſſe inſpectionem actæ, quam Facultas Theologica dedit die 20. Maii.

19. Atqui hæc acta dicit, *quòd ubi primùm ſacra Facultas copiam illius Epiſtolæ vidit, nempè die 23. ejuſdem menſis* (Januarii 1707.) *deferente & monſtrante Eximio Domino Daelman, cui D. Opſtraet pridie eam tradiderat, cupiens eam oſtendi Facultati ad deprehendendum authorem, omnes & ſinguli de Facultate unanimiter proteſtati ſint, & juramentum obtulerint, quòd nullam umquàm partem in ea Epiſtola formanda habuerint, nec authorem, aut fictorem illius cognoverint,* EXCEPTO QUÒD EXIMIUS P. DESIRANT, LICET DICERET SE NULLATENUS SCIRE ULLUM, QUI FINXISSET ILLAM EPISTOLAM, NOLEBAT TAMEN DICERE, QUÒD NON SCIRET ILLIUS AUTHOREM. *Sacra autem Facultas, quò deprehendi poſſet author aut fictor illius Epiſtolæ tertiò miſit ſuum Bedellum ad Dominum Opſtraet, & ſemel ad Clariſſimum D. van Eſpen, ad obtinendam ab eis inſpectionem Originalis. Poſt moram verò aliquot ſeptimanarum, Domini illi oſtenderunt originalem Epiſtolam Deputatis Facultatis, quorum unus ex charactere Epiſtolæ detexit authorem, ſeu deſcriptorem eſſe Petrum Tourteau.* Hæc ſunt quæ Facultas Theologica in hoc negotio egit.

20. Ex hac acta probatur primò falſum eſſe id quod Adverſarii dixerant præfato articulo 278. *Nihil ergo umquàm de hoc negotio Corpori Facultatis communicavit.* Satis enim communicavit, qui ſatis clarè profeſsus eſt, ſe noviſse authorem; & ſatis egit, qui ſimul cum reliquis toties Bedellum miſit, tam ad Licentiatum, quàm ad Doctorem. Nec debuit nominare ſcriptorem: Quid enim ſi Originale deſtruxiſsent, qualiter tunc Pater Deſirant id probare potuiſset? Cùm ergo ſponte dicerent, ſe authorem quærere, optimum erat eos requirere, ut Originale reproducerent, *ut cognito charactere, author deprehendatur.* Patet ſecundò, quòd pariter falſus ſit articulus 255. *Hæc ergo omnia noverat Pater Deſirant, & tamen quaſi omnium neſcium ſe gerebat, nihil coram Facultate aperiens.*

21. Fuit ergo Bedellus pluries miſsus, & ex relationibus per ipſum in judicio recognitis ad art. 109. 110. 111. & 112. ſcedæ contrariorum factorum conſtat, quòd Licentiatus Opſtraet die 29. Januarii reſponderit, *quòd loquetur Domino du Vivien, & ſcribet Bruxellas, ad D. vanden Neſſe, ſed quòd neſciat an Originale poterit acquirere.* Die verò 1. Februarii aliam tergiverſationem attulit, *ſe deſuper ſcripſiſſe Bruxellas, & quòd hodie deſuper reſponſum exſpectet, ſed quòd apprehendat quòd Originale non mittetur.* Poſteà die 4. Februarii idem Licentiatus præfato Bedello reſpondit in præſentia Doctoris van Eſpen, *quo D. vander Cauwen vice-Paſtor Stæ. Catharinæ ſibi reſponderat, ſe ſcripſiſſe ad D. vanden Neſſe, & hunc reſpondiſſe, quòd originales*

Digitized by Google

litteras propter rationes ſibi notas non dabit, ſed quòd Clariſſimus D. van Eſpen, illud tamquam ad ſe pertinens forſan poterit acquirere.

22. Tunc miſſus fuit Bedellus ad Doctorem van Eſpen, ut dignaretur declarare an approbaret præfatum reſponſum, quod Licentiatus Opſtraet in ejus præſentia dederat, attento quòd Bedellus retuliſſet, quòd Doctor van Eſpen huic reſponſo non contradixiſſet. Et juxta Bedelli relationem hic Doctor adhuc magis tergiverſatus eſt; *reſpondit enim die 10. Februarii, ſe illis negotiis non velle immiſcere, neque ſibi attrahere iſta negotia.* Id eſt, faciebat id quod falſò Patri Deſirant objiciunt præfato articulo 255. *quaſi omnium neſcium ſe gerebat.*

23. Bedellus à Facultate iterùm miſſus fuit ad Licentiatum Opſtraet: Cùmque Adverſarii in ſua Concluſione finali toties repetant, quòd Facultas Theologica nihil egerit, quòd P. Deſirant totum geſſerit ſecretò, quòd omnia ſuo marte ſuſceperit, quòdque omnes & ſinguli qui de Facultate erant, parum aut nihil ſciverint; operæ prætium erit exhibere totam Reſolutionem, quæ circa hoc negotium poſt longas & maturas deliberationes capta, & executioni mandata fuit. Fuit conſignata in judicio, ita ut Adverſarii nullam illius poſſint ignorantiam prætexere. Fuitque inſuper per Bedellum inſinuata parti adverſæ. Verba ſunt: " Die 10.
„ Februarii 1707. propoſuit D. Decanus Facultati ſacræ, quòd præce-
„ dens Reſolutio circa divulgationem cujuſdam copiæ diſtributæ per
„ Erud. D. Licentiatum Opſtraet, conquerentem, quòd Originale ſcri-
„ ptum eſſet ad Erud. D. vanden Neſſe ſub ficto nomine Z. B. V. E.,
„ fuerit per Magiſtrum van Dormael Bedellum, & Notarium Apoſtoli-
„ cum die quartâ currentis menſis inſinuata pro tertia vice, & quòd præ-
„ fatus D. Licentiatus reſponderit in præſentia Clariſſimi D. van Eſpen,
„ dixeritque, *quòd D. vanden Cauwen vice-Paſtor Sta. Catharinæ ſibi reſpon-*
„ *derat, ſe ſcripſiſſe ad D. vanden Neſſe, & hunc reſpondiſſe, quòd originales*
„ *litteras propter rationes ſibi notas ex manibus non dabit, ſed quòd Clariſſimus*
„ *D. van Eſpen illud tamquàm ad ſe pertinens forſan poterit acquirere, & quòd*
„ *ipſe Licentiatus ſperet, ſe mediante hâc reſponſione ſatisfeciſſe ſacræ Facultati.* Et
„ petivit præfatus Eximius D. Decanus, utrùm dictus Dominus ſatisfece-
„ rit, aut quid ulteriùs faciendum? Et ſacra Facultas conſiderans, quòd
„ hactenùs tantùm actum fuerit de perſona D. Licentiati Opſtraet, &
„ quòd nunc etiam nominetur Clariſſimus D. van Eſpen, Doctor alterius
„ Facultatis, nempè utriuſque Juris, reſolvit ante omnia interrogandum
„ eſſe Magiſtrum van Dormael Bedellum ſuum, utrùm prædictus Clariſſi-
„ mus D. van Eſpen relato D. Licentiati reſponſo, non contradixerit; &
„ ſtatim præfatus Bedellus recedere juſſus eſt, & Eximius D. Decanus ite-

Digitized by Google

„ rùm propoſuit, utrùm dictus D. Licentiatus ſatisfecerit, aut quid ulte-„ riùs faciendum? Et ſacra Facultas habitâ maturâ deliberatione ulteriùs „ reſolvit ac declaravit, quòd quidem Erud. D. Licentiatus Opſtraet in-„ cœperit dare aliquam lucem, dum quatuor præfatas litteras explicavit, „ & expreſſit nomen, dicendo de præfato Originali dictis quatuor litteris „ ſubſcripto, quòd Clariſſimus D. van Eſpen illud tamquàm ad ſe perti-„ nens forſan poterit acquirere, & idcirco eadem ſacra Facultas ſupradi-„ cto Bedello injunxit, & per præſentes injungit, ut accedat Clariſſimum „ D van Eſpen, & ab eo humaniter petat, utrùm laudet, approbet, & „ ratum habeat memoratum dicti D. Licentiati reſponſum in non contra-„ dicentis præſentia. Addidit autem, ut idem Bedellus nomine ſacræ „ Facultatis vocet præfatum D. Licentiatum Opſtraet in horam undeci-„ mam matutinam craſtinam ad Cubiculum ſacræ Facultatis, ut ibidem „ compareat coram eadem ſacra Facultate, & factâ reflexione, quòd non „ Clariſſimus D. van Eſpen, ſed ipſe D. Licentiatus Opſtraet diſtribuerit „ copiam, de qua quæſtio, det rationem hujus diſtributionis, cùm non „ ſatis ſit privatâ authoritate tam notabilem ſcenam incœpiſſe, & per ta-„ lis copiæ diſtributionem hujus Univerſitatis ſpectatores commoviſſe, & „ ex conſequenti innocentes in ſuſpicionem vocaſſe, & jam dicere Ori-„ ginale non fuiſſe, aut eſſe in ſua poteſtate; æquum enim eſſe, ut qui „ ſcelus prodidit, aut probet, aut Reus habeatur. Actum Lovanii ùt ſu-„ prà: Et erat ſignatum P. Hieronymus t'Seraerts P. T. Decanus. Infra-„ ſcriptus declarat Erudītiſſimum D. Opſtraet reſpondiſſe ſequentia, quòd „ Facultas non debeat ipſum exſpectare, ſed quòd ipſe Licentiatus exſpe-„ ctabit Facultatem coram legitimo Judice. Hàc 11. Februarii 1707. Et „ erat ſignatum H. I. van Dormael S. F. T. Bedellus & Notarius.

24. Verbo dictum ſit, cognoſcebant characterem, & ideo non erat ipſis opus originale reproducere, ut hunc cognoſcerent. Sed conſultum eis erat fingere, quòd characterem non noſſent, ut tutiùs publicarent, ſe non eſſe authores. Et interim diffamabant.

25. Jam autem Patrem Deſirant in præſenti articulo 9. libelli grava-minum criminantur de diffamationibus hac in re factis, cùm potuiſſent omnia ſuffocaſſe in principio, vel invadendo ſcriptorem, vel ſtatim, dum requirebantur, reproducendo Originale. Volvebant autem alia conſilia. Erat publicum, quòd Facultas illa inſtantias faceret; nec Petrus eas ig-norabat; ſemperque audacter aſſerebat, quòd non auderent Originale reproducere, eò quòd metuerent convinci. Et per hæc magis magiſque confirmabatur opinio de veritate, quemadmodum etiam in judicio jura-tus depoſuit Doctor Daemen ad art. 88. ſcedulæ contrariorum factorum

Digitized by Google

ſe aliquando judicaſſe, litteras non fuiſſe fictas, quia inter alia *D. Opſtraet tergiverſabatur tanto tempore exhibere originalem Epiſtolam ſacræ Facultati.*

26. Fuit aliquid horum Adverſariis objectum in uberiori reſponſione; ex debilitate verò excuſationis quam adferunt, ſatis concludi poteſt, quid de vero Epiſtolæ authore ſentiendum ſit. Ita enim diſcurrunt articulis 244. & 245. *Nonnè omni homini ſenſato evidens erat, quòd ſi Clariſſimus Dominus fuiſſet author hujus Epiſtolæ, tam horrendam contra Statum & Religionem conſpirationem continentis, copiam illius nullo modo miſſurus fuiſſet, nec evulgari permiſſurus, palam proclamando ſe negotium tam horrendum cum aliis ſuis confœderatis ibidem nominatis tractare? Numquid dictum Clariſſimum, item Licentiatum Opſtraet, & Canonicum Vivien, qui & inter prætenſos conſpiratores numerabantur, oportuiſſet eſſe inſanæ mentis, ſi negotium, quod ſecretiſſimè & maximè clanculariè tractandum erat, ſuâ ſponte, nemine urgente, aut de eo loquente, publicè divulgaſſent, idque prætenſorum conſpiratorum, inter quos & ipſi erant, propriis nominibus expreſſis?*

27. Quàm verò frivola, atque inania hæc ſint, vel ex eo patet, quòd dum palam proclamabant ſe à negotio hoc abhorrere; ſimul etiam clamabant, ſe famoſæ Epiſtolæ characterem non noſſe, ubi tamen non modò fatentur, verùm etiam articulis 184. & 187. apertè jactitant eumdem characterem ſibi jam tum ab initio notiſſimum fuiſſe; hinc ex proclamatione iſta quam palam fecerunt, nullum excuſationis, ſed novum novæ accuſationis argumentum contra ſe adducunt. Nihil profectò ſapientiſſimus Propheta Daniel ad plenam ipſorum condemnationem ulteriùs requiſiviſſet. Audito enim, quòd ſponte ſuâ protuliſſent accuſationis tabulas, negaſſentque ſe characterem noſſe, quem noverant, ut per mendacium innocentiam aſſererent; profectò non aliam ſententiam tuliſſet præ illa, quam adversùs utrumque ſenem in principalis circumſtantiæ mendacio repertum tulit. *Mentitus es in caput tuum*; & iterùm: *mentitus es & tu in caput tuum.*

28. Cùm ergo articulis 184. & 187. faſſi fuerint ſe tunc ſciviſſe, quòd famoſa Epiſtola ſcripta fuiſſet charactere Petri Nicolai Fourteau, & agnoverint ibidem, quòd ſciverint tunc, quòd idem Petrus apud Patrem Deſirant quædam ſcriberet; videtur fuiſſe illis neceſſarium, ut intelligentes ſe detectos eſſe, Originale Bruxellis oſtenderent illis, qui characterem non noverant; Lovanii verò ubi ſciebant characterem notiſſimum eſſe, non evulgarent niſi copiam, & Originalis reproductionem recuſarent; & apud omnes fingerent ſe characterem non noſſe, ut antequàm veritas urgeretur in judicio, objicere potuiſſent id, quod nunc nimis affectatè adducunt, quòd non ſit ſanæ mentis opus, ſeipſum cum ſuis taliter diffamare.

Digitized by Google

29. Non fuit autem inſanæ, ſed ſaniſſimæ mentis opus, poſtquàm ſciebant ſe detectos eſſe, in publicum evulgare omnia, quaſi ficta eſſent, & ita accuſatorem, ſi quis metuebatur, prævenire. Omnia conſonant cum iis, quæ Petrus ante variationem declaravit. Nimirùm Epiſtola fuerat deſtinanda die 10. Januarii, & Doctor van Eſpen exſpectabat reſponſum die 11.: fuerat autem Epiſtola detenta uno die, ergo Doctor reſponſum die 11 non accepit. Quarè meritò Petrus inſtabat, ut Epiſtolam dictâ die undecimâ deſtinaret, prout fecit. Procul dubio Doctor van Eſpen in re tanti momenti reſponſum accepit die duodecimâ, cum admonitione, quòd Epiſtola fuiſſet per diem retenta in via, & quòd coopercula (erant enim) nonnihil alterata forent. Hinc ſecutum examen, & detectum, quòd Petrus apud Patrem Deſirant ſcriberet. Itaque reformandus fuit Scriba Petrus, prout habetur in Epiſtola de 13. ejuſdem Januarii in verbis: *Non ampliùs fido iſti ſocio, qui ſcripſit Epiſtolas noſtras, quandoquidem nimis ſæpè habeat negotia cum noſtris inimicis; ſed ſpero fore ut nos non prodat.* Præſtiterat enim juramentum de non revelando, prout etiam Petrus conſtanter aſſerebat. Reliquum erat, ut Doctor van Eſpen in tanto rerum ſuarum æſtu Bruxellas proficiſceretur ad conferendum cum amicis. Ivit autem eâdem die 13. Januarii. Quænam Bruxellis conſilia volverint, ex effectibus cognoſcimus. Finxerunt, & uſque ad 3. Martii pertinaciter ſuſtinuerunt, ſe characterem non noſſe; ſe cum ſuis diffamaverunt; noluerunt reproducere Originale, ne ſcriptor detegeretur, qui ex recentiori memoria potuiſſet illos convincere: formularioque ſuo dederunt ſenſum juſto duriorem, ut viri prudentes apprehenderent, quòd ad talia diſpoſiti non eſſent.

30. Quod enim ad materiam Statûs attinet, vel excitanda diſſidia inter Clementiſſimum Regem noſtrum ejuſque Fœderatos, prout hoc nono articulo libelli gravaminum objiciunt; novum eſſe accuſationis ludibrium per ſe patet. In toto enim formulario nulla de Rege fit mentio; nihil quoque de Confœderatis circa id, quod Regem concerneret. An forſan, quòd pro exequendis intentionibus ſuis, Hollandorum patrocinium imploraſſe dicantur, hoc natum erit diſſidia iſta excitare? Quid ergo, ſi palam apoſtatarent, quod abſit, diſſidia iſta nè tunc quidem excitarentur. Numquid enim ſæpiùs videmus aliquos ſeu Regi Catholico, ſeu alteri Orthodoxo Principi ſubjectos palam deficere, Romanam fidem publicè ejurare, & à Confœderatis Poteſtatibus non modò protectionem, verùm etiam aliquando ſtipendia reportare; quemadmodum & vice versâ plurimi abjectâ Religione reformatâ recurrunt ad nos? quinimò hæc viciſſitudo per integrum & quod excurrit ſæculum ab omnibus obſervata fuit.

Digitized by Google

Caſum adferant Adverſarii, ſi poſſunt; quòd ullum unquàm ideo diſſidium inter Reges & Status Fœderatos emerſerit. Prætereà Formularium & famoſa Epiſtola continent quidem conamina recurrentium; ſed nullibi exprimitur voluntas protectorum. Si crimen eſt recurriſſe; reddenda eſt ratio illis, contra quos malè recurſum fuiſſet. Nullum autem poteſt vitium dici, nulla etiam injuria infertur illi, ad quem recurſus quomodocumque inſtitutus fuiſſet. Eſt enim ſemper, & erit in ipſius poteſtate rejicere, quos vellet: & quamdiu de ſolo intentato recurſu conſtat, nihil de illius acceptatione philoſophandum eſt. Denique legenti Formularium res per ſe patet. Obedientia promittitur. Atqui hoc eſſe intelligendum de civilibus, non autem de iis, quæ ad Religionem pertinent, ex ſenſu liquet. In reliquis ſancta Sedes non reſpuitur, ſed ſoli Miniſtri ejus, eorumdemque decreta rejiciuntur. Grande malum eſt: velim autem, ut Adverſarii oſtendant qualiter & quomodo dictos Miniſtros, eorum denique decreta ſuſcipiant. Et quidem de ſolo Inter-Nuntio Apoſtolico Bruxellenſi ſermonem fieri palam eſt. Dicunt ulteriùs in verbis, *nos ſemper defenſuros fidem noſtram.* Ipſos verò per fidem ſuam intelligere Catholicam, & quidem Romano-Catholicam, aliundè conſtat. Addunt: *& præclaras Propoſitiones Janſenianas.* Atqui id publicè faciunt. Ubinam ergo illud horrendum, illud tremendum, quod tam apertis buccis exaggerant, quòd excitandorum illorum diſsidiorum potuiſſet cauſa fuiſſe, vel quòd conſpirantes apud aliam Poteſtatem quiviſſet in aliquam pœnam corporalem trahere? Numquid forſan ultimum, per quod Formularium clauditur, quo ſe *contentos dicunt adſcribi numero Civium Amſtelodamenſium*? Quantum hoc eſt! omnes ferè Hollandiæ Miſſionarii, quantumvis Regis Subditi, plurium Hollandiæ Civitatum civilitate gaudent, etiam Religioſi, & numero Civium ſunt adſcripti, Potentiſſimiſque Statibus obedientiam debent in civilibus & præſtant, atque non modò in precibus, verùm etiam in ſacrificiis ſuis Deum Optimum, Maximumque orant pro incolumitate illorum, cum expreſſis terminis, *ſub quorum dominio vivimus.* Nullum ibi crimen. Quin etiam unum eumdemque eodem tempore plurium Civitatum Civem eſſe poſſe, jure cautum eſt. Legant Cauſam Quenellianam, illic Adverſarii ſuum Gerberonium, quantumvis Religioſum, Civem Roterodamenſem fuiſſe conſpicient. Quid plura? Formularium ſuſdeque involvatur, ipſum quidem, præſertim ſi cum indubitatis litteris Henrici Graſper, aliiſque in Cauſa Quenelliana repertis conjungatur, repugnat Catholicæ veritati, atque unitati; nihil verò, quòd ſit natum excitare jactata diſſidia, vel quòd conſpiratores valeat pœnis corporalibus innodare, continet. Quarè non dubium eſt, quin qui illud vel con-

fecerunt, ut uterentur, vel fabricaverunt, ut in manus Patris Deſirant incideret, ſenſum juſto horrendiorem affinxerint, ut illum horrendiùs accuſarent.

31. Ex his concludi licet, quòd non tantùm diffamationes & reliqua in hoc articulo contenta, ad Patrem Deſirant minimè ſpectent; verùm etiam, quòd continuò, & continuò detegantur novæ probationes, quæ dejiciunt adverſæ partis inſtantias, præſertim illam quam ridiculè proferunt, & ut fucum faciant cauſæ, ſine ullo fundamento, aut ſpecie ſupponunt articulo 50. & 51. *Cùm publicè nota ſit eorum innocentia, nota ſit injuria enormiſſima, quam paſſi ſunt. Et hæc res apud ipſum Reum Patrem Deſirant, in confeſſo eſt.* Profectò ſi Frater Antoninus non habet aliam innocentiam præ illa, quam P. Deſirant in homine confitetur, habet unam valdè curtæ ſupellectilis. Ubinam verò Pater Deſitant dixiſſet, hoc apud ſe in confeſſo eſſe, nullibi allegant.

32. Quin etiam ſtatim ſubjiciunt litteris curſivis, *nec præſenti judicio de eo quæratur.* Eſt hoc ſecundum effatum æquè fatale. Actor, id eſt adverſa pars conjuncta, fert regulam, ſupponendum eſſe in hoc judicio, quód Doctor van Eſpen ſit tam innocens, ac ſi ipſe P. Deſirant id confeſſus fuiſſet, & quód de eo non quæratur. Quid ergo quæritur? Pergunt: *Sed unicè quis hujus injuriæ ſit author, quod ipſis certè indifferens eſt. At neque cauſam legitimam Reus allegat, cur in ipſum potiùs, quàm in quemlibet alium crimen illud conjicere vellent.* Dum talia legimus, cogitare poſſumus quantâ authoritate polluerint in hujus cauſæ directione; ut licèt cuncta indicia militarent contra Doctorem van Eſpen cum ſuis, adversùs quem Petrus juratò depoſuerat; attamen auſi fuerint non tantùm petere principium, ſed pro totius actionis fundamento ponere in verbis: *Nec præſenti judicio de eo quæritur.* Hoc eſt, quia *Fratris Antonini* innocentia non poterat probari, debuit ſupponi.

CAPUT DECIMUM.

Confutatio decimi gravaminis: *quòd plures alias Epiſtolas Reus per eumdem Petrum Nicolaum confingi curaverit, cum adulterina ſignatura D. van Eſpen circa eamdem materiam, aliasque, quarum partim Originalibus, partim earum copiis uſus fuit.*

1. Ursùs hic articulus erat univerſalis & vagus, de induſtria ſic propoſitus, ut cùm ſcirent Patrem Deſirant eis ita traditum eſſe, ut totam

Digitized by Google

totam cauſam inſtruere poſſent, prout vellent, ideo nullam circumſtantiam, niſi fortè remotiſſimam communicarent, ut ſe in hoc judicio defendere non poſſet, illi verò in ſua Concluſione finali dicerent, quæ vellent. P. Deſirant perſonaliter reſpondit: *Negat, quòd curaverit confingi, aut copiis uſus fuerit in malum finem.* Nihil equidem hæc reſponſio potuit nocuiſſe.

2. Quaſnam Epiſtolas intelligant, conſtabit ex articulo ſequenti.

CAPUT UNDECIMUM.

Confutatio undecimi gravaminis: *quòd inter eas quatuor ſint minatoriæ, eò tendentes, ut Reus dictum D. van Eſpen, & D. Paſtorem Stæ. Catharinæ Bruxellis, alioſq; de quibus in dicta Epiſtola de 10. Januarii 1707. horrendâ calumniâ diffamaret, quaſi in vitam dicti Petri Nicolai Tourteau conſpiraſſent, quibus uſus eſt.*

1. EAtenus etiam hic articulus vagus eſt, quatenùs nullam circumſtantiam ediſſerit, nullumque uſum exprimit in particulari. Quarè non potuit P. Deſirant aliter reſpondere, quàm *negat ſe feciſſe fictiones, vel uſum in malos fines.* Nihil quoque hæc reſponſio nocuiſſe potuit apud æquos rerum æſtimatores.

2. Articulus exprimit ſolas quatuor minatorias retro Concluſionem finalem impreſſas. Pater Deſirant in ſua uberiori reſponſione breviter addidit, quod hæ quatuor litteræ ſignatæ eſſent *Joannes Nympha*; prout videre eſt. Item quòd nullus in iſtis de Doctore van Eſpen, vel Paſtore Stæ. Catharinæ ſermo fieret; & conſequenter quòd articulus perperàm objiceret præfatos duos integerrimos & innocentiſſimos viros, quorum orbi nota ſit innocentia, & reliqua, horrendâ calumniâ diffamatos fuiſſe.

3. In Concluſione ſua finali ſaltant ad alias litteras per Petrum allatas, non minatorias, ſed de minis verba facientes, & ſignatas Z. B. V. E., quas bonâ fide in judicio conſignavit, ut ex ſua parte conferret omnia ad detegendam veritatem. Et ideo meritò Pater Deſirant credidit de iſtis aliis agendum non eſſe, præſertim cùm nihil de illis ageretur in libello gravaminum. Verùm aliter accidit. Reliquerunt Patrem Deſirant in opinione, quòd de iſtis aliis non ageretur; & ideo ſecuri erant quòd nullas defenſiones allaturus eſſet, & illi intereà in ſua Concluſione finali de iſtis dixerunt ſeu potiùs finxerunt quæ voluerunt.

Digitized by Google

4. Immenſas ab articulo 546. uſque ad 555. exclamationes conglobant, quòd in Epiſtola de 3. Februarii Petrus dicatur effregiſſe portas domûs. Atqui ſi hoc fuiſſet verum, quòd tota vicinia fuiſſet perturbata; concluduntque articulo 552. *nonnè hac vel ſola circumſtantia falſitatem & fictionem Litterarum evidenter probaſſet, ſi videre voluiſſet.*

5. Reſpondetur, quòd Petrus non dixerit ſe effregiſſe portam domûs anteriorem, quæ viciniam turbare potuiſset; ſed cautè aperuiſſe fores interiores, nemine præſente, & quòd ex ſuſpicione procederent Adverſarii, illumque falsò de effractione accuſarent.

6. Inſtant Adverſarii, *hac & ſimilia nec videre nec conſiderare voluit Reus, unius Petri in fictione ſocii atteſtatione & dictis* [ſi tamen dixerit] *contentus.*

7. Fingunt ſe dubitare, an Petrus hæc dixerit, cùm tamen ipſimet impreſſerint Petri Deductionem loco Motivi, in qua articulo 16. introducunt Petri Confeſſionem die 26. Martii in judicio factam : *alteram verò copiam prædicti Libri Reſolutionum excluſit Reus* [*Petrus Tourteau*] *alteri Epiſtola ad eundem Dominum Crys ſub data* 10. *Februarii* 1707. *ab eo fabricata, nomine prædicti Clariſſimi Domini van Eſpen, quas Epiſtolas* TULIT AD EXIMIUM PATREM DESIRANT SUB PRÆTEXTU, QUÒD ILLAS INTERCEPISSET RESPECTIVE' APUD CURSOREM ET IN ÆDIBUS CLARISSIMI DOMINI VAN ESPEN.

8. Et art. 20. *ſcripſit & ſibi ipſi deſtinavit Reus quatuor falſas Epiſtolàs minatorias ſub ficto nomine Joannis Nymphæ ac ſi eſſent ſcripta ex Congregationibus prætenſis Janſeniſtarum.*

9. Si Pater Deſirant ullius in hac parte fictionis conſcius fuiſſet, non potuiſſet Petrus dicere, ſe primas ad Patrem Deſirant *tuliſſe*, & ultimas *deſtinaſſe ſibi.* Totum enim apud P. Deſirant actum fuiſſet, nec ulla latio vel deſtinatio accidiſſet. Hæc ſunt indubitata. Quânam ergo ſpecie vel apparentiâ ſplendidi fictores fingunt ſe dubitare an Petrus hæc dixerit?

10. Quæ ab articulo 556. uſque ad 573. nimis fusè exaggerant ſine ulla probatione, reducuntur ad pauca capita. Primò, quòd Pater Deſirant ad quemdam Superiorem Eccleſiaſticum miſiſſet copiam quatuor minatoriarum. Sed non eſt verum; miſit tantùm unam vel alteram, quæ ſignata erat *Joannes Nympha*, rogabatque dictum Superiorem, ut ſi Petrus ad illum veniret, dignaretur eum deſuper examinare, ad dijudicandum, num diceret veritatem. In hoc verò nihil malitiæ, ſed aliquid prudentiæ fuiſſe non dubium eſt. Secundò, dicunt quòd ex aliqua Epiſtola, quæ ſcripta & miſſa fuiſſet Bruxellas ad D. vanden Neſſe, eo tempore, quo hic erat Lovanii, Pater Deſirant ſatis potuiſſet cognoſcere Epiſtolam fictam eſſe.

Digitized by Google

11. Ad hæc Pater Deſirant ſæpiùs reſpondit, ſe propter hanc & alias rationes dubitaſſe de minatoriarum ſinceritate, præſertim cùm Petrus deſuper ſeriò admonitus, firmiter aſſereret, ſe quidem eſſe certum de ſinceritate litterarum, quas ipſe ſub Doctoris dictamine ſcripſerat, prout etiam de ſinceritate copiæ Libri Reſolutionum, in quantum viderat ejus Originale; ſed ſe minatorias neque ſcripſiſſe, neque vidiſſe ſignantem, neque noviſſe characterem, quo ſcriptæ fuerant. Erat enim diverſus à reliquis: addebatque fieri potuiſſe ut Adverſarii qui tunc ſciebant ipſum turbatum eſſe, ultrò permiſiſſent has litteras in manus ejus incidere ad deſtruendam fidem aliarum.

12. Ad hæc Adverſarii apertè malignantur, & in incredibilem contradictionis abyſſum ſeſe præcipitant articulo 562. *Simulata & conficta fuit hæc, quam pudor hic extorſit dubitatio & formido de oppoſito. Neque enim unquàm vel minimam de his aliiſque hoc totum negotium concernentibus, dubitationem præ ſe tuliſſe, ſed omnia tamquàm indubitata venditaſſe, & ut talia aliis obtruſiſſe teſtantur fideliſſimi ejus amici, quibus præ cæteris hoc negotium communicabat, Doctores Daemen, Daelman & Parmentier, necnon D. Pauwels Plebanus. Imò ut ex eorum depoſitionibus conſtat, de veritate & ſinceritate dubitantibus offendebatur, uti pleniùs capite 2. articulis 296. 297. & 298. oſtenſum eſt.*

13. Hoc pacto Adverſarii pergunt ex eodem ore proferre calida & frigida. Quando Pater Deſirant aſſerit ſe putaſſe hoc vel iſtud eſſe verum, objiciunt ſophiſmata quædam ad probandum, quòd dubitaverit; & quando ingenuè aſſerit, ſe de re aliqua dubitaſſe, teſtes nominant, qui teſtati fuiſſent, quòd numquàm dubitaſſet. Qualiſnam, obſecro, teſtis eſt reperibilis, qui poſſit cum veritate teſtari, quòd aliquis numquàm dubitaverit tali vel tali die, quando ſimul de negotio agebant.

14. Econtrà Pater Deſirant poſuit in facto in ſcedula contrariorum factorum, art. 73. *Quòd aliquis Dominus monuerit Eximium Patrem quòd litteræ minatoriæ, & illæ in quibus agebatur de exequendis minis, potuiſſent eſſe confictæ inſcio Petro Nicolao Tourteau, tametſi aliæ anteriores eſſent veræ.* Ad hunc autem articulum præfatus Doctor Parmentier in judicio depoſuit, *ſe meminiſſe in confuſo tale quid eſſe dictum, per quem autem neſcit.*

15. Examinandi nunc ſunt citati articuli 296. 295. 294. In illis autem nihil aliud dicitur, quàm quòd alii aliquando dubitaverint, & Pater Deſirant non dubitaverit, ita tamen, ut neque in dictis articulis, neque in depoſitionibus, quas citant, ulla fiat mentio minatoriarum. Huc omnes illæ fictiones decidunt. Itaque Pater Deſirant dubitavit de minatoriis & cauſas allegavit. Non ita dubitavit de aliis, & hoc amici depoſuerunt.

Digitized by Google

16. Similis farinæ eſt, quod objiciunt articulo 574. de Epiſtola de 10. Februarii, ſignata expreſſo nomine Domini van Eſpen ad longum. Vim faciunt art. 575. quòd P. Deſirant prædixerit ſimilem Epiſtolam venturam eſſe. Quantum hoc eſt? Cur autem omittunt circumſtantias, quas Pater Deſirant retulit: Nimirùm Petrum dixiſſe, quòd talem Epiſtolam die 10. Februarii vidiſſet apud Curſorem ſeriùs deſtinatam; & quòd fuiſſet præſens, quando Doctoris famulus recuperaverat eam, dicendo, ſe die ſequenti relaturum eſſe, & quòd Petrus dixerat ſe rem ita cum famulo diſpoſiturum ut obtineret eam, & quòd eam attulerit die 12. aſſerendo, ſe accepiſſe è manibus juvenis, qui eam deſtinandam ferebat, idque apud ædes Curſoris, antequàm fuiſſet in Curſoris poteſtate, quod dicebat ſe velle facere, ut detegeret characterem minatoriarum, quem dicebat ſibi ignotum eſſe? Quidnam hìc mali obſecro?

17. Ad Lippos & Tonſores appellant art. 596. *Cùm Lippis & Tonſoribus notum ſit, numquàm duobus diebus immediatè ſequentibus Curſorem diſcedere Lovanio Amſtelodamum*, inquiunt. Atqui Lippis & Tonſoribus notum erat, quòd Curſor per Bruxellas tranſeat, & quòd litteræ Bruxellas mittantur ſingulis diebus. An & quales occaſiones extarent Bruxellis, ut litteræ deſtinarentur ulteriùs, nè examinatum fuit quidem, neque ſimiles minutiæ debuerunt examinari. Præterea eiſdem Lippis & Tonſoribus notum eſt, quòd dies ordinaria Lovanii deſtinandi litteras Amſtelodamum versùs, ſit Dominica & Mercurii. Atqui dies decima Februarii anno 1707. incidit in diem Jovis; igitur Epiſtola, de qua quæſtio, primâ vice ferebatur die extraordinariâ; & conſequenter non debebat mirum videri, ſi pro ſecunda vice eadem referretur die pariter extraordinariâ.

18. Perſiſtunt quòd tres illi Doctores, & D. Licentiatus Pauwels declaraverint Patrem Deſirant non dubitaſſe; & non vident, quòd hæc ipſi depoſuerint de litteris non minatoriis, ad oſtendendum, quòd ſemper in Patre Deſirant obſervaverint bonam fidem, prout ſuprà ex illorum & trium aliorum conteſtium depoſitionibus oſtendimus. *Quis ad tantam execrationem non exhorreſcat*, exclamant art. 600. Bona verba, quæſo, cogitate ſaltem vos Chriſtianos eſſe.

19. Juvat recenſere articulum 602., ubi dicunt: *Ampliùs deponit Dominus Daelman: numquàm Patrem Deſirant deponenti dixiſſe, ſe dubitare de veritate, quin è contrario uſque ad tempus, quo Tourteau erat apud Carmelitas, Eximius P. Deſirant dixit ſæpiùs deponenti, ſe velle eſſe tam ſecurum de ſua ſalute, quàm* DE VERITATE EPISTOLÆ.

20. His verbis Adverſarii ſeſe manifeſtè jugulant. Fatentur enim quòd Doctor Daelman agat *de veritate Epiſtolæ*, nimirùm famoſæ. Atqui obje-

Digitized by Google

ctio agit de litteris minatoriis; igitur exceptio, quam facit Doctor Daelman in verbis, *de veritate Epiſtolæ*, intentum ipſorum deſtruit & confundit.

21. Art. 598. alterarunt & falſarunt reſponſionem quam P Deſirant dederat ad art. 33. in verbis: *Licèt ipſe dubitaret, tamen alii dicebant, ſe non dubitare.* Et ſubjungunt alio charactere, *ſcilicet prædicti amici Doctores Daemen, Daelman & Parmentier, & Licentiatus Pauvvels Plebanus.* Falſatio in eo ſita eſt, quòd ubi Pater Deſirant dixerat, *alii*; hoc ſtatim applicatum voluerint iſtis quatuor. Cùm tamen pluries dixerit ſe egiſſe cum amicis aliis, ab iſtis quatuor diſtinctis. Dum enim rogabatur, quinam amici forent, nominavit quidem illos quatuor, ſed ſemper addidit *& alii.* Corruunt igitur omnes depoſitiones, quas Adverſarii veluti ab his quatuor datas in medium adferunt; cùm quidquid de aliis dictum fuit, non debuerit ad illos quatuor reſtringi. *Alii* profecto non dubitarunt. Et licèt Pater Deſirant monitus fuerit dubitare de minatoriis, quia forſan potuiſſent permitti incidere in manus Petri, partim ad injiciendum terrorem, partim ut ſuſpectas facerent anteriores veritates, non idem erat de aliis; quinimò dum nunc retroacta expendimus, clariſsimè videmus, minatorias fuiſſe adinventas ad palliandam deſtinatæ accuſationis machinam, idque præcisè illo tempore, quo Facultas ſacra inſtabat pro reproductione famoſi Originalis, & Adverſarii fingebant ſe characterem non noſſe.

CAPUT DUODECIMUM.

Confutatio duodecimi gravaminis: *quòd plura media quaſi in oculos incurrerint, quibus falſitas horum omnium detegi poſſet, quòdq; Reus hæc non ſolùm neglexerit, ſed etiam ſtudioſè evitaverit*

1. ITerùm hic articulus erat univerſalis, nec ullum medium proferebatur in particulari, ad quod cathegoricè reſponderi potuiſſet. Reſpondit ideo etiam generaliter, *egit bonâ fide.*

2. Quænam porro media intelligant, oportet tandem diſcere ex impreſſa Concluſione finali, & objecta hic & illic ſine ordine ſparſa, prout occurrunt, refellere.

3. Objiciunt ab articulo 484. uſque 499. quòd fuerit incredibile, ut ubi Petrus dicitur faſciculum de 13. Januarii ſurripuiſſe ex ædibus Doctoris van Eſpen, *ex ſcedula fortuitò inventa didiciſſet, faſciculum quærendum eſſe in granario, quando aliquis, qui debet Amſtelodamum diſcedere, illum eſſet*

Digitized by Google

petiturus pro Domino Crys. Neſcio quid Adverſarii velint. Nihil adhuc ſentio incurrere in oculos. Rogant, quarè Doctor van Eſpen faſciculum occultaſſet in granario? Reſpondeo, hoc non debebamus ſcire nos. Non eſt incredibile, quòd aliquis abſcondat aliqua in granario. Sed quarè, inquiunt, reliquiſſet ſcedulam, in qua illud notatum erat? *Nonnè hoc modo æquè innoteſcebat domeſticis hoc pacquetum in granario abſconditum, ac ſi ipſum palam in cubiculo expoſitum fuiſſet?* Minimè gentium. Pacquetum erat magnum & clauſum cum inſcriptione ad D. Jacobum Krys Amſtelodami. Quiſquis intraſſet, & hoc vidiſſet, ſtatim oculos conjeciſſet in illud. Scedula verò pro memoria jacebat in menſa, ad quam nemo, niſi famulus & Frater Doctoris acceſsum habebat, quos non debebat hoc negotium latere, ſed qui ſimpliciter debebant faſciculum quærere. Nihil hîc incredibilis occurrit, quod ſaltet in oculos.

4. Saltatnè in oculos id, quod objiciunt art. 590. 591. quòd P. Deſirant in depoſitione quam fecit die 14. Martii non expreſſerit varias circumſtantias, quas poſteà expoſuit? quaſi verò in exigua illa declaratione, cavillantibus nondum Adverſariis, exprimenda fuerint omnia. Numquid de jure locus datur uberiori reſponſioni? Quid eſt autem uberior reſponſio, niſi plenior ulteriorum circumſtantiarum explanatio?

5. Saltatnè in oculos id, quod tam ſplendidè exaggerant art. 338. Nimirùm quòd Doctor Daemen die 22. Junii 1707. depoſuerit ſe cum Ampliſſimo D. van Suſteren, Vicario Generali, die 11. Februarii ejuſdem anni adfuiſſe Patri Deſirant, dictumque D. Vicarium tunc abſolutè judicaſſe, *totum eſſe falſum & fictum*?

6. Si Doctor Daemen hoc depoſuit, credibile eſt, quòd depoſuerit circumſtantias in quibus præfatus D. Vicarius hoc dixerit. Adverſarii autem ſub ductu Anteſignani ſui D. Henrici Malcorps tam ſtudioſè hanc depoſitionem celaverunt, ut P. Deſirant nihil prorsùs de illa ſciverit, niſi lectâ Concluſione finali. Juxta ſtylum & praxim in omni Tribunali Chriſtiano ſervari ſolitam, debuiſſet ſaltem Patri Deſirant indicari articulus ille, addendo, quòd deſuper audirentur teſtes. Sed nihil ſimile conceſſum fuit. Pergebant velare faciem ejus, & dabant ei alapas; cùmque videre non poſſet, ipſi quodammodo dicebant, prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit? Conquerebatur, proteſtabatur, appellabat, & gravamina proponebat; ſed fruſtrà. Metuebant nè cuncta clariſſimè refutarentur hæc, ſi fuiſſent cognita, ideoque abſcondebant & dicebant hæc fieri in gratiam officii, quod habebatur veluti ſacroſanctum: officium autem erat D. Henricus Malcorps. Et quando P. Deſirant tum verbo, tum ſcripto urgebat, quòd cogeretur clauſis oculis ſe defendere, præter omnem æquitatem;

Digitized by Google

tunc veluti de gratia ſpeciali per tertiam manum monebatur, quòd poſſet facere reflexionem ſuper hac & ſuper iſta circumſtantia; illud autem dicebatur tam obſcurè, ut P. Deſirant vix capere poſſet: & ab eventu jam ex lecta Concluſione finali didicit, quòd prætenſa illa gratia non fuerit ſpecialis, ſed fatalis; quia nihil ipſi, prout in Concluſione finali extat, ſignificatum fuit. Cùmque omnia eſſent ficta, non potuit divinare, ad quid reſpondendum eſſet. Et tales Adverſarii qui hanc cæcam pugnam inſtituerunt, non verentur in hoc 12. articulo objicere, *quòd plura media quaſi in oculos incurrerint.*

7. Ut verò redeamus ad judicium D. Vicarii Generalis, præmittendum eſt dictum quoddam S. Athanaſii, cui cùm objiceretur aliquid, quod erat verum, & tacebantur circumſtantiæ, quæ variabant caſum, reſpondit: *Factum eſt, agnoſco. Nam cùm prima dixerim ſine mendacio, non hic quod verum eſt, inficiabor. Sed longè aliter, quàm ipſi criminantur, res geſta eſt.* Apol. 1. pag. 157.

8. Suſtinebat D. Vicarius rem ſuſpectam eſſe, propter litteras minatorias. Addebat, quòd Doctoris van Eſpen ſubſcriptiones viderentur quidem ſimiles, ſed tamen quaſi factæ ad imitationem, & judicabat abſolutè, quòd Petrus Nicolaus tamquàm adverſæ partis emiſſarius veniſſet ad Patrem Deſirant decipiendùm, inducendumque ut accuſaret, & quòd tunc veroſimiliter ipſe Petrus eſſet mutaturus vela ſua, & accuſaturus Patrem Deſirant; & quòd hæc ſcena procul dubio eſſet Lovanii inſtituta, partim ad vindicandam fabulam Duacenam, partim ut poſſent cum plauſu aliquo vocare in dubium ſcripta Patrum Quenelli & Gerberonii, quæ aſſervabantur Bruxellis in Palatio Archiepiſcopali. Interrogetur Doctor Daemen, & ipſe Ampliſſimus D. Vicarius, an hæc non ſint ita, prout hîc ſcribuntur. P. Deſirant illa evidenter probaſſet, ſi ſciviſſet Doctorem Daemen aliquid circa hoc depoſuiſſe, vel ſi cogitaſſet hanc circumſtantiam urgendam eſſe. Non debet interim Patri Deſirant imputari, quòd hanc rem provocatus revelet.

9. Interrogent nunc Adverſarii, quarè Pater Deſirant non crediderit Vicario Generali, & priùs demonſtrent, quòd criminoſum fuerit non credidiſſe. Reſpondebimus, quòd P. Deſirant in ſe ſuſceperit hæc omnia maturè expendere, prout etiam fecit.

10. Addemus id, quod diximus ſuprà, quòd tunc ſuggeſta fuerint ab aliis varia argumenta, propter quæ judicatum fuit, quòd minatoriæ potuiſſent fictæ fuiſſe, licèt ficta non eſſet famoſa Epiſtola de 10. Januarii, cujus Originale D. Vicarius non viderat.

11. Præcipuum autem fuit, quòd P. Deſirant, licèt de doctrinis &

Digitized by Google

moribus aſſertorum Janſeniſtarum multa ſciret, & plura audiviſſet, non potuerit tamen tunc in animum inducere, illos tam nefarios fore, ut tale inſtrumentum ad taliter decipiendum emitterent. In hoc autem erravit ſine crimine; non magis culpabilis, quàm Sapientiſſimus Athenienſium Legum conditor Solon, qui cùm moneretur quòd nullum parricidiis ſupplicium ſtatuiſſet, reſpondit ſe non diſſimulandorum parricidiorum animo id feciſſe, ſed quòd crederet parricidia perpetrari non poſſe.

12. Ad duo equidem dicti Vicarii judicium profuit. Primò quidem, ut P. Deſirant perſiſteret in nolendo accuſare, vel denuntiare, prout perſtitit. Secundò verò, ut cuncta magis examinaret.

13. Poſt illam porro diem Februarii undecimam ſupervenerunt ſequentia. 1°. ſenior Tourteau die 14. acceſſit Doctorem van Eſpen, & ab illo reſponſum æquivocum atque ſuſpectum retulit, prout dictum eſt ſuprà, & infrà repetetur. 2°. die 15. ſupervenit Confeſſarius Grauwels, qui cuncta confirmabat, prout etiam infrà repetemus. 3°. Petrus die 16. adferebat litteras Henrici Graſper, quæ erant vera proſecutio eorum, quæ anteà tulerat, prout conſtitit ex Concordantia. 4°. Doctor van Eſpen die 16. & 17. ejuſdem menſis taliter reſponderat R. P. Leopoldo à Sta. Thereſia, ut omnibus ſimul junctis, nihil ampliùs dubitandum videretur: Petruſque, quia indubitatas Henrici Graſper litteras attulerat, non videbatur poſſe dici Adverſariorum emiſſarius, ad fallendum Patrem Deſirant.

14. Probata ſunt illa ſparſim in diverſis locis, ideoque ſufficit quód breviter repetita fuerint, niſi cùm Adverſarii depoſitionem Doctoris Daemen objecerint, reproducenda hîc ſit etiam ejuſdem reſponſio ad art. 88. ſcedulæ contrariorum factorum, in qua ſatis nervosè omnia poſt duodecimam Februarii geſta & judicata enuntiat. Prudenter enim diſtinguens tempora & rationes, quando & propter quas aliquando judicatum fuit Epiſtolas fictas, aliquando non fictas eſſe, deponit in verbis: *Se judicaſſe aliquando eſſe fictas Epiſtolas, aliquando non eſſe fictas, eò quòd aſſereretur, quòd venirent ex via Sacramenti Pœnitentiæ, & ex conſilio Confeſſarii fuiſſent communicata, & quia D. Opſtraet tergiverſabatur tanto tempore exhibere originalem Epiſtolam Sacræ Facultati.* Et ad art. 89. *Quòd propter illam concordantiam judicaverit dari pondus pro veritate.*

15. Nullum ergo hactenùs medium ab Adverſariis adductum fuit, quod ſaltet in oculos, ad detegendam, quam fingunt falſitatem. Debeo mihi oculos eruere, ſi quidquam ſimile pervenerit ad pupillam. Viderint Adverſarii quânam conſcientiâ fingant ſe iſta non videre, niſi veritatem faſtidio habeant, ſicut *oculis ægris* [verba ſunt S. Auguſtini] *odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Confutatio decimi tertii gravaminis : *quòd è contrario pluribus mediis & occultis machinationibus uſus ſit, ut aliquid expiſcari poſſet, quo fucum faceret, & nequiſsimæ ſuæ fictioni fidem, vel aliquam ſpeciem conciliaret.*

1. QUidnam Adverſarii per illa plura media intellexerint, hactenùs Pater Deſirant ignorat. Et machinationes illæ ſunt tam occultæ, ut nè per Adverſatios quidem fuerint hactenùs nominatæ.

2. Pater Deſirant in tanta rerum confuſione reſpondit : *Semper egit bonâ fide.*

3. Fuit Bruxellis, qui ex hac reſponſione confeſſionem extundendam putaret: quaſi P. Deſirant, dum dixerat, ſemper ſe egiſſe bonâ fide, cenſendus fuiſſet admiſiſſe occultas machinationes. Enimverò quòd debuiſſet ſimpliciter negaſſe.

4. Reſponſum fuit quòd Adverſarii, dum nihil ſpecificè objiciebant, cauſa fuerint, quòd nihil quoque ſpecificè negari potuerit. Sicut ergo objiciebant univerſalia, ita univerſaliter reſponſum fuit. Non debet autem quiſquam reſponſiones interpretari in ſenſum ridiculum & contradictorium, quòd ſcilicet bonâ fide occultis machinationibus uſus fuiſſet, quo fucum faceret, & nequiſſimæ ſuæ fictioni fidem vel aliquam ſpeciem conciliaret: ſed debet hæc reſponſio accipi tamquàm contraria toti articulo objecto, in quo bona Patris Deſirant fides perperàm incuſabatur, præſertim cùm ſe taliter ſtatim in ſua uberiori reſponſione explicaverit, prout etiam anteà in reſponſionibus datis die 30. Aprilis, & 2. & 4. Maii ejuſdem anni 1707. Hæc enim fuerant reſponſiones primæ.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Confutatio decimi-quarti gravaminis : *quòd plures perſonas immiſerit, quæ fraudulentis prætextibus proximè vel remotè aliquid aucuparentur, quod prædicto ejus fini ſubſerviret.*

1. PAter Deſirant propter eaſdem rationes reſpondit: *Semper egit bonâ fide.* Poſteà verò ex ſparſo per Adverſarios rumore intellexit agi hîc de quatuor perſonis, nimirùm famulo Doctoris van Eſpen, Nicolao Tourteau ſeniore, R. P. Mathiâ Grauwels Minoritâ, Sacræ Scripturæ

Digitized by Google

Lectore, & R. P. à Sta. Thereſia, Ordinis Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum. De duobus poſterioribus agemus Capite ſequenti, nunc de duobus prioribus. Pro majori claritate diſtinguemus per Paragraphos.

§. I.
De Famulo Doctoris van Eſpen.

2. CUncta hæc acciderunt diebus 12. 13. 14. 15. 16. & 17. Februarii 1707.

3. Die 11. vel 12. Februarii acciderat, quòd Capite duodecimo retulimus de D. Vicario Generali: Et Pater Deſirant, prout occaſione objectarum difficultatum promiſerat, magis magiſque diſcutiebat Petri ſinceritatem. Petrus dixerat quòd Doctoris van Eſpen famulus non inclinaretur ad ſtudium Juridicum, ſed Theologicum, & quòd in hunc finem optaret Burſam more Lovanienſium, ipſumque commendabat. Pater Deſirant uſus eſt illâ occaſione, & Petro reſpondit, quòd qui Burſas petunt, debeant accedere Collatores, & maximè illos, qui ſunt de ſtricta Facultate: veniret & peteret. Petrus die 12. prout poſteà retulit, famulo locutus fuit; & licèt promiſiſſet ſe venturum, attamen nec venit die 13. nec 14. nec 15. Quarè Pater Deſirant rogavit Petrum, an famulus mutaſſet mentem, an nollet ſtudere Theologiæ: Iterùm ergo Petrus retulit ſe famulo locutum fuiſſe, ſed famulus non comparuit, quinimò Petrus die 19. manè tulit Epiſtolam ſignatam Z. B. V. E. quæ incipit, *cordiali ſalutatione prævià*, ſub data diei 15. ejuſdem Februarii. Adverſarii hanc Epiſtolam impreſſerunt retro ſuam Concluſionem finalem. Aliqua ejus verba ſunt: *Famulus meus fermè ſeductus fuit, ſed fruſtrà.* Nota, Lector, Adverſarii nunc idem objiciunt, & Patrem Deſirant criminantur, quòd non viderit illius Epiſtolæ contentum fuiſſe fictum. Si quid autem in illa fictum fuerit; tandem apparet, hanc fictionem concertatam fuiſſe per aliquam cum ipſis colluſionem, de qua Pater Deſirant nihil tunc potuit ſuſpicari, præſertim, quia Petrus ei pridiè adfuerat cum ſuo Confeſſario, R. P. Mathia Grauwels, prout oſtendemus infrà Cap. 15.

4. Objiciunt Adverſarii art. 343. Patrem Deſirant faſſum fuiſſe *quòd omni modo cupierit iſti famulo loqui.* Quid tum poſteà? Adhuc fatetur. Inſtant art. 344. quòd Pater Deſirant cauſam hujus ſui deſiderii expreſſerit verbis ſequentibus: *Ut bono modo & ſine invidia ad ſe venientem examinaret, utrùm reverà Petrus Nicolaus Tourteau in ædibus Clariſſimi Domini ſcripſiſſet.* Ita eſt. Nec poterat occurriſſe occaſio naturalior. Dubitationes fuerant ſubortæ occaſione eorum, quæ die 11. vel 12. moverat D. Vicarius Genera-

Digitized by Google

lis; Petrus per id temporis petebat Burſam pro famulo. Nihil erat naturalius, quàm ut Pater Deſirant reſponderet, ut famulus faceret ſicut cæteri, id eſt, veniret & Burſam peteret. Si famulus veniſſet, P. Deſirant intendebat illi dicere, quòd Petrus Nicolaus Tourteau illum commendaſſet, adeoque quòd procul dubio deberent habere magnam familiaritatem inter ſe. Quidquid famulus reſpondiſſet, ſerviiſſet ad informandum Patrem Deſirant circa id quod quærebatur, *utrùm reverà Petrus Nicolaus Tourteau in ædibus Clariſsimi Domini ſcripſiſſet.* Et hoc fuiſſet factum bono modo & ſine invidia. Nam neque Petrus Nicolaus, neque ipſe famulus potuiſſet ſcire, quarè P. Deſirant talia petiviſſet; & conſequenter neque Doctor van Eſpen potuiſſet ullâ ratione indignari, tametſi famulus ei omnia revelaſſet. Abſit ut Pater Deſirant potuerit vel per imaginationem apprehendere, quòd famulus, quem non noverat, debebatque præſumi Dominò ſuo fidelis eſſe, eſſet tentandus ad ſeductionem ad aliqua referenda, per quæ potuiſset Domino nocere, prout calumniari non puduit art. 351. Licèt enim Petrus dixiſset quód cum famulo conveniret non dixerat tamen quòd famulus ſciret quòd Petrus Doctorem ſuum detegeret.

5. Tametſi attentis circumſtantiis, quæ per adverſæ partis confeſſiones verificantur, nihil prorsùs mali in his omnibus intentum fuerit, ſedècontra ex hac nova diligentia, ad detegendam veritatem adhibita, ſperandum eſset multum boni; nam Adverſarii, prout Capite duodecimo oſtendimus, objecerunt quód D. Vicarius Generalis Patri Deſirant adfuerit die 11. Februarii. Et art. 342. proferunt depoſitionem ejuſdem famuli declarantis ſe vocatum fuiſse die 12. & 16. Februarii ejuſdem: attamen difficillimum eſt aliquid boni perſuadere hominibus, quorum prætenſa charitas à manè uſque ad veſperam, de nobis non cogitat niſi malum, *adeo ut ipſi putent ſe injuriam accepiſſe, quòd in injuriis inferendis non ſatis polleant*, inquit Athanaſius in Apologia de fuga ſua, pag. 169.

6. Objiciunt art. 344. *Itanè verò tantis promiſsis alliciendus erat famulus, tantoque examine erat opus ut ſciretur à famulo, an in ædibus Clariſsimi D. van Eſpen Magiſtri ſui reverà ſcripſiſſet Petrus Tourteau?*

7. Nota, Lector, quòd rursùs hanc interrogationem formaverint in ſcriptura, quam ſciebant non eſse communicandam Patri Deſirant, legendamque præſente aliquo, qui veluti ex officio acturus erat contra Patrem Deſirant, ubi nullus eſset adfuturus, qui potuiſset explicare conſuetudinem Univerſitatis Lovanienſis, juxta quam aſserta illa promiſſio erat parva, & ferè nullius momenti, utpotè quæ famulo nihil addiceret, niſi facultatem veniendi, ad ſe præſentandum, commendandumque prout

Digitized by Google

veniunt indies, & poſteà deliberatur quis ex præſentatis maximè ſit qualificatus. Et examen erat minimum in ſe; quia bono modo fuiſset auditus famulus, quem Petrus toties reclamaverat.

8. *Non enim veroſimile erat, quòd famulus occultare voluiſſet, id quod omnibus domeſticis & cuilibet ædes prædicti Clariſsimi D. van Eſpen frequentanti innoteſcere debebat*, inquiunt art. 347. Reſpondetur, quòd idcirco Pater Deſirant arripuerit occaſionem à Petro ex alio fine oblatam, huic famulo tunc loquendi.

9. Atqui tamen ab eventu conſtat, quòd famulus non venerit: liceat nobis nunc etiam quarificare. Quarè autem famulus non venit? Articulo 342. fatetur ſe bis vocatum fuiſse, *idque ſub promiſsione unius Burſæ ſeptennis*, quod eſt tempus ordinarium ſtudii Theologici. Quarè non venit? Eratnè tam magnus Dominus, ut apud ſeniorem ſacræ Facultatis Regentem nollet comparere vocatus; vel tam dives & potens, ut nullâ re indigeret? Nonnè ſaltem gratias egiſset? Suſpecta ſunt hîc omnia. Evidens eſt, quòd diſsuaſum illi fuerit, nè veniret; nec diſsuaſio illa tunc per Petrum facta fuit, quia famulus confitetur ſe per illum fuiſse bis vocatum. Non ſtant ſimul bis vocari, & diſsuaderi, nè veniat. Quis ergo alius potuit id feciſse, niſi ille qui in conſcientia ſciebat ſe poſt omnia ſua facta ſtatuiſse perſiſtere in fictionibus ſuis, quibus coram Concilio Statûs Bruxellis, & coram ſacra Facultate Lovanii, & coram omnibus ubiquè ſimulabat ſe non noviſse characterem, cujus ſe fingebat ſcriptorem quærere; cùm tamen articulo 184. & 187. tam ſplendidè faſsus fuerit ſe illum ab initio veluti notiſſimum habuiſse? Ille ſolus poterat ac debebat impedire, nè famulus veniret, *non enim veroſimile erat, quòd famulus occultare voluiſset*, prout in Caput ſuum agnoſcunt articulo 347. Ille ſolus poterat & debebat illud præſtitiſse die 12. & 16. Februarii, qui die decimâ ſeptimâ ejuſdem menſis audiens à Patre Leopoldo à Sta. Thereſia, quòd detectus eſſet Liber Reſolutionum, in quo habebatur nomen ejus, & ſæpiùs repetebatur *Congregatio*, *Congregatio*, tactus dolore cordis intrinſecùs *profundè ſuſpiravit*, prout oſtendetur Capite ſequenti. Utinam ſuſpiraſset ad reſipiſcentiam! utinam ſuſpiraſset ad reparandam in Hollandiæ Clero obedientiam Pontifici debitam, quam *Frater Antoninus*, prout ſuprà oſtenſum fuit, & infrà in concordantia repetetur, ſuo ſcripto labefactaverat. Utinam ſuſpiraſset ad corrigendam pervicaciam illorum, qui rebellabant eidem Pontifici in Cauſa Formularii Alexandrini! multa magna ſcandala ceſſaſſent, & plurimorum animi funeſtiſſimæ conſpirationi innodati non manerent.

10. Faceſſant igitur reliquæ ſpeculationes, quas merè ad implendam

Digitized by Google

chartam proferunt. *Sanè niſi Petrus probè ſciviſſet famulum hunc non evocari, ut ipſe Petrus de falſitate convinceretur, ſci e debebat Pater Deſirant ſaltem timendum eſſe, nè Petrus fidelem operam ſuam non eſſet impenſurus, ut famulum induceret ad veniendum, imò potiùs curaturus, ut famulus non veniret*, inquiunt art. 350.

11. Atqui ipſimet art. 342. confeſſi ſunt quòd Petrus fidelem operam ſuam impenderit, & famulum bis vocaverit; ergo contradicunt ſibi dum negant Patrem Deſirant tam prudenter occaſione petitæ Burſæ uſum fuiſse, ut Petrus neſciverit, famulum vocari, ut aliqua veritas contra ipſum detegeretur.

12. *Quin & admodum veroſimile eſt, quod addit idem Petrus de promiſſa ſibi Epiſtola, in caſum adductionis hujus famuli*, inquiunt art. 352.

13. Scilicet Pater Deſirant Petro obtulit Piſtollam, ut vocaret famulum, quem ſciret interrogandum eſſe ad detegendam Petri falſitatem. Quid non cogitationis peregrinæ extundunt anguſtiæ! Petrus inſcio Patre Deſirant à D. Canonico Gallot die 19. Martii interrogatus, fuerat conqueſtus quòd P. Deſirant ſatis macrè ſolviſſet ei ſalaria ſcriptionum ſuarum, prout conſtat ex ultimo annexo ad uberiorem reſponſionem conſignato in actis. Et nunc Adverſariis fit admodum veroſimile id, quod Petrus poſt notas falſationes, ſacrilegia, & perjuria varians, addidit *de promiſſa Piſtolla.*

14 Perſiſtunt articulo 352. quòd P. Deſirant faſſus ſit, *quòd omni modo cuperet famulo loqui.* Adhuc fatetur, nimirùm ſicut omnis confeſſio debet honeſtè accipi modo licito & commodo. Indenè ſequitur, credendum tali teſti ſingulari dicenti, quòd Piſtollam obtulerit?

15. Ultimum effugium ponunt in conſilio, quod ſuggerunt art. 346. *Id ſine promiſſis, ſine operoſo examine, imò nullo penè negotio per Theologum, aliumve huic famulo notum ſcire potuiſſet Pater Deſirant.* Scilicet Pater Deſirant poterat & debebat ſcire, quiſnam Theologus vel alius notus eſſet famulo Doctoris Juridici: nec debebat ei ſufficere quòd Petrus ultro dixiſſet, quón idem famulus Burſam Theologicam deſideraret. Lectorem offendo, reſpondendo ad tam frivola. Siſtam igitur & dicam, quód poſt 17. Februarii nullus ampliùs miſſus fuerit; nec opus erat, audito præſertim R. P. Leopoldo, qui profundum Doctoris ſuſpirium, aliaque ab ipſo reſponſa attulerat.

Digitized by Google

§. II.
De Nicolao Tourteau *ſeniore.*

16. NUnc veniendum ad ſeniorem Tourteau, Nicolaum, dignum Petri Nicolai parentem.

17. Cauſa hunc Nicolaum mittendi ad Doctorem van Eſpen, fuerunt dubia, quæ Adverſarii confitentur Patri Deſirant, per D. Vicarium Generalem objecta fuiſſe die 11. Februarii. Occaſionem, ut mitteretur, præbuit ipſe Nicolaus die 13. Februarii. Miſſusque fuit die 14.: ivit & redivit, prout faſſus eſt in acta conſignata in judicio die 15 Novembris ejuſdem anni 1707. Hanc verò actam nec ipſe, nec Adverſarii audent negare in Concluſione finali.

18. Qualiter Nicolaus hanc occaſionem illâ die 14. Februarii præbuerit, conſtat ex reſponſione Patris Franciſci d'Herbe ad art. 270. ſcedulæ contrariorum factorum; *Quòd ſenior Tourteau venerit conqueſtum, quòd ſuus filius pateretur minas & verbera.* 271. *Quòd Eximius Pater reſponderit, quòd deberet conſtare de facto.* 272. *Quòd ſenior Tourteau ad hoc petierit conſilium.* 273. *Quòd Eximius Pater Amanuenſi ſuo dictaverit formularia, juxta quæ dictus ſenior Tourteau caperet ſecretas informationes.* Hæc in depoſitionibus; quia verò idem R. P. d'Herbe rem eandem clariùs expoſuit in ſua declaratione annexa ad uberiorem reſponſionem ſub numero 14. litt. E. placet claritatis gratiâ illam reproducere. Verba ſunt: *Quòd Nicolaus Tourteau ſenior die 14. Januarii venerit ad præfatum Eximium Patrem Deſirant amarè conquerens, quòd filius ſuus eſſet expoſitus tantis minis & periculis, rogando ut Eximius Pater poneret medium; & quòd Eximius Pater reſponderit, ſe non poſſe ponere medium, niſi conſtaret de facto, & quòd monuerit, ut in hunc finem tamquàm Pater caperet atteſtationes, quod dictus Pater poſteà non fecit.*

19. Licèt ergo junior Tourteau in principio enixè rogaſſet, nè Patri ſuo quidquam diceretur; allegando pro ratione, quòd dictus ſuus Pater ab anno vel annis pro Doctore van Eſpen deſcripſiſſet plurima, & notanter Libros, qui poſteà impreſſi fuerant ſub titulo, *Jus Eccleſiaſticum univerſum*, ita ut non conveniret dictum ſeniorem ſcire, quòd præfatus Doctor jam impenderet juniorem; attamen poſtquàm idem junior die 13. veſperi miſiſſet uxorem ſuam ad præfatum ſeniorem, conquerendo quòd fuiſſet in via percuſsus, & uxor addidiſset, quòd ſibi in via occurriſsent duo larvati & ſimilia; tanta præ ſe tulit timoris indicia, ut Patri ſuo revelanda diceret omnia. Inſtabat itaquè ſenior Tourteau pro filio, & die 14. Februarii à Patre Deſirant poſtulabat remedium. Pater Deſirant ge-

Digitized by Google

ſtabat in pectore dubia, quæ die 11. fuerant per D. Vicarium Generalem propoſita; ideoque uſus hâc occaſione dixit ſeniori Tourteau, quòd tota quæſtio pendêret ab eo, an filius ejus hæc & iſta ſcripſiſset pro Doctore van Eſpen? Filius perſiſtebat in præſentia Patris, & addebat quòd dictus Doctor ei inde adhuc deberet aliquot imperiales. Quarè conſultum fuit, ut dictus ſenior accederet Doctorem van Eſpen, prout Adverſarii fatentur illum eâdem die 14. Februarii 1707. acceſsiſse, juxta actam quam deſuper fecit, in judicio conſignatam die 15. Novembris ejuſdem anni. Verba ſunt: *Infraſcriptus in favorem juſtitiæ & veritatis declaro debitè requiſitus, quòd die decimâ quartâ Februarii menſis currentis 1707. poſt meridiem acceſſerim Clariſſimum D. Zegerum Bernardum van Eſpen, Juris utriuſque Doctorem, & ab eo humaniter petiverim, utrùm meus filius Petrus Nicolaus Tourteau aliqua pro ipſo ſcripſerat, & an ratione illius ei aliquid deberet Clariſſimus Dominus? Sed quòd reſpondit, ſe dictum Petrum Nicolaum numquàm ad ſcribendum impendiſſe, neque umquàm impenſurum eſſe: & ſub quaſi ingemiſcens addebat*, TUUS FILIUS, TUUS FILIUS, EGO TIMEO, EGO TIMEO. *In ſignum veritatis haſce ſignavi paratus renovare toties quoties requiſitus. Actum hâc 19. Februarii 1707.* Signatum erat *N. Tourteau.*

20. Senior Tourteau relationem hanc oretenùs fecit Patri Deſirant, in præſentia junioris. Junior autem firmiter reſpondebat Doctorem van Eſpen mentiri quoad primam partem; & quòd ex timore & gemitu, quem emiſerat, dum dicebat, *tuus filius*, *tuus filius*, *ego timeo*, *ego timeo*, ſatis appareret quòd metueret detegi, & quòd ideo non fuiſset auſus coram ſeniore agnoſcere debitum & ſcriptiones. Hæc Petri firma aſsertio confirmabatur per quatuor circumſtantias eâdem die & horâ maturè expenſas. 1ò., quòd ſenior Tourteau qui audiverat modum, quo Doctor van Eſpen illa reſponderat, filio ſuo non contradiceret. 2ò, quòd Doctor van Eſpen non tantùm reſpondiſſet ſe dictum Petrum nunquàm impendiſſe, verùm etiam ſtatim & ex abrupto addidiſſet, *neque umquàm impenſurum eſſe*. Debebat igitur aliquid latêre. 3ò, quód hoc reſpondiſſet eo tempore, quo publicè aſſerebat ſe famoſæ Epiſtolæ per Petrum ſcriptæ characterem non noſſe. Et 4ò., quòd tam obſtinatè perſiſterent in nolendo reproducere petitum toties Originale.

21. Ex dictis patet quòd ſenior Tourteau optimâ fide, & ex juſtiſſimis cauſis, necnon in bonum finem ad Doctorem van Eſpen miſſus fuerit; & quòd ex iſta præfati Doctoris reſponſione reſultaverit nova ratio loquendi famulo ejus; ut ſilentio prætereamus præſumptiones, quæ inde poſſunt contra eundem Doctorem erui.

22. Percurrenda nunc eſt Concluſio finalis, reſpondendumque ad ea,

Digitized by Google

quæ Adverſarii confuſo ſuo ſcribendi modo, in variis locis ſine ullo ordine objecerunt.

23. Objiciunt quòd ſenior Tourteau quædam depoſuiſſet contra Patrem Deſirant, de quibus agemus infrà. Nunc enim notaſſe ſufficiat, quòd Pater Deſirant hunc ſeniorem Tourteau non proferat ùt teſtem, ſed ùt complicem. Et quòd juxta Leges, inſtrumentum ſuprà allatum totâ manu ejus ſcriptum, valeat tam contra ipſum, quàm contra filium ejus; immò etiam contra Doctorem van Eſpen, quia hic Doctor impendit illum in teſtem, & tamquàm talem ſalvavit articulo 92. Concluſionis finalis, ubi Adverſarii agnoſcunt, quòd ſenior Tourteau in cauſis filii ſui ſuſpectari poſſet, tamquàm Pater; ſed quòd in hac cauſa ſuſpectari non poſſit, quia junior Tourteau, *propriè loquendo, nullam cauſam habet*, inquiunt art. 93. Tales tantaſque contradictiones ſine ſcrupulo devorant.

24. Cùm tamen ex actis ſciant, primam & primariam cauſam primitùs contra Petrum inſtitutam fuiſse, nimirùm antequàm minis & promiſſis obtentum fuiſset, ut variaret. Quinimò unum ex gravaminibus contra Petrum exhibitis, exprimebat, *quòd Petrus deceperit Eximium Patrem Deſirant*. Altera cauſa fuiſset de anterioribus falſitatibus ab ipſo commiſſis, ſi litis inſtructoribus mens æqua fuiſset.

25. Inſuper Adverſarii exquiſitis ſuis artificiis effecerunt, ut tota præſens lis reverà facta fuerit tota cauſa Petri. Fabricaverunt enim ſyſtema horrendum, ponentes pro themate quòd vel Pater Deſirant eſset Reus, vel Petrus, & quòd quidquid conjiceretur in P. Deſirant, iſtud in hoc judicio reputaretur à Petro ſublatum iri, ideoque Patrem Deſirant omnibus modis gravandum, ut Petrus exoneretur. Et hinc accidit, ut Petro variante, & ſeipſum de perjuriis atque ſacrilegiis accuſante, & poſteà contra Patrem Deſirant vela mutante, etiam uxor ejus, & parens variaverint atque mutaverint tamquàm acceſsoria ſequentia ſuum principale, ſed tam infeliciter, ut die 1. 5. & 6. Julii 1700. *in dictis ſuis diſcrepaverint & diſconvenerint*, prout ipſa pars adverſa confiteri debuit in actis de die 7. ejuſdem Julii, in verbis: *Attento quòd teſtes aliqui* IN DICTIS SUIS DISCREPENT ET DISCONVENIANT, *prout etiam maximè diſconveniunt cum dictis & allegatis Reorum; hinc petit ut Magnificentia veſtra per decretum ſuum mandare dignetur, ut D. Actor eoſdem teſtes* TAM INTER SE, *quàm cum Reis inquiſitis poſſit curare confrontari.*

26. Quòd Adverſarii horrendum hoc ſyſtema fabricaverint, tam eſt certum, quàm quod maximè. Fueruntque in hac inaudita malignitate ita obcæcati, ut præ nimia accuſandi impreſſione prodiderint ſeſe, propriamque turpitudinem, miſso omni pudore, impreſserint in ſua Concluſione

Digitized by Google

ſione finali articulo 128. in verbis: *Manifeſtum & notorium eſſe ex deductione & inſtructione hujus cauſæ, nullum in ſuſpicionem horum criminum vocari, niſi Petrum Nicolaum Tourteau & ipſum Reum, ſivè Patrem Deſirant: atque alterutrum ipſorum certò eſſe omnium illorum authorem, ita ut argumenta & indicia quæ præſumptionem à dicto Petro amoliuntur, eam in Reum conjiciant, ipſumque gravent, & authorem probent.* Quæ ſi maturis oculis perpendantur, ſatis apparebit, quâ ſpe tam filius quàm parens & uxor freti proceſſerint, dum variantes in judicio, contradictoria contra P. Deſirant attulerunt; ille ex prætenſa pietate paterna, iſta ex affectu maritali.

27. Omnis Practicus Chriſtianus juxta Authores communiter ſtatim tales teſtes repuliſſet. Quin etiam tradit Menochius l. 3. præſ. 25. art. 3. *Eos qui varia dixerunt teſtimonia, puniri, ſicuti & ii, qui falſum atteſtati ſunt, ùt ſcribunt* Barth. in dicta l. eos ff. de falſis. Alex. in l. inter ſtipulantem §. 5. ſtichum col. 5. de verb. oblig. Dec. in Conſil. 8. n. 8. Paris. in Conſil. 53. n. 50. in Conſil. 61. n. 10. & in Conſil. 152. n. 19. l. 4. Et pergit Menochius: *Efficit etiam hac repugnantia & varietas, ut nulla ipſis atteſtationibus fides adhibeatur. Ob id Judex ferre non debet ſententiam pro eo, cujus teſtes varii pugnantesque ſunt, ùt ſcripſerunt* Innoc. in cap. præterea de teſtibus cogendis. Burius in cap. *Cùm in tua.* col. ultimâ de teſtibus. Et alios commemorat Grammat. in Conſil. 26. num. 26. in fine, & in Conſil. 44. n. 10. in Criminal. Idem in voto 31. n. 19. *Imò nec pro pia cauſa fidem facere reſpondit.* Paris. in Conſ. 24. n. 22. lib. 3. *Et cùm de varietate & repugnantia appareat, dolus præſumitur, atque ita tenetur de falſo.* Aret. in noſtra de teſtibus, & Alciat. de præſumpt. Regula 2. de præſumpt. 3. n. 3.

28. Adverſarii autem in profundiſſimum laxitatum barathrum demerſi, hos variantes, *in dictis ſuis diſcrepantes & diſconvenientes teſtes* innocentiaverunt, habilitaverunt, præconiis celebraverunt, dignosque prædicaverunt qui contra Doctorem Catholicum teſtarentur. Pater vir probus, uxor mulier fortis, & Petrus ab *anteacta vita innocentia*, commendabilis, prout loquuntur art. 2. deductionis. Quis iſta intelligat?

29. Percurramus autem Concluſionem finalem. Non audent præfatam ſenioris Tourteau atteſtationem negare. Quid ergo volunt, quid negant, quid vociferantur? Varia ab art. 353. uſque ad 372. objiciunt, quibus ſeſe magis magisque illaqueant.

30. Imprimis art. 356. præfatam atteſtationem falſificant. Vera verba actæ ſunt. *Clariſſimus Dominus reſpondit ſe dictum Petrum numquàm ad ſcribendum impendiſſe, neque umquàm impenſurum eſſe, & ſub quaſi ingemiſcens addebat: Tuus filius, tuus filius, ego timeo, ego timeo.*

31. Ipſi autem articulo 356. verba illa litteris curſivis exprimunt hoc

Digitized by Google

modo: *Clariſſimum Dominum reſpondiſſe abſolutè, ſe nihil debere filio ſuo, nec eum pro ſe ſcripſiſſe, ſivè ſub dictamine, ſivè aliter.* Hoc verbum *abſolutè*, & poſteriora verba, *ſivè ſub dictamine, ſivè aliter*, nè per umbram quidem in iſta atteſtatione habentur. Et tamen ſine verecundia in dicto ſuo articulo 336. ſubjungunt ſequentia, *uti conſtat ex dicta atteſtatione Nicolai Tourteau, & fatetur Reus in citatis articulis.* Fingunt atteſtationem Nicolai & confeſſionem Patris Deſirant, quæ numquàm extitit in rerum natura. Cogitare poſſumus quænam fides tribuenda ſit ipſorum citationibus, in iis, quæ fingunt reperiri in depoſitionibus, quarum communicatio fuit denegata; quandoquidem in omnibus inſtrumentis, quorum habemus notitiam, falſationes & corruptiones continuas ſtatâ lege deprehendamus.

32. Non fuiſſet Doctor van Eſpen tunc auſus de dictamine loqui. Neque Nicolaus fuerat monitus, ut ullum de dictamine iſto verbum faceret, prout etiam nullum verbum in iſta atteſtatione reperitur. An forſan hæ voces exciderint Doctori van Eſpen, quia Beſſus audiverat triſſantes hirundines, *Beſſus occidit Patrem?* ſpeculatio eſt non contemnenda.

33. Cur autem omittunt alia verba ejuſdem atteſtationis, *neque umquàm impenſurum eſſe?* Si neſciebat ſe fuiſſe à Petro detectum, cur ſtatim ſponte ſuâ non rogatus dixit, ſe illum *numquàm impenſurum eſſe?* Cur mox trepidavit? Cur ſtatim ingemuit: *Filius tuus, filius tuus, ego timeo, ego timeo?* Articulo 359. fatentur Nicolaum ſic retuliſſe, nec audent negare Doctorem van Eſpen ſic reſpondiſſe.

34. Audiamus ſubtilem excuſationem quam adferunt articulo 361. *Prædicta verba ſubjecta tam poſitivo & cathegorico reſponſo, quid aliud præferebant, quàm timorem fundatiſſimum de filio, quem ex illa Patris interrogatione tam enormiter mentitum fuiſſe colligere poterat Clariſſimus?*

35. Fingamus, obſecro, Petrum in hoc mentitum fuiſſe; eratnè illa cauſa ſufficiens, ut Doctor ingemiſceret, diceretque: *Ego timeo, ego timeo?* Debuiſſet dicere Patri: *Tu time filio tuo.* Sed non. *Ego timeo, ego timeo*, dixit: & hoc Adverſarii confitentur. Eſt enim incredibile dictu, quænam & quanta ſit agitatio conſcientiæ ulceratæ. Produnt ſe, dum minimè cogitant, dumque ſubitò, & ex improviſo interrogantur, prorumpunt in ſingultus, prout etiam oſtendemus Capite ſequenti, quòd idem Doctor fuerit placidus, quando Pater Leopoldus die 17. ejuſdem Februarii ex charta prælegebat contenta Libri Reſolutionum. Sed quando audiebat ſuum nomen, & perventum fuerat ad voces, *Congregatio, Congregatio*; non poterat ampliùs reſiſtere ſtimulis nimiùm inclytis, *& profundè ſuſpirabat.*

36. Adverſarii rurſùs ad fictiones converſi objiciunt art. 352. quòd P. Deſirant hunc Nicolaum ad Doctorem miſerit, ſtudens *artificiosè ex-*

Digitized by Google

eo elicere, quæ ſaltem in ſpeciem, ſinceritatem Libri Congregationum confirmarent.

37. Atqui confeſſi fuerunt, nec poteſt negari, quòd Liber ille ſcriptus fuerit, non manu Petri, ſed cujuſdam pictoris Timmermans, quid ergo hìc ad rem venit illa artificioſa ſuſpicio, quòd aliquid pro detectione vel confirmatione hujus Libri cogitatum fuiſſet, ubi convicti ſunt & confeſſi, quòd Nicolaus nihil monitus fuerit, & nihil petierit aliud, quàm utrùm filius ſuus *Petrus Nicolaus Tourteau aliqua pro ipſo ſcripſerat, & an ratione illius ei aliquid deberet Clariſſimus Dominus?* Verba ſunt atteſtationis ſuprà relatæ.

38. Cæterùm ad hoc quod P. Deſirant probavit, Petrum illa Doctoris verba, *ego timeo, ego timeo*, interpretatum fuiſſe de timore Doctoris, nè Petrus myſterium iniquitatis proderet, nihil aliud reponunt art. 369. quàm quòd inde ſequatur Patrem Deſirant, *Petro tamquàm familiarem, ipſi communicaſſe, quæ de hoc negotio in Facultate tractabantur: Cùm veroſimile non ſit, quòd alioquin Petrus hæc tam exactè ſcire potuiſſet.*

39. Accedant Lippos & Tonſores ſuos quos alibi citant, & ab illis intelligent quòd hæ inſtantiæ à ſtricta Facultate à 23. Januarii uſque ad illam decimam quartam Februarii factæ, extiterint tam publicæ, ut compita & plateæ forent iſtis diſcurſibus repletæ, & Petrus non potuerit ignoraſſe. Et quamquàm Petrus illa tunc intellexiſſet ex Patre Deſirant; equidem manet verum, quòd Doctor van Eſpen non potuerit ad interpretationem gemitûs & timoris, quam Petrus toties fecit, aſſerendo verum illius ſenſum eſſe, quòd metueret, nè totum per Petrum revelaretur. Manet etiam verum, quòd Doctor van Eſpen illâ die 14. Februarii palam fingens ſe famoſæ Epiſtolæ characterem non noſſe; hìc rursùs prodiderit ſe art. 356. ubi verba ſenioris Tourteau alterat, & quaſi in ſecretam quamdam defenſionem parat in verbis: *Sivè ſub dictamine, ſivè aliter.* Ex quo concludere licet, quòd Doctor van Eſpen, qui debebat ſcire an & qualiter famoſa Epiſtola deſcripta vel dictata fuiſſet, jam tunc cogitaverit de negandis omnibus, *ſivè ſub dictamine, ſivè aliter.*

40. Objiciunt præterea art. 370. quòd P. Deſirant debuiſſet credere viros illos innocentes eſſe, *quandoquidem ſciret copiam ipſius Epiſtolæ per dictos Dominos fuiſſe divulgatam.*

41. Imò verò debebat P. Deſirant credere viros illos reos eſſe quando quidem ſimulaſſent ſe ſcriptorem quærere, & tam pervicaciter recuſabant reproducere Originale, undè ſcire poterant ſcriptorem deſignari potuiſſe; & ad primam vocem Patris, cujus filium ſciebant Originale ſcripſiſſe, ſtatim ſecuti fuerant gemitus, *ego timeo, ego timeo.*

Digitized by Google

42. Hanc reproductionis recuſationem excuſare nituntur articulo 371. *Sciebat Pater Deſirant quòd Dominus Opſtraet unicè differret Originale oſtendere, quia D. Paſtor Sta. Catharinæ mittere nolebat*, inquiunt.

43. Imoverò P. Deſirant ſciebat, & ex fideli relatione Bedelli van Dommel intellexerat, quò l D. Opſtraet antequàm potuiſſet ſcire, quid Paſtor ille ad ſtrictæ Facultatis requiſitionem tunc ſibi ignotam reſponſurus eſſet, ſimulaverit quidem ſe Bruxellas ſcripturum eſſe, ſimul autem prædixerit in verbis: *Quòd neſciat an Originale poterit acquirere.* Conſilium ergo Originale non reproducendi, non Bruxellis fabricatum fuerat, ſed Lovanii, quia Lovanii primò ſciverant illud peti, & primi ſtatuerant non concedere.

44. Objiciunt denique art. 376. *Quâ ſpecie credere poterat Pater Deſirant tantam injuſtitiam, imò duritiem, in hoc Clariſſimo Domino, ut Petro pauperi jam conjugato, & rei familiaris anguſtiis laboranti reſtaret debitor ad decem circiter imperiales, qui facilè unius vel alterius menſis operarum Petri mercedem confeciſſent.*

45. Reſpondetur, quòd ſicut Petrus aliquando notabilem ſummam receperat ex parte Univerſitatis, ita credi poterat, quòd permiſiſſet debitum creſcere, ut pariter aliquid notabilis accepiſſet ſimul & ſemel ad faciendam aliquam proviſionem, prout in familiis ſolent, vel ad ſolvendum locarium, aut hujuſmodi; & quòd propter ſupervenientem detectionem quam fecerat, pateretur moleſtias ea ex parte magis credibiles, quòd per ipſam ſolutionem in illis circumſtantiis Doctor ſe ex parte detegeret. Ita referebat Petrus. Lectorem teſtor, an non fuerint ſaltem veroſimilia. Cur autem Doctor ille van Eſpen cum ſuis poſteà tanta Petro beneficia præſtiterunt, niſi forſan ad compenſanda quæ neſcio?

46. Qui legit articulos 524. uſque ad 529. facilè putaret Adverſarios in gratiam clientis ſui Nicolai ex tripode locutos fuiſſe, tunc maximè quando certi erant nullum adfuturum, qui ſplendidum verborum apparatum, & confidentiſſimas argutationes vellet, & ſimul poſſet refellere. Percurrenda ſunt rursùs ſingula: nam & ex ſingulis Adverſarii rursùs detegentur.

47. Agunt de quibuſdam Epiſtolis ſignatis Z. B. V. E., aſſerunt quòd P. Deſirant jam inde à menſe Novembris 1706. ſeniori Tourteau oſtenderit aliquas tales Epiſtolas, ſed quòd eas ita complicaverit, ut cùm Epiſtolarum corpus exaratum eſſet manu junioris Tourteau, ſenior tantummodo poſſet videre quatuor litteras Z. B. V. E., & quòd ſenior interrogatus an judicaret has eſſe litteras Doctoris van Eſpen, reſponderit affirmativè, & deſuper ad calcem Epiſtolarum dederit teſtimonium.

Digitized by Google

48. Deditnè autem teſtimonium falſum? Non audent aſſerere, neque aſſerunt. Deditnè teſtimonium verum? Quid ergo negant Doctorem ſignaſſe? Convincuntur undequaque robore confeſſionum ſuarum.

49. Audiantur tamen, licèt noluerint audire. *Quòd ſpecialem meretur reflexionem, Reus [id eſt P. Deſirant] diſtinctis vicibus Epiſtolas ita complicavit, ut dictus Tourteau ſenior tantummodo poſſet videre quatuor illas præfatas litteras.*

42. Pater Deſirant meritò ſic complicavit, partim quia non petebatur judicium ſenioris Tourteau, ut ſciretur character Epiſtolæ, ſed ſignaturæ: partim quia Petro requirenti, nè P. Deſirant ipſum in hac re notum faceret ſuo parenti, illud ex reverentia Sacramenti Pœnitentiæ, quod Petrus reclamabat, adpromiſerat; partim ut experiretur an in hac ipſa Petri requiſitione non lateret fraus circa quatuor iſtas litteras; partim denique, quia aliundè ſciebat verum Doctoris van Eſpen characterem nemini in Oppido Lovanienſi notum eſſe magis, quàm huic ſeniori Tourteau, utpotè qui ſciebatur per annos & annos pro ipſo, & apud ipſum ſcripſiſſe.

51. Charitas ipſorum & ſolita modeſtia objicit articulo 527. *Merum commentum! & confictum rurſus mendacium! ſi filius tam multa, tamque frequenter in ædibus Domini van Eſpen ſcripſiſſet, quemadmodum omnes illæ confictæ litteræ & Liber Reſolutionum præ ſe ferebant, eratnè veroſimile id ignorare potuiſſe Patrem.*

52. Ex multis illis ſcriptis tollatur Liber Reſolutionum, nam ſæpiùs eſt oſtenſum, & ab Adverſariis agnitum, quòd ille ſcriptus fuerit manu pictoris Timmermans.

53. De reliquis autem, undènam Pater Deſirant potuiſſet, aut debuiſſet ſcire, an & qualem notitiam haberet Pater, ubinam, quænam filius ejus, qui habitat cum uxore ſua procul à Patris ædibus, ſcriberet, aut ſcribillaret?

54. Contemnendam hanc interrogationem Adverſarii dum faciunt, iterùm ſibi contradicunt. Fuerunt enim ſtatim confeſſi, quòd ſenior uſque adeo id ignoraverit, ut die 14. Februarii Doctorem van Eſpen acceſſerit, & ab eodem petiverit in verbis: *Utrùm meus filius Petrus Nicolaus Tourteau aliqua pro ipſo ſcripſerat, & an ratione illius ei aliquid deberet Clariſſimus Dominus?*

55. Eant nunc Adverſarii, & exclament prout ſuprà articulo ſuo 52. *Merum commentum! & confictum rurſus mendacium!* Et diſcant, quòd ſtrepitoſis iſtis impugnatoribus reſtrictionum mentalium [quas tamen improbo] difficile ſit mentiri conſequenter.

56. Novæ ſeſe contradictioni implicant articulo 528. *Prætereà ſi Reus id latere volebat Patrem, quomodo ſub idem tempus, ipſum illum Patrem dicti Petri miſit ad dictum D. van Eſpen?*

Digitized by Google

57. Quia inter menſem Novembrem 1706. & 14. Februarii 1707. interceſſerunt quatuor menſes, ita ut non eſſet idem tempus, ſed tam diverſum, ut Petrus minis atque verberibus, prout referebat, adactus, cuncta tandem Patri revelaſſet, prout ipſe Pater fatetur ſibi revelata fuiſſe.

58. Nunc ſequitur oraculum articuli 529. *Vera proinde ratio hujus complicationis & occultationis fuit, quòd tunc temporis myſterium hoc iniquitatis aperire non vellet dicto Tourteau ſeniori, qui agnito charactere filii ſui, & immaniſſimo litterarum contento, facilè filium ſuum monuiſſet, & à ſcelere retrahere ſtuduiſſet: quapropter nec ipſum Patrem de expoliatione domûs curſoria per filium perpetrata monendum cenſuit.*

59. Myſterium iniquitatis, utinam non veſtræ, tunc ſeniori aperire non voluit, quia nondum tam certò conſtabat de illius exiſtentia. Et ut de veritate conſtaret, idcirco inter alia ejuſdem ſenioris, tamquàm maximè experti judicium poſtulabatur, & hoc indifferens, ut nec pro filio judicaret victus affectu, nec contra filium ſententiam diceret, motus inclinatione erga Doctorem, pro quo tam multa ſcripſerat, dum contenta vidiſſet. Poſteà verò, prout confitemini, immaniſſimum illud Epiſtolarum contentum non tantùm vidit, ſed etiam deſcripſit. Filiumnè ſuum tunc facilè monuit, & à ſcelere retrahere ſtuduit? Imoverò Pater Deſirant conqueſtus fuit, quòd Pater anteriores filii ſui falſationes celaverit, illiſque, quæ à filio videbat peragi, non contradixerit. Combinate nunc iſta ſi poteſtis, cum articulo veſtro 100.*t*, ubi in tam profundam laxitatem demerſi eſtis, ut dicatis: *Inſulſum & ridiculum eſt eidem ſeniori Tourteau apponere, uti hic facit Reus, quòd anteriores filii ſui falſificationes ſciverit, nec Reo indicaverit. Etiamſi enim omnia vera forent, quis cum ratione à Patre exigere poteſt, ut filii ſui nequitias prodat, undè fiet, ut à domibus, in quibus victum lucrari poſſet, arceatur*: Hæc Rigoriſtæ noſtri temporis. Ubi caſus tulit, ut Pater Deſirant ſeniorem Tourteau providè examinaret circa facta filii ſui, propter cauſas tamen tacendo, quòd facta ejuſdem filii eſſent; exclamant plenis faucibus, nimis enormiter peccatum fuiſſe, quia ſi parens id ſciviſſet, *facilè filium ſuum monuiſſet, & à ſcelere retrahere ſtuduiſſet.* Ubi verò caſus tulit, ut P. Deſirant mutatis circumſtantiis eumdem de omnibus certiorem redderet, & poſteà conquereretur, quòd idem ſenior Tourteau ſiluerit, nec filium monuerit, nec à ſcelere retrahere ſtuduerit; tunc inſtar Organiſtarum extrahunt aliud Regiſtrum, ùt vocant, & dicunt? *Quis cum ratione à Patre exigere poteſt, ut filii ſui nequitias prodat?* Dicam ergo vobis cùm neſciatis. Veritas hoc exigere poteſt, & exigit ab omnibus, quibus ipſa non eſt inviſa, ſicut oculis ægris odioſa eſt lux, puris eſt amabilis. Addam

Digitized by Google

etiam, quòd rurſùs ex propriis verbis veſtris convicti ſitis, vos aliquando docere, quòd parens occulta filii crimina teneatur impedire, atque proſpicere, ut illorum ſiſtatur effectus; aliquando autem ſuſtinere, quòd parens ex utilitate filii nullatenùs ad hoc teneatur. Atque ita tam ex hoc caſu, quàm ex quinquagenis aliis totâ Concluſione finali diſperſis datur intelligi quò uſque nova illa Theologia defecerit, quantam inconſtantiam ſuſceperit, in eadem cauſa docendo contradictoria, & nunc affirmativam, nunc negativam practicando pro rerum opportunitate.

60. Impertinens eſt quòd citato articulo 529. de expoliatione domûs curſoriæ ſubditur: nondum enim Petrus ullam retulerat, nec ulla facta fuerat ante 16. Februarii, quando ex Rectoris Magnifici ordinatione, prout conſtanter aſſeruit, intercepit litteras Henrici Graſper, de quibus infrà.

61. Occaſione hujus ſenioris Tourteau reſpondebimus ad aliam cavillationem, quam obtrudunt ab articulo 500. uſque ad 514. Aſſerunt (verumtamen more ſuo) *die 18. Martii deponit Nicolaus Tourteau Pater Petri, quòd cùm circa 12. & 13. ejuſdem ferret aliqua ſcripta, vel correcta ad filium ſuum exiſtentem apud Carmelitas, Reus* [id eſt *Pater Deſirant*] *ipſi dixerit expreſsè, quòd illa minuta deberent lacerari & comburi, ubi in nitidum eſſent conſcripta.*

62. Obſcura ſunt iſta. Minutæ ferebantur per ſeniorem, debebant comburi, & poterant in nitidum deſcribi. Si poterant in nitidum deſcribi, ergo non judicabantur eſſe malæ. Atque ſi non judicabantur eſſe malæ, tunc igitur minutæ non debebant comburi. Debet hìc aliud latêre.

63. Fuerunt minutæ, non quas Pater Deſirant compoſuerat, ſed quas ipſe Pater contexuerat cum ſuo filio ad excuſandas excuſationes in peccatis. Minutas haſce meritò comburendas dixit Pater Deſirant, nè Pater dum volebat filium extricare ab interceptione litterarum Henrici Graſper apud Curſorem facta, ipſe ſe ex nimio in filium affectu intricaret.

64. Benè habet quòd P. Deſirant tunc non fuerit ſolus, ſed præſentem habuerit R. Patrem Franciſcum d'Herbe, qui in judicio depoſuit ſequentia ad art. 274. ſcedæ contrariorum factorum. *Quòd dum Petrus exiſtebat apud Carmelitas, ſenior Tourteau iterùm venerit pro conſilio.* Ad art. 275. *Quòd Eximius Pater reſponderit non eſſe aliud conſilium, quàm ut filius ejus dicat veritatem.* Ad art. 276. *Quòd Eximius Pater tunc aliqua ſeniori Tourteau dictaverit, & in fine dixerit ſe illa audiviſſe ex ore dicti filii, qui debebat ſcire, an dixerit veritatem.* Hæc eſt vera hiſtoria, in qua nihil prorsùs continetur contra bonam fidem Patris Deſirant, ſed èccontra confirmabat hoc ſtudioſam ejus voluntatem detegendi veritatem.

Digitized by Google

65. Minuta verò quam Pater Deſirant ſuaſiſſet comburi, meritò fuiſſet comburenda, & caſtigandi Authores. Non eſt tamen combuſta. Vidit eam P. Deſirant in actis, atque oſtendit D. Henrico Malcorps, & de illa dixit in ſua uberiori reſponſione art. 450. *Poteſt etiam eſſe, quod idem Pater ſivè ſenior Tourteau exhibuerit Patri Deſirant quamdam minutam ſcriptam manu filii ſui, cum quibuſdam marginalibus ſcriptis manu Patris,* RELATIO AD PATREM GRAUWELS, RELATIO AD EXIMIUM PATREM DESIRANT. *Si opponens rectè meminit, dictus ſenior Tourteau erat anxius de interceptione litterarum per filium facta. Atque ſi rectè meminit, in iſta minuta habebatur, quòd aliqui Prælati ſuo mandato concurriſſent ad dictam interceptionem; id quod opponens ſciebat, & ſcit eſſe falſiſſimum, & ſimilem excuſationem omninò repellendam.* Hæc ibi. Nihil Adverſarii fuerunt auſi ad hæc & illa quæ Pater d'Herbe depoſuit, reſpondere, quia ſunt veriſſima. Cùm ergo P. Deſirant videret quòd ipſe ſenior manu ſuâ ad marginem ſupradictæ minutæ poſuiſſet has voces, *Relatio ad Patrem Grauwels, Relatio ad Eximium P. Deſirant*; in eum finem, ut tam à Patre Grauwels, quàm à Patre Deſirant obtineret neſcio quam atteſtationem; P. Deſirant monuit eum, quòd non tantùm falſa forent, quæ in minuta referebantur, verùm etiam, ſi inveniretur talis minuta cum dictis marginalibus ejus manu ſcriptis, quòd poſſet ſibi moleſtias creare. Cùmque ſenior reſponderet ſe id bonâ fide ſcripſiſſe ex ſuggeſtione filii ſui; meritò P. Deſirant ſuaſiſſet, ut talem minutam combureret; quid mali in eo?

66. Cùm egerimus de combuſtione, oportet verbo reſpondere ad articulos 531. uſque ad 542. ubi agunt de litteris, quæ recenſentur in acta quam Petrus pro majori parte dictavit Notario van Dormael die 27. Januarii 1707. Objiciunt art. 535. quòd Pater Deſirant interrogatus quid fecerit de reliquis, reſpondiſſet *quod ſervavit ad tempus opportunum, & poſt detectam fallaciam, perfidiam & perjurium junioris Tourteau, tamquàm fictas combuſſit, aut comburi fecit.*

67. Supponamus quòd Pater Deſirant illud die 2. vel 4. Maii reſpondiſſet; hinc nihil contra ipſum: quando enim audiverat quòd Petrus ſeipſum perjurum diceret, & de omnibus accuſaret, meritò cogitavit quòd non eſſet in homine veritas, nondumque penetraverat colluſionem, per quam Petrus inductus fuerat accuſare ſeipſum.

68. Inſtant art. 536. quòd Pater Deſirant conſervaverit, & in judicio conſignaverit Epiſtolam de 20. Septembris ſignatam Z. B. V. E. inſcriptam R. P. Emmanueli Ballexo, & idcirco ibidem rauco ſtomacho excreant ſequentem ſingultum: *Splendidum rursùs & enorme mendacium!*

69. Inde diſcimus, quo loco apud Adverſarios ſtet bona fides. Legantur

Digitized by Google

tur acta: invenietur quòd P. Deſirant reſponderit ſe combuſſiſſe, vel curaſſe comburi plurima, quæ ipſi de iſtis materiis erant ad manum; verumtamen cùm nollet veritatem ullâ falſitate incruſtare, quòd peteret tempus aliquot horarum, promitteretque conſignare quidquid forſan adhuc reperiret. Quæſitum fuit, & ſola reſtans præfata Epiſtola de 20. Septembris fuit inventa & conſignata. Nec mirum, quòd hæc tamquàm monachalia tractans fuiſſet repoſita inter chartas diſtinctas ab iis, in quibus agebatur de famoſo Formulario & Libro Congregationum, & quòd ideo cum reliquis deſtructa non fuiſſet, prout ſolemus deſtruere chartas inutiles. Profectò ſi Pater Deſirant voluiſſet aliquas celare, celaſſet etiam illam, & tam benè potuiſſet dicere, omnes combuſtas eſſe, nullâ exceptâ, quàm unicam producere, & ſolas reliquas combuſtas dicere.

70. Tandem ſeipſos jugulant art. 507. *Item ſimiliter detecta erat falſitas hujus acta ſive declarationis, quâ junior Tourteau declaraverat has fictas Epiſtolas à ſe ſcriptas fuiſſe, ſub dictamine D. van Eſpen, & tamen nec dictam Epiſtolam, nec actam Reus, poſt detectam fallaciam combuſſit, aut comburi fecit, ſed utramque ſervavit & conſignavit.*

71. Fatentur ergo hanc conſignationem per Patrem Deſirant factam fuiſſe. Subtilizent nunc ùt volent, & ullam præſumptionis ſpeciem extundant, quâ perſuadeant Viris probis, quòd ſi P. Deſirant voluiſſet abſcondere aliquas, non abſcondiſſet etiam illas, cùm omnes eſſent in ejus poteſtate.

72. De unica illa Epiſtola dictum eſt ad nauſeam. De acta hac addendum, quòd malè vocetur ficta. Ficta non fuit, de qua nunc confitentur, quòd *in ea junior Tourteau declaraverit.* Nec debuit Pater Deſirant illam habere ùt fictam, quippe qui audiverat Petrum dictantem, & viderat ſignantem, ſubſcribente Notario *van Dormael*, prout legenti patet. Neque Petrus in hac acta declaravit ſe ſcripſiſſe *litteras fictas*, quemadmodum hic litteris curſivis exprimunt, ſed prout tunc dicebat, veras.

73. Adverſarii in novam contradictionem labuntur art. 543., ubi objiciunt quòd comburere non debuerit, niſi conſultâ Faculate, quandoquidem aſſerat illas ad ſe latas, tamquàm membrum ſacræ Facultatis.

74. Sed jam reſponſum eſt ſatis alio loco, quòd nullum membrum Facultatis teneatur Facultati referre inſtrumenta ficta, ſed vera, & quæ habentur ùt *certa.* Verba enim Statutorum ſunt: *Promittes quòd alios Facultatis Subjectos, quos* CERTÒ *prohibita vel ſuſpecta doctrina Reos noveris, intra unum menſem Decano, vel Facultati deferes.*

75. Cùm verò Pater Deſirant audiviſſet quòd Petrus non tantùm revocaſſet depoſitionem ſuam juratam, ſed etiam ſeipſum accuſaſſet; non

Digitized by Google

ſtatim incidit ipſi, quòd hæc fierent ex colluſione, ideoque ficta putavit. Nunc verò poſtquàm vidimus & diſcuſſimus Concluſionem finalem, & in illa deprehendimus confirmationes manifeſtas tam ſplendidarum colluſionum, tot tantasque falſationes textuum; contradictiones tam immenſas, principia tam horrendè laxa, quibus accuſatio Doctoris Catholici, & excuſatio Doctoris van Eſpen innititur; priuſquàm eas abſolutè fictas dicamus, debemus illos de hac re audire iterùm.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Confutatio decimi-quinti gravaminis : *quòd inter fraudulentos illos prætextus fuerit ipſum ſanctiſſimum Pœnitentiæ Sacramentum.*

1. HActenùs levia perpeſſi fuimus. Hactenùs in Adverſariis deteximus atque probavimus, quæ ſunt ipſis tantummodo communia. Cogimur nunc vel inviti aperire horrendiſſima, quæ ſuperant omnem exſpectationem, taliaque, tot & tanta, ut jam non ſatis ſit cum Poëta admirari,

Tantanè animis cœleſtibus ira?

Sed cum alio Poëta exclamare:

Suſtines tantum nefas,
Geſtare tellus!

2. Toti Belgio notum eſt, quænam Adverſariis ceu Rigoriſtis fuerint objecta ſæpiùs circa eorum doctrinas de ſigillo Sacramenti Pœnitentiæ, de dilatione Abſolutionis, & de operibus pœnalibus externis ante reconciliationem præmittendis. In præſenti Capite introducentur duo probiſſimi Confeſſarii, huic negotio, Sacramenti causâ immixti, Reverendi Patres Mathias Grauwels, Ordinis Patrum Minoritarum ſacræ Scripturæ Lector, & Leopoldus à Sta. Thereſia, Ordinis Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum, contra quorum poſteriorem Adverſarii conjunctis viribus articulos, quibus fidem ejus frangerent, quæſiverunt, nullum invenerunt, nullumque vel per umbram aut ſpeciem in judicio allegare auſi ſunt.

3. Diſtinctionis gratiâ procedemus per Paragraphos.

Digitized by Google

§. I.
De Confeſſario R. P. van Ranſt.

4. PRobus Vir Confeſſarius R. P. van Ranſt, Ordinis RR. Patrum Minoritarum Sti. Franciſci nuſquàm comparuit, niſi nominetenùs. Cùm etenim Petrus in menſe Octobris 1706. incœpiſſet de hoc negotio loqui, dixerat ſe ab hoc Patre monitum fuiſſe, quòd juramentum de non revelando à Petro præſtitum non ſubſiſteret, & quòd deberet omnia detegere Superioribus, & in terminis *alicui de ſtricta Facultate Theologica.* Idem ſæpiùs repetiit, idque præcipuè die 10. Januarii, aſſerens ſe rursùs Confeſſario adfuiſſe, qui monuerat, ut in ſua revelatione pergeret. Idipſum Petrus inter alia declaravit ſcripto in acta ſua de 27. Januarii in verbis: *Se in conſcientia motum, prædicta declaraſſe Confeſſario ſuo cuidam Minoritæ, à quo monitus, quòd præfatum juramentum fuiſſet nullum & illicitum, tempeſtivè omnia revelavit alicui ex ſtricta Facultate Theologica, confidens ſe per hoc ſatisfeciſſe obligationi ſuæ, paratus omnia prædicta confirmare ſub juramento à Judice ſuo legitimo requiſitus.* Signatum erat. *Petrus Nicolaus Tourteau.* Et infrà habebatur, *me præſente H. I. van Dormael Not. Ap.*

5. Contorſiones, quas Adverſarii hac in re faciunt, ſunt mixtæ dogmatibus, ideoque cautè legendæ. Imprimis objiciunt art. 191. 192. & 193. quòd tempus fuerit nimis exiguum, quàm ut Petrus potuiſſet circa medium quartæ à Doctore van Eſpen exire, Epiſtolam intercipere, inde Confeſſarium accedere, ac demùm circa quadrantem ante quintam adfuiſſe Patri Deſirant.

6. Alibi verò oſtendimus, eam eſſe totius vitæ brevitatem, ut Petrus ſpatio unius quadrantis facillimè potuerit per opem famuli quocum ſe dicebat correſpondere, Epiſtolam obtinuiſſe, atque tuliſſe, & habuiſſe horam plenam, ut cum Confeſſario egiſſet.

7. Objiciunt articulo 193. *Nonnè Reus, ſi fictionis complex non fuiſſet, mox Petrum interrogaſſet, quarè Confeſſarius ipſe Epiſtolam non aperuiſſet? & contenta examinaſſet?*

8. Undènam verò ſciunt Adverſarii, an Pater Deſirant hæc & plura non interrogaverit? Et quomodo Adverſarii hoc audent petere? Ipſi qui art. 210. Patri Deſirant objiciunt: *Ponatur reverà Reum fundatè ſuſpicatum fuiſſe, quòd ſcelus horrendum in hac Epiſtola contineretur; an ipſi licebat propriâ & privatâ authoritate prætextu ſceleris detegendi, Epiſtolam alienam apud Curſorem publicum interceptam aperire?* Reſpondeant ipſimet. Licuiſſetnè Confeſſario id facere? Si Confeſſario licuiſſet, quarè non licuiſſet ſeniori Re-

Digitized by Google

genti? Vel ſi neutri licuiſſet, ùt quid culpant Patrem Deſirant, quòd non interrogaſſet, *quarè Confeſſarius ipſe Epiſtolam non aperuiſſet, & contenta examinaſſet?* Ita Adverſarii ſemetipſos volvunt & revolvunt, & inter continuos contradictionum fluxus atque refluxus æſtuant & convolvuntur. Licèt autem Epiſtola non fuerit apud Curſorem intercepta, non erat tamen Confeſſarii aperire, utpotè cujus eſt ſolam confitentis conſcientiam dirigere, illique injungere, ut inſtrumentum conſpirationis, cujus ſe fatetur fuiſſe complicem dum ſcripſit, ſic detegat, ut Superiores habeant, undè pravos effectus impediant. Hæc eſt doctrina Catholicorum.

9 Objiciunt inſuper art. 195. *Quid igitur naturalius, magiſque obvium, quàm ut Reus, ſi veritatem negotii ſcire voluiſſet, petiviſſet à Petro ut liceret ſibi cum ipſo Confeſſario, de hoc tanti momenti negotio agere, & omnia ſeriò diſcutere?* Res deridicula! Poteratnè Confeſſarius de hac re, alia ſcire quàm Petrus?

10. Et quidem vos culpaſtis Patrem Deſirant, quòd hæc omnia fecerit cum R. P. Mathia Grauwels; quânam igitur fronte nunc tamquàm maximè naturale & obvium objicitis, quòd Pater Deſirant debuiſſet cum Confeſſario egiſſe? Non debebat autem petere, ut cum Confeſſario ageret; quia Dogma Catholicum eſt, quòd pœnitens relinquatur in ſua cum Confeſſario libertate, in iis, quæ ad conſcientiam pertinent, & prudentia dictabat, quòd in omnem eventum nihil potuiſſet à Confeſſario de his rebus intelligi, niſi quod Petrus ei dixiſſet, atque jam nunc ſeniori Regenti revelaverat. Poterat autem Pater Deſirant cum Patre Grauwels agere, quia hic ſponte ſuâ venerat ad Patrem Deſirant, liberâque & voluntariâ Petri tamquàm pœnitentis licentiâ munitus erat.

11. Objiciunt denique art. 199. *Imò quòd Confeſſarius Minorita Petrum ad Reum potiùs quàm ad Lectores ſui Ordinis miſiſſet, ſuſpectum debueras facere negotium ipſi Reo, ſi neſciſſet ſe huic Confeſſario ſpecialiter notum.*

12. Atqui vos ipſi confitemini, quòd R. P. Grauwels, qui unus ex iſtis Lectoribus erat, venerit ad Patrem Deſirant; quarè ergo Pater Deſirant debuiſſet ſuſpicari, quòd Confeſſarius potiùs miſiſſet Petrum ad aliquem Lectorem ſui Ordinis, quàm ad Patrem Deſirant? Diſparitas erat, quòd nullus ex iſto Ordine huic rei immixtus eſſet; proindeque nihil erat naturalius, magiſque obvium, quàm ut Petrus mitteretur ad aliquem de ſtricta Facultate, quæ ex officio ſimilibus invigilabat. Necumquàm Petrus dixerat, nec Pater Deſirant declaravit, quòd Confeſſarius miſiſſet Petrum determinatè ad Patrem Deſirant, ſed prout acta Petri de 27. Februarii loquitur indeterminatè, *alicui ex ſtricta Facultate.* Quibus mediantibus jacent articuli 191. uſque ad 199. Et corruit articulus 460. *Ne-*

Digitized by Google

que in acta Notariali de menſe Januario per Reum reclamata dicit Petrus ſe hoc pacquetum tuliſſe ad Reum (id eſt Patrem Deſirant) *ex ordinatione Confeſſarii ſui , ſed id aſſerit dumtaxat de Epiſtola de* 10. *Januarii ad Paſtorem Stæ. Catharinæ Bruxellis.* Legatur enim acta Non tantùm Petrus ibi loquitur de iſta Epiſtola , verùm etiam *de Libro Reſolutionum.* Et addit , quod PRÆDICTA *declaraverit Confeſſario ſuo cuidam Minoritæ, à quo monitus tempeſtivè, omnia indicavit alicui de ſtricta Facultate.* Omnia qui dicit, nihil excipit.

§. II.

De Confeſſario R. P. Mathia Grauwels , *ejuſdem Ordinis ſacræ Scripturæ Lectore.*

13. Reverendus Pater Mathias Grauwels ex prævio inſtinctu Doctoris Daemen ad Patrem Deſirant venit die 15. Februarii , quæ erat dies Martis hebdomadæ ſecundæ Jubilæi, referens verbotenùs ea , quæ poſteà ſcripto dedit, & juratus recognovit ad articulum 65. ſcedulæ contrariorum factorum, cujus copia extat ſub numero 15. in annexis ad uberiorem reſponſionem. Quoſnam præciſè diſcurſus Pater Grauwels cum Doctore Daemen habuerit, non eſt hujus loci. Breviter narrandum, quòd P. Grauwels aſſerat ſe hunc Doctorem acceſſiſſe ex propria ſua determinatione. Nota, Lector, hunc Doctorem eſſe præciſè illum , qui cum Vicario Generali adfuerat Patri Deſirant circa 11. ejuſdem menſis, prout ſuprà dictum fuit.

14. Pater Grauwels ad Patrem Deſirant veniens cum magna circumſpectione, rogavit an aliquid audiviſſet vel ſciret de aliquo Libro Reſolutionum: P. Deſirant reſpondit affirmativè: & vice verſâ interrogavit undènam ipſe P. Grauwels id ſciret. Hic prudenter reſpondit ſe nominaturum perſonam, ſi & quando hæc nominandi daret licentiam. Ad hoc P. Deſirant dixit, quòd deberet procul dubio licentiam habere, quandoquidem de iſto Libro Reſolutionum verba faceret. P. Grauwels reſpondit ſe habere licentiam agendi de ipſo Libro. P. Deſirant juſſit faſciculum quæri, quem Petrus die 27. Januarii attulerat. Faſciculo huic P. Deſirant curaverat ſuperinduci novum involucrum folii chartæ clauſum, & hoc aperto oſtendit Patri Grauwels contentam copiam Libri Reſolutionum: quâ viſâ, dictus Pater reſpondit latum ſibi fuiſſe ſimilem. Et cœperunt de materia loqui, donec ipſe Petrus adveniret, qui cùm vidiſſet Socium Patris Grauwels, petivit intrare, & intromiſſus, ſponte ac liberè declaravit, ſe conſentire ut Pater Grauwels de triſti ſuo caſu, quem dolenter repetebat, ageret, dummodo ſic celaretur nomen ſuum, ut quam-

Digitized by Google

quàm ſe paratum diceret coram Judice requiſitum declarare veritatem; Janſeniſtæ tamen probare non poſſent illum, rem prodidiſſe; & perſiſtebat ſe timere propter litteras minatorias, quas pluries acceperat, & quia ſemel in via percuſſus fuiſſet. Fuerunt ei hæc omnia ab utroque promiſſa propter reverentiam Confeſſionis ſacramentalis quam fecerat, & de qua ſatis conſtabat.

15. Tunc P. Deſirant perrexit rem funditùs diſcutere. Petivit à Patre Grauwels an Petrus ei hæc confeſſus fuiſſet ab aliquot menſibus? Reſpondit P. Grauwels, *quòd deberet deſuper recolligere memoriam.* Petrus verò affirmabat & perſiſtebat. Tunc Pater Deſirant Petro objecit, quòd Confeſſarium ſuum jam inde ab aliquot menſibus ſemper appellaſſet Patrem van Ranſt. Petrus reſpondit, ſe bonâ fide putaſſe quòd ſic appellaretur, eò quòd verus Pater van Ranſt haberet Confeſſionale vicinum. Interpoſuit Pater Grauwels id eſſe verum; & hinc poſſe fieri, ut nomen unius acciperetur pro altero. Pater Deſirant iſta combinabat inter ſe, ſibique firmiter perſuadebat, quòd Petrus fuiſſet pluries confeſſus, & quòd attuliſſet omnia ex anterioribus inſtructionibus, quas in præcedentibus ſuis Confeſſionibus acceperat, juxta illius actam de die 27. Januarii, necnon quòd P. Grauwels ad Patrem Deſirant veniſſet occaſione ultimæ Confeſſionis quam Petrus eidem tempore currentis Jubilæi fecerat. Quando Petrus Patri Deſirant locutus fuerat de præfatis prioribus ſuis Confeſſionibus, nihil tunc de minis & litteris minatoriis dixerat, quia hæ ſupervenerant poſt dictam 27. Januarii. In ultima verò ſua Confeſſione tempore Jubilæi facta, etiam de minis egerat. Poſt ulteriora examina cum Patre Grauwels habita, Pater Deſirant opinabatur quòd litteræ minatoriæ tantummodo ſcriptæ fuiſſent ad injiciendum terrorem, idque ut recuperarent faſciculum ſuum, juxta earumdem minatoriarum de 14. Februarii ejuſdem tenorem: *Non dimittetur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Quarè ut Petrus poneretur in tuto, & liberaretur à ſuo timore, cogitavit de modo quo reſtitutio tentaretur facienda ſecretò, & res tota relinqueretur eventui, quem habitura eſſet reproductio Originalis Epiſtolæ de 10. Januarii, quam Facultas ſacra valdè acriter urgebat. Notandum quòd illâ die decimâ quintâ Februarii nihil planè de Patre Leopoldo, quippè qui Patrem Deſirant tantummodo acceſſit die ſequenti, actum fuerit. Unanimiter tamen reſolutum, relinquendum moderationi Patris Deſirant, ut in hoc negotio faceret, prout judicaret convenire, dummodo ſileretur nomen Petri, intuitu Sacramenti.

16. Die ſubſequenti, id eſt 16. Februarii Pater Leopoldus ad Patrem Deſirant venit ex alia occaſione, & tunc Pater Deſirant egit cum illo,

Digitized by Google

prout infrà dicetur: nomen tamen Petri non indicavit ei. Et poſteà Patrem Grauwels informavit, qui cum Libri copia quam habebat, Patrem Leopoldum convênit, illiqùe oſtendit, & ſe primarium illum Confeſſarium eſſe declaravit, ut P. Leopoldus magis certioraretur, quòd notitia, quam de hac re à Patre Deſirant acceperat, verè originem traxiſſet ex ſecreto ſigilli. Hæc ſtatim probabuntur cum antedictis.

17. Quòd autem P. Deſirant præcisè illâ die 16. Februarii, uſus fuerit occaſione quæ ſe offerebat, Patris Leopoldi, præcipuum motivum venit ex ultima Epiſtola ſignata Z. B. V. E. quam Petrus illâ die 16. manè ante Patris Leopoldi adventum attulerat. Data fuerat die præcedenti, nimirùm 15. Februarii. Adverſarii eam cum reliquis impreſserunt retro Concluſionem finalem. Incipit: *Cordiali ſalute præviâ* Inter alia hæc habentur. *Amanuenſis noſter dimittetur liber, eumque lenire conabimur.* Et infrà: *Famulus meus fermè ſeductus fuit, ſed fruſtrà.*

18. Erat moraliter impoſſibile, ut Patri Deſirant incidiſset ſuſpicio, quòd Petrus, qui pridie certò ſacramentaliter confeſsus fuerat, & dixerat ſe ſumpſiſse ſacram Synaxim ad lucrandum Jubilæum, ullam habuiſset cogitationem fallendi.

19. Præfata Epiſtolæ verba, *famulus meus fermè ſeductus fuit*, erant ipſi ſatis intelligibilia; ſciebat enim ſe per Petrum fuiſse conatum famulo loqui. Et Adverſarii hoc fatentur. Alia ejuſdem Epiſtolæ verba movebant: *Amanuenſis noſter dimittetur liber, eumque lenire conabimur.*

20. Hæc vera cauſa, cur illâ die 16. Februarii ad Doctorem van Eſpen ex ſincera intentione miſsus fuerit R. P. Leopoldus, de quo §. ſequenti. Priùs enim quæ de Patre Grauwels dicta ſunt, probare convenit.

21. Inprimis loco ſuperiùs citato ſub littera A, reproducitur acta quâ Petrus Nicolaus declarat: *Ductus pœnitentiâ, motu proprio, & nullatenùs ad hoc coactus, declaro me Venerabili Patri Mathia Grauwels .... Confeſſario meo dediſſe, prout & hocce ſcripto do licentiam, ut omnia, quæ eidem intra & extra Confeſſionem ſacramentalem concernentia factiones, defenſionesque Hæreſis Janſenianæ in aliquot Congregationibus clancularìis nuper Lovanii habitis renovatas, reverà prout ſunt, declaravi, poſſit liberè revelare parti Romano-Catholicæ Lovanienſi, ejusque Superioribus in ſpiritualibus ad procurandum remedium.* Hactenùs Petrus. Fuerat hæc licentia oretenùs data die 15. Februarii: ſcripto verò renovata die 4. Martii, prout ex ejus tenore patet.

22. Ipſe verò P. Grauwels ſimiliter die 15. Februarii oretenùs, & 4. Martii ſcripto declaravit ſequentia: *Se, dum præfatus Petrus Nicolaus Tourteau, conſcientiæ ſuæ ſtimulis agitatus declarabat ſe juramento ligatum eſſe, nihil eorum, quæ ſcriberet aut videret revelandi, reſolviſſe eundem Petrum Nicolaum*

Digitized by Google

Tourteau hoc ſuo juramento minimè ligari. Secundò, obligaſſe eundem Petrum Nicolaum Tourteau, ut omnia quæcumque ſciret concernentia factiones Janſeniſticas, in dictis Congregationibus formatas, cum reſolutionibus & effectibus inde ſecutis, Superioribus, ſivè iis, quorum intereſt, revelaret, traderetque. Tertiò, ſe Petrum pluries examinaſſe, & ut non niſi ſinceram in hoc negotio veritatem declararet, ſub diſtricto Dei judicio monuiſſe. Poſteà ſe omnia hæc communicaſſe Eximio Patri Deſirant ſacræ Theologiæ Doctori, & ſtrictæ Facultatis Theologicæ Regenti ſeniori, aliisque de parte Romano-Catholica. Item inter alia exhibuiſſe ſcriptum quoddam, cui titulus Liber Reſolutionum, circa quem Librum, aliaque ſcripta eò concernentia, & dicto Libro conformia, ſpeciatim contuliſſe cum præfato Eximio Patre ad detegendam veritatem, & inſtituendam denuntiationem legitimam pro Eccleſiæ Belgicæ tranquillitate. Hactenùs Pater Grauwels ibidem. Notandum quòd non 15. Februarii, ſed poſteà de denuntiatione actum fuerit, nempè poſt acceptas litteras Henrici Graſper.

23. Et hæc omnia poſtmodum iterùm confirmavit Petrus Nicolaus Tourteau die 12. Martii apud Carmelitas Calceatos exiſtens, in verbis: *Fateor & atteſtor me præfata ita revelaſſe, ſicut præfatus Mathias Grauvvels ſuperiùs atteſtatur.* Quod factum eſt, *inſcio Patre Deſirant*, qui hanc ſcedam, licèt illâ die datam, non niſi aliquot ſeptimanis poſteà intellexit datam fuiſſe, & à Patre Grauwels accepit. Verba depoſitionis dicti P. Grauwels deſuper ad articulum 65. ſchedæ contrariorum factorum ſunt: *Quòd Petrus Nicolaus deponenti tradiderit declarationem 12. Martii, inſcio Eximio Patre Deſirant.* Hæc declaratio annexa eſt uberiori reſponſioni ſub numero 15.

24. Non erat tamen P. Deſirant ſupradictâ Patris Grauwels verbali relatione contentus propter dubia ſequentia, quæ ſtatim dicto Patri propoſuit juxta articulum 60. & 61. ſchedæ contrariorum factorum, quòd nimirùm *Petrus anteà Confeſſarium ſuum Minoritam appellaverat Patrem van Ranſt.*

25. Quarè Petrus fuit eâdem die 15. Februarii interrogatus: & prout P. Grauwels juratus depoſuit ad articulum 61.: *Dixit Petrus Tourteau, ſe putaſſe quòd R. P. deponens appellaretur van Ranſt, eò quòd hi duo habeant vicina Confeſſionalia.*

26. Neque hoc plenè ſatisfaciebat Patri Deſirant, quia Petrus de ſuo Confeſſario mentionem fecerat à duobus & ampliùs menſibus. Quarè P. Deſirant bonâ fide, nec minori diligentiâ propoſuit Patri Grauwels contenta articuli 62. & 63. nimirùm *an Petrus ei confeſſus fuerat à duobus & ampliùs menſibus?*

27. Pater Grauwels autem ad præfatos articulos 62. & 63. reſpondit: *Quòd Eximius Pater Deſirant petierit à Patre deponente, an Petrus Tourteau ei*

anteà

Digitized by Google

anteà confeſſus fuerat : deſuper verò Pater reſpondit ut in articulo 63., nimirùm *ſe debere recolligere memoriam.* Quibus mediantibus ceſſabant illa Patris Deſirant dubia.

28. Relata cum docto & maximè ſincero Patre Mathia Grauwels conſilia fuerunt habita die 15. Februarii, id eſt, tribus diebus poſt diſceſſum Ampliſſimi D. Vicarii Generalis, qui varia objecerat. Dicta conſilia redegimus in compendium ; fuerunt autem ſatis longa atque matura. Æquivoca reſponſio, quam Doctor van Eſpen die præcedenti, ſivè 14. Februarii dederat ſeniori Tourteau, *filius tuus, filius tuus, ego timeo, ego timeo*, & gemitus, quem hoc dicendo effuderat, incœperat mutare ſyſtema. Cùmque aliundè ſciretur quòd memoratus Pater Grauwels nullatenùs adhæreret Janſeniſtis, ſed paſſim haberetur & eſſet vir timoratæ conſcientiæ, id non parvum pondus adjecit, prout ipſe Doctor Daemen, qui circa præfatam diem 11. unà cum D. Vicario venerat, ad art. 88. ſchedæ contrariorum factorum in judicio juratus depoſuit, *ſe judicaſſe aliquando Epiſtolas non eſſe fictas, eò quòd aſſereretur, quòd venirent ex via Sacramenti Pœnitentiæ, & ex conſilio Confeſſarii fuiſſent communicatæ.* Nam Confeſſarius Grauwels primò venerat ad hunc Doctorem, neque veroſimiliter veniſſet ad Patrem Deſirant, cui anteà nunquàm locutus fuerat, niſi hic Doctor id ei ſuaſiſſet, prout conſtat ex actis.

29. Adverſarii objiciunt quòd Petrus [ſed nempè poſt variationes] declaraverit ſe à Patre Deſirant ad hunc Patrem Grauwels miſſum fuiſſe, ut eum induceret ad accedendum Patrem Deſirant. Atque ita Patrem Deſirant eſſe authorem hujus ſacrilegæ Confeſſionis, ut Confeſſario nihil mali ſuſpicante, uteretur veluti fictionum ſuarum defenſore.

30. Poſtquàm Adverſarios pleniùs cognovimus, non magis admiramur, quòd ad tam horrendam criminationem proceſſerint, quàm certum eſt, quòd Petrum jam tandem ſibi obnoxium ad hanc fictionem induxerint. Et quod magis eſt, fuerunt Adverſarii præ incondita accuſandi libidine tantoperè excæcati, ut ipſimet in hac Concluſione ſua finali confiteantur ſe ſciviſſe quòd Pater Deſirant Petrum non miſerit, imò ſe ſciviſſe quòd Petrus Patri Grauwels de Patre Deſirant nè locutus fuerit quidem, dum ipſi illâ die 15. Februarii confeſſus fuerit. Hoc ſtupendum, ſi aliquid.

31. Petrus in reſponſione perſonali, quam poſt retractationem juratæ ſuæ depoſitionis contra Doctorem van Eſpen tam ſolemniter promulgatæ, in judicio fecerat, ſimpliciter dixerat, prout Adverſarii confitentur in *Deductionis* articulo 16. quòd duas Epiſtolas, quibus duæ Libri Reſolutionum copiæ incluſæ fuerant, *tulit ad Eximium Patrem Deſirant, ſub prætextu quòd illas intercepiſſet reſpectivè apud Curſorem, & in ædibus Clariſſimi D.*

Digitized by Google

van Eſpen. Et ibidem art. 21. *De cætero tulit Reus ad R. Patrem Grauvvels Minoritam ,Originalem ſivè minutam ſictarum reſolutionum prædictarum , tempore ultimi Jubilai , dixitque ei , ſe eundem Librum ſurripuiſſe à dicto Clariſſimo D. van Eſpen. Impoſuit eidem Patri , ac ſi dictus D. van Eſpen ab ipſo Reo bis juramentum exegiſſet , de non revelandis iis , quæ ſub dictamine ſcripſiſſet in materia Propoſitionum Janſenianarum , Formularium &c.* Hìc nihil de P. Deſirant, niſi quòd Petrus tulerit ad ipſum, ſicut ad Patrem Grauwels. Econtrà Petrus hîc loquitur de factis tanquàm ſuis , à ſe, ex propria determinatione perpetratis.

32. Articulo verò 51. uſque ad art. 164. inducunt Petrum variantem, & quaſi ulteriora declarantem , ſic tamen ut poſteriora prioribus manifeſtè contradicant & deſtruant, ex quo ſolo debuiſſent Petrum rejicere, niſi hujus variationis authores fuiſſent.

33. Verba articuli 151. ſunt : *Poſt hæc prædictus Eximius Pater non contentus ſolummodo opere Rei*, id eſt , Petri , *præterea ipſum ſæpiùs rogavit , ut & impenderet ſuum Confeſſarium Patrem Grauvvels Minoritam , ut & ei omnia referret , quæ Reo ſuggeſſerat eſſe dicenda de Janſeniana factione.*

34. Quòd Adverſarii ſciverint hæc eſſe falſa , patet, quia plus quàm decies objiciunt, quòd Petrus numquàm Patri Grauwels anteà confeſſus fuerat ; quomodo ergo potuiſſet P. Deſirant eum monuiſſe ut accederet *ſuum Confeſſarium Patrem Grauvvels?* Petrus Confeſſarium ſuum appellaverat Patrem van Ranſt, prout ſuprà oſtendimus. Debuiſſet ergo Pater Deſirant monuiſſe ut accederet *ſuum Confeſſarium Patrem van Ranſt.* Ad hæc, Petrus jam inde in actis ſuis de 27. Januarii , de Confeſſario ſuo Minorita declarationem dederat, prout ſuprà oſtenſum eſt. Quomodo ergo P. Deſirant jam primùm tempore Jubilæi , quod tantummodo inchoatum fuit ſextâ Februarii , monuiſſet Petrum, ut ſuum Confeſſarium accederet?

35. Proſequuntur art. 152. *Idque in illum finem , ut poſteà prædictus Pater Grauvvels potuiſſet dare declarationem iſtorum dictorum ad fictum illud factum confirmandum.* Hæc ſunt ſatis ſpecifica , ſed æquè falſa, ùt ſtatim videbimus.

36. Articulum 153. litteris curſivis exprimunt , quaſi Petrus , quem alibi tenuiſſimi talenti faciunt, polluiſſet memoriâ tam ſtupendâ, ut præcisè retinuiſſet Patris Deſirant verba formalia : ET HOC MODO, *aiebat Eximius Pater*, ET ALIIS MEDIIS FACILE' POTERO OBTINERE PRÆFATAS LITTERAS REQUISITORIALES. Neſcio, quid per litteras requiſitoriales intelligant. Nullæ etenim à Patre Deſirant petebantur. Neque poſt diſceſſum D. Vicarii Generalis potuiſſent ſperari,

Digitized by Google

etiamſi petitæ fuiſſent, prout ipſimet Adverſarii confitentur. Eſtque falſum, quod dicitur art. 170. *illas requiſitoriales fuiſſe* POSTMODUM *miſſas D. Plebano*. Iterùm ſibi contradicunt.

37. Audiamus illos totos. Art. 154. ſubjiciunt. *Idcirco ſuadebat ipſi Reo, ut ferret originalem Librum Reſolutionum dicto Patri Grauvvels, dicens* [& ſequentia rursùs exprimunt litteris curſivis, ac ſi continerent verba formalia Patris Deſirant] TRADAS HUNC LIBRUM ORIGINALEM, QUASI COPIAM CONFESSARIO TUO, QUI TUNC ME ACCEDET, ET TUNC IPSI CONSULAM, UT DENUNTIET.

38. Juxta horridum hoc ſyſtema Petrus à Patre Deſirant miſſus fuiſſet, & Patri Grauwels præfata omnia confeſſus fuiſſet, ut hic Confeſſarius Patrem Deſirant acceſſiſſet. Verba ſunt clara: Petrus enim narrat, quid fecerit, additque ſe iſta feciſſe ex inſtructione Patris Deſirant. Ex his ſuppoſitis Adverſarii putant ſe perſuadere poſſe, quòd Pater Grauwels venerit ad Patrem Deſirant, ex inſtructione quam Pater Deſirant dediſſet Petro.

39. Atqui Adverſarii in ſua Concluſione finali declarant ſe ſciviſſe contrarium, & luculento teſtimonio probant contrarium. Quidnam igitur cogitandum de ipſorum bona fide, quid de ſycophantiis reliquis, quas in tota dicta *Deductione* loco *Motivi* exercent, inducentes Petrum litteris curſivis loquentem, & recitantem integros diſcurſus formales, orationes & dialogos, quaſi totidem verbis ad Petrum per Patrem Deſirant habitos? Ab articulo 50. uſque ad articulum 108., recenſentur ſimilia verba per integros diſcurſus conſequenter, & univerſim reperiuntur lineæ ſexaginta ſex. Eſtnè humanitùs credibile, quòd juvenis ille, quem deſcribunt tam innocentem, ut inculpabiliter potuiſſet ad tanta crimina ſeduci, valuiſſet tot & tanta retinere memoriter? Nè vir doctiſſimus quidem. De tota factione Janſeniſtica, de illis Cohortibus, de Hollandis, de Gallis, de Carolo & Philippo Regibus, de Archiepiſcopo & Inter. Nuntio, de Religione & Statu, de rebus Romanis, de cavendo à fermento Phariſæorum, de Libris ſcriptis à Patre Deſirant & Doctore van Eſpen: de periculo totius Belgii, de plurium promotionibus. Papæ! quàm ſapiens factus eſt Petrus, ex quo apud Oratorios delituit!

40. Oſtendamus ergo nunc quòd Adverſarii ſciverint, atque probaverint hæc falſa eſſe. Articulo 466. Concluſionis finalis ſic loquuntur: *Pater Grauvvels in primo ſuo congreſſu cum Reo*, id eſt, *Patre Deſirant, circa* 15. *Februarii, quo die Petrus dictum Patrem Confeſſarium Confeſſionis causâ acceſſerat, quæſivit à Reo, an aliquid ſciret de Libro Reſolutionum? Reſpondit Reus affirmativè. Cùmque Reus dein quæreret à Patre Grauvvels, ex quo talem Librum haberet? Reſpondit dictus Pater Grauvvels, ſe perſonam nominaturum ei, quando*

Digitized by Google

licentiam ad hoc daret, ſcilicet Pœnitens; uti deponit dictus Pater in ſua depoſitione de 14. *Martii* 1707. Hactenùs Concluſio finalis.

41. Ex relatis verbis conſtat, quòd Petrus, qui hìc appellatur pœnitens, non requiſiverit ſuum Confeſſarium, ut de ſuis rebus loqueretur Patri Deſirant. Hoc Adverſarii ſciverunt, hoc confitentur, & inde concludunt art. 469. *Quâ igitur ſpecie ſub idem tempus poterat mittere Patrem Leopoldum ad Clariſſimum, ut ageret de reſtitutione pacqueti ſub ſigillo ſeu ſecreto Confeſſionis, tamquàm originem trahente ex Confeſſione Petri Tourteau facta dicto Patri?*

42. Jungantur nunc illa, quæ Petrus varians, ex caduca illorum inſtructione art. 154. *Deductionis* loco *Motivi* finxit. Verba ſuprà relata ſunt: merentur repeti: *Idcirco Pater Deſirant ſuadebat ipſi Reo, ut ferret originalem Librum Reſolutionum dicto Patri Grauvvels dicens: Tradas hunc Librum originalem tamquàm copiam Confeſſario tuo, qui tunc me accedet, & tunc ipſi conſulam, ut denuntiet.*

43. Nimirùm quando Adverſarii agunt de Patre Leopoldo, quem P. Deſirant die 16. Februarii miſit ad Doctorem van Eſpen, tunc omnia impendunt, ut probent, quòd Pater Grauwels nihil Patri Deſirant de pœnitente locutus fuiſſet. Plus audent. Articulo 454. dicunt in terminis: *Sed quandonam Petrus Tourteau dixerat Reo ſe confeſſum fuiſſe ſurreptionem hujus pacqueti, aut ſe licentiam dediſse Confeſſario ſuo agendi cum Reo de reſtitutione hujus pacqueti? Nuſquàm vel fingitur Petrus illud dixiſſe.*

44. Deſtruitis ergo veſtrum articulum 154. quem ex abundantia bis citavimus, in quo non tantùm inducitis Petrum fingentem, quòd Patri Grauwels id confeſſus fuiſſet, ſed etiam quòd P. Deſirant illum ad hanc Confeſſionem induxiſſet. Combinate iſta duo, ſive quòd non minùs erit difficile, albedinem atque nigredinem compingite in eodem ſubjecto; *Nuſquàm vel fingitur Petrus dixiſſe ſe confeſſum fuiſſe ſurreptionem hujus pacqueti, aut ſe licentiam dediſſe Confeſſario ſuo agendi cum Reo de reſtitutione hujus pacqueti*: Et nihilominùs *Petrus tulit ad R. P. Grauvvels Minoritam, Originalem, ſive minutam fictarum reſolutionum dictarum, tempore ultimi Jubilai, dixitque ei, ſe eundem Librum ſurripuiſse à Clariſſimo D. van Eſpen, & Pater Deſirant Petrum in hunc finem ad Patrem Grauvvels miſerat, ut Patrem Deſirant accederet, & Pater Grauvvels ideo Patrem Deſirant acceſſit.* Sic mentitur iniquitas ſibi. Impendite nunc exclamationes veſtras contra voſmetipſos, & agnoſcite, quòd citato articulo veſtro 466. multa ſuppreſſeritis, quæ Pater Deſirant feliciter detexit. Suppreſſiſtis, quòd Petrus tam ſincerè confeſſus fuerit, ut Pater Grauwels vir ſatis prudens ei crediderit. Suppreſſiſtis, quòd Petrus apud Patrem Grauwels de Patre Deſirant nihil dixerit. Suppreſ-

Digitized by Google

ſiſtis, quòd Pater Deſirant & Pater Grauwels numquàm anteà ſibi mutuò locuti fuerant. Suppreſſiſtis, quòd Petrus Patrem Grauwels acceſſerit, inſcio Patre Deſirant. Suppreſſiſtis, quòd Pater Grauwels ſponte ſuâ, & ſine ullius inductione Petro dederit ſana conſilia, de quibus uterque loquitur in ſuis reſpectivè actis de quarta Martii 1707. Suppreſſiſtis, quòd Petrus conſenſerit, ut Confeſſarius ageret apud Superiores. Suppreſſiſtis, quòd Pater Grauwels ſtatim acceſſerit Doctorem Daemen, & cœperit de negotio loqui. Suppreſſiſtis, quòd uterque id faſſus fuerit. Suppreſſiſtis, quòd Doctor Daemen Patri Grauwels ſuaſerit, ut accederet Patrem Deſirant.

45. Verum eſt quòd Pater Grauwels in primo congreſſu Patri Deſirant dixerit, *ſe perſonam nominaturum ei, quando licentiam ad hoc daret.* At verò Petrus illi hanc licentiam paulò poſt dedit eâdem die in præſentia Patris Deſirant. Et tunc Pater Deſirant Petrum præſente dicto Patre examinavit, & inter alia petiit id, quod habetur in ſcedula contrariorum factorum articulo. 60. *Quòd idem Petrus Tourteau eundem anteà nominaverat Patrem van Ranſt.* Pater Grauwels juratò depoſuit, *dixit Petrus Tourteau ſe putaſſe, quòd R. P. Deponens appellaretur van Ranſt, eò quòd hi duo habeant vicina Confeſſionalia.* Fuerunt autem hæc dicta & facta antequàm P. Deſirant egiſſet cum Patre Leopoldo, idque 15. Februarii poſt meridiem.

§. III.

De Confeſſario Patre Leopoldo à Sta. Thereſia, *Procuratore Ordinis PP. Carmelitarum Diſcalceatorum: qualiter die* 16. & 17. *Februarii iverit ad Doctorem* van Eſpen?

47. Reverendus Pater Leopoldus à Sta. Thereſia nullam habuit cauſam vel occaſionem accedendi Patrem Deſirant, niſi quòd tanquàm Socius comitaretur Germanum Fratrem ſuum, R. Patrem Sylvanum, ejuſdem Ordinis ſacræ Theologiæ Lectorem doctiſſimum. Hic Lector veniebat petitum ſubſcriptionem cujuſdam casûs, quam Pater Deſirant ei poſt maturam deliberationem eodem tempore dedit. Fuitque hæc aliquot diebus poſteà exhibita in quodam judicio, & etiamnum extat. Illic clarè expreſſus eſt dies decimus-ſextus Februarii. Ut proinde de die diſputandum non ſit. Poſt ſubſcriptionem factam, Pater Deſirant ex utroque quæſivit, an eſſent Confeſſarii? Et audito, quòd Pater Leopoldus Confeſſarius eſſet, rogavit, ut Frater ejus dignaretur nonnihil recedere, egitque ſolus cum ſolo. Sub prævio ſecreto naturali, tanquàm

Digitized by Google

ex ſacramentali Confeſſione proficiſcenti, aperuit caſum, celavit nomen Petri, quemadmodum promiſerat, deditque commiſſionem accedendi Doctorem van Eſpen.

48. Ut ante omnia prærequireret ſecretum naturale, tamquàm ex ſigillo ſacramentali originem ducens; ac tunc Doctori van Eſpen bono modo diceret aliquem pœnitentem occaſione præſentis Jubilæi, ſe in Confeſſione accuſaſſe, quòd ex illius ædibus ſurripuiſſet quoddam pacquetum, in quo exiſtit quidam Liber Reſolutionum. Quòd hic Liber ſit in quarta manu, quæ promittit illum comburere, ſi feriò dicat ſuum non eſſe, vel ei per eundem Patrem Leopoldum ſtatim reſtitui facere, dummodo promittat, quòd ideo non ſit nociturus pœnitenti, & dicat eſſe ſuum.

49. Et ut dictus P. Leopoldus incederet juxta communem ſententiam Doctorum Catholicorum, inita eſt ratio ſubſequens: Supponendum, quòd juxta principia Sti. Auguſtini, in Evangelio & recta ratione fundata, non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Si pœnitens dicat, ſe rem aliquam abſtuliſſe in ſpecie, v.g. horologium; Confeſſarius dicit, horologium reſtituendum eſſe in ſpecie. Si pœnitens reſpondeat, ſe non audere id facere, nè inter reſtituendum convincatur de furto, Confeſſarius replicat ut reſtituat per unum tertium. Si pœnitens ulteriùs dicat, ſe neque hoc audere, nè ille tertius fiat conſcius furti, tunc Confeſſarius prudenter monet, ut pœnitens horologium tradat ſibi per ſe reſtituendum. Si pœnitens perſiſtat, ſe metuere, nè Dominus horologii cognoſcens, quòd pœnitens ſoleat accedere hunc Confeſſarium, veniat in ſuſpicionem furis; tunc optima ratio eſt, ut Confeſſarius eligat ignotum, de quo prudenter confidit, quòd per hunc reſtitutio facienda ſit, ſine ignominia pœnitentis.

50. Juxta hunc computum Dominus horologii eſt prima manus, pœnitens ſecunda, Confeſſarius tertia, & ille ignotus quarta. Atqui tamen in hoc caſu verum manet, quòd reſtitutio originem ſuam trahat ex Sacramento Pœnitentiæ, & qui interveniunt reſtitutioni, tenentur ſecreto naturali, tamquàm originem trahenti ex Confeſſione ſacramentali; & ubi timetur, nè Dominus, ſeu prima manus furem invaderet, ei etiam præviè ſecretum injungitur, caveturque de indemnitate, & petitur promiſſio veniæ; ferè ſicut Paulus Apoſtolus, qui cùm Oneſimum Philemonis ſervum ſuſcepiſſet, poſteà inſuper inſtitit, ut Philemon ei dimitteret, cum hac tamen differentia, quòd nullum à Philemone ſecretum exigere potuerit, quia factum fuerat publicum.

51. Pater Leopoldus cum Socio ſuo R. P. Sylvano à Sto. Franciſco,

Digitized by Google

ſacræ Theologiæ Lectore, in *Placet*, eâdem die 16. Februarii paulò poſt undecimam, acceſſit Doctorem van Eſpen, invenitque non domi ſuæ, ſed in Academia exeuntem ex ſchola juridica.

52. Idem Pater Leopoldus ad Patrem Deſirant die 17. Februarii rediit, retulitque ſedato animo, & cum magna moderatione, quòd egerat cum Doctore, ſolus cum ſolo. Quòd ab eo prævię petiverat & obtinuerat promiſſionem ſecreti naturalis, tamquàm originem trahentis ex ſigillo Confeſſionis; quòd tunc ei dixerat, pœnitentem quemdam tuliſſe pacquetum quoddam litterarum Confeſſario ſuo, quod pacquetum pœnitens dicebat pertinere ad Clariſſimum D. van Eſpen; quòd Doctor van Eſpen reſponderit: *Erit forſan reſolutio alicujus Caſus ad me miſſi*, quòd P. Leopoldus replicaverit eſſe pacquetum litterarum, & illud vidiſſet clauſum. Quòd poſſet ſcire, an ſibi tale quid deeſſet. Si negaret eſſe ſuum, quòd combureretur; ſi diceret eſſe ſuum & pœnitenti veniam promitteret, quòd reſtitueretur: Quòd nihilominùs Doctor noluerit reſpondere, pacquetum eſſe ſuum, vel non eſſe ſuum. Quòd tandem Doctor concludendo rogaverit, ut P. Leopoldus ſimul cum quarta manu pacquetum aperiret, illique contenta referret.

53. Quibus auditis, juſſit P. Deſirant pacquetum adferri, permiſitque ſolvi ſuperius cooperculum, cui pacquetum involutum, & clauſum fuerat; & P. Leopoldus vidit, & hinc & inde percurrit ſub eodem ſecreto. Arripuit calamum, & pro memoria ſcripſit inventarium, in quo expreſſit circumſtantias, qualiter clauſum fuerat, cum inſcriptione, *Amſtelodamum*. Quòd in pacqueto inveniſſet duo exemplaria Libri cujuſdam, cui titulus: *Deductio rationum*, in cauſa Seminariorum Epiſcopalium, necnon aliquod manuſcriptum circiter octo vel novem foliorum, cui erat titulus: *Liber Reſolutionum*, quòdque in illo haberetur nomen Doctoris *Zegeri Bernardi van Eſpen*, & quòd aliquoties haberetur *Congregatio*, *Congregatio*. Pater Deſirant hoc Patris Leopoldi inventarium, complectens medium folium, totaliter ab una parte repletum, vidit, legitque, & invenit valdè exactum.

54. Pater Leopoldus eâdem die 17. ejuſdem Februarii cum hoc inventario Doctorem van Eſpen pro ſecunda vice acceſſit in ædibus ſuis, & poſteà iterùm ad Patrem Deſirant rediit, retulitque, quòd iterùm acceſſerat Doctorem van Eſpen, & quòd ab illo rurſùs petiverat, & quòd ille iterùm promiſerat ſecretum naturale, tamquàm ex Sacramento Pœnitentiæ originem trahens. Quòd Doctor petierit, an viſitaſſet pacquetum? Quòd ipſe P. Leopoldus reſponderit affirmativè, & addiderit, ſe pro memoria ſcripſiſſe in charta; quòd P. Leopoldus ei hanc chartam prælegerit totam à principio uſque ad finem: Quòd Doctor valdè attentè

audiverit legentem. Quòd quando prælegebat ei, quòd in pacqueto reperirentur Libri impreſſi ſub titulo: *Deductio rationum*, reſponderit hunc Librum ſibi fuiſse allatum ad approbandum, ſed quòd nondum vidiſset impreſſum. Quando verò prælegebat ei, quòd etiam contineretur manuſcriptum, cui titulus: *Liber Reſolutionum*, reſponderit, *fortaſſis erit Liber Reſolutionum Caſuum*, & quando legebat, quòd haberetur nomen ejus: *Zegerus Bernardus van Eſpen*, nihil dixerit; denique, quando legebat quòd hinc inde haberetur: *Congregatio*, *Congregatio*, quòd *profundè ſuſpiraverit*. Quòd P. Leopoldus iterùm petiverit, ut ſub eodem ſecreto dignaretur dicere, an hic Liber eſset ſuus, vel non eſset ſuus, cum eadem promiſſione faciendæ combuſtionis ſi diceret non eſse ſuum, vel reſtitutionis, ſi ſuum diceret & pœnitenti condonaret: Enimverò quod ſatis poſset ſcire, an ſibi deeſset Liber Reſolutionum Caſuum, vel ſimilis. Quòd Doctor numquàm voluerit dicere; hunc Librum ſibi deeſse, vel non deeſse, ſivè quòd numquàm cathegoricè voluerit reſpondere, hunc Librum eſse ſuum vel non eſse ſuum; licèt P. Leopoldus ei iteratò promitteret, Librum cum ſuis annexis eſse comburendum, ſi ſeriò diceret non eſse ſuum; vel reſtituendum, ſi eodem modo diceret eſse ſuum, promitteretque non inquirere in pœnitentem, & quòd hiſce mediantibus, omnia ex hac parte ceſsarent. Verùm quòd Doctor van Eſpen perſtiterit in nolendo cathegoricè reſpondere; atque poſt varias cavillationes inſtiterit, ut P. Leopoldus curaret obtinere copiam iſtius *Libri Reſolutionum*, quòdque eſset libenter perſoluturus expenſas. Quòd P. Leopoldus dixerit ſe viſurum, an hoc ſit futurum in ſua poteſtate.

55. Quo audito, Pater Deſirant repoſuit, quòd quandoquidem Doctor tam charitativè monitus, detrectaret cathegoricè reſpondere, cenſeat illam copiam illi concedendam non eſse; proindeque non convenire, ut illum ampliùs accederet. Cùmque omnia peracta fuiſsent ſub ſecreto naturali,, tamquàm ex ſigillo Sacramenti Pœnitentiæ proficiſcenti, cuncta relinquenda perinde, ac ſi nihil factum fuiſset. Et ita Pater Leopoldus diſceſſit.

§. IIII.

De congreſſibus quos Doctor van Eſpen *habuit cum Patre* Leopoldo & *Superioribus ejus, in Monaſterio Sti. Alberti.*

56. AT Clariſſimus D. van Eſpen, gravi jam dudum ſaucius curâ, vulnus alebat venis, & cæcis carpebatur anguſtiis. Quarè ipſemet prout fatetur, die primâ Martii acceſſit P. Leopoldum in Monaſterio Sti. Alberti.

Digitized by Google

Alberti. Manebat altâ mente repoſitum, quidnam Patri Leopoldo reſpondiſſet, quid feciſſet, quale ſuſpirium emiſiſſet, & quòd numquàm voluiſſet cathegoricè reſpondere, an Liber Reſolutionum eſſet ſuus, vel non eſſet ſuus. Veniebat cum Socio, petebatque utrùm P. Leopoldus obtinuiſſet faſciculum ei conſignandum? Reſpondit Pater Leopoldus negativè. Doctor inſtitit, ut P. Leopoldus ei vellet ſcripto declarare quartam manum, apud quam P. Leopoldus dixerat extare Librum, quem pœnitens detexerat. Reſpondit Pater Leopoldus, nec ipſum id poſſe petere, nec ſe reſpondere, quandoquidem uterque acceptaſſet ſecretum tamquàm proficiſcens ex ſacramentali Confeſſione. Replicavit Doctor hoc ſecretum non obligare, quia tranſiverat per tot manus. O laxitatem infandam! ſecretum acceptaſſe ut tale, illudque propriâ authoritate ſolvere, ſub frivolo prætextu, quòd tranſiverit per plures manus! quaſi verò juxta omnium Catholicorum ſententiam non tranſeat cum eodem onere, præſertim dum taliter acceptatum fuit. Et quidem ſi per accidens aliquis ſine ulla acceptatione prævia audiviſſet confitentem, eodem ſecreto teneretur, juxta illos ipſos Authores, quos Adverſarii tam libenter accuſant laxitatis.

57. Tunc Doctor petiit, ut P. Leopoldus declararet verbo, & poſteà petiit, ut declararet ſcripto, an non ſciret negotium pacqueti fuiſſe communicatum Patri Deſirant. Tertiò, petiit an pacquetum Patri Deſirant non tradidiſſet, non obſtante, quòd nec P. Leopoldus hactenùs, nec ipſe Doctor de Patre Deſirant locuti fuiſſent.

58. Cùm veró P. Leopoldus id recuſaret facere, perſiſtens in ſecreto prout expreſſis verbis repetebat, juſſit Doctor vocari Patris Leopoldi Priorem, R. Patrem Marcum à Sto. Bartholomæo, atque in ejus præſentia, non obſtante ſecreto, quod acceptaverat, caſum narravit, ſupprimens, quòd inter quatuor oculos numquàm voluerit cathegoricè reſpondere, an Liber eſſet ſuus, vel non ſuus; item quòd ei promiſſa fuerat, vel reſtitutio, vel combuſtio reſpectivè, ſi alterutrum reſpondiſſet, & tacens ſuſpirium, quod emiſerat, dum audiverat ſibi ex charta prælegi voces: *Congregatio, Congregatio.* Et concludebat ut dictus Pater Marcus Patri Leopoldo tamquàm Superior mandaret, quatenùs quartam manum nominaret. Prior verò Doctori van Eſpen dixit: *Si habeat ex ſecreto ſigilli, ipſe debet ſcire quid agat, ego in hoc nihil poſſum agere.*

59. Non videtur hæc reſponſio placuiſſe Doctori van Eſpen. Pater Prior inſtantiam, tamquàm Sacerdos Catholicus deciderat in favorem ſigilli ſacramentalis. Doctori ſimulandum erat. Quarè inter exeundum, ad Patrem Leopoldum converſus enixè rogavit, ut vellet denuò acce-

Digitized by Google

dere quartam manum, *& ab eo iterùm exigere faſciculum, & Doctori deferre.* Ita declaravit P. Leopoldus, qui promiſit ſe rursùs quartam manum acceſſurum eſſe. Cuncta ſcripſit Patri Deſirant, qui mox reſpondit.

60. Poſteà acceſſit Doctorem van Eſpen domi ſuæ, & ſe mox rediturum dixit. Venit autem ad Patrem Deſirant, & quæ ſibi acciderant, fuſiùs enarravit. Non poterat P. Deſirant ſatis admirari, quòd Doctor van Eſpen non modò acceptatum ſigilli ſacramentalis ſecretum tam liberè frangeret, verùm etiam per hanc violationem Patrem Leopoldum invaderet, qui de toto negotio nihil aliud ſciverat, nec alteri rei ſe immiſcuerat, niſi ut Doctori bono modo offerret reſtitutionem, ſi voluiſſet dicere faſciculum eſse ſuum, aut combuſtionem, ſi dixiſset non eſse ſuum. Nimis impertinenter P. Leopoldus trahebatur in ſcenam principalem. Quarè P. Deſirant contulit conſilia ut P. Leopoldus liberaretur à vexis, quas ipſi Doctor van Eſpen perperàm ſuſcitabat apud illius Superiores. Se maximè reflectebat ad id, quod Doctor petiverat, ut *Pater Leopoldus daret in ſcriptis, ſe illum faſciculum non tuliſſe ad Patrem Deſirant.* In hac petitione continebatur error & dolus. Error, quia non Pater Leopoldus faſciculum ad Patrem Deſirant tulerat, ſed Pater Deſirant, & Pater Grauwels illum Patri Leopoldo oſtenderant. Dolus autem, quia omnes circumſtantiæ commonſtrabant, quòd Doctor van Eſpen non ob aliud vellet Patris Leopoldi ſcriptum habere, quàm ut eum convinceret, quòd rem ſub ſecreto ſigilli non accepiſſet, & ut illum ulteriùs apud ejus Superiores invaderet. Quarè de errore gaviſus eſt P. Deſirant, in quantum hic poſſet conducere ad liberandum Patrem Leopoldum ab inſultibus; contra dolum verò conſilia opportuna dedit. Tempus namque faciendæ reſtitutionis, de qua die 16. & 17. Februarii ſeriò actum fuerat, jam effluxerat, & Doctor van Eſpen ſuis cavillationibus mutaverat totum ſyſtema. Erat principium menſis Martii, & tunc non ampliùs de reſtitutione ſed de redemptione vexæ cogitandum erat.

61. Acceſſit ergo Pater Leopoldus illâ die Doctorem van Eſpen iterùm, illique dixit hæc verba, prout P. Leopoldus annotavit, & conſtanter declaravit: *Dixi itaque Doctori van Eſpen, me fuiſſe locutum quartæ manui. Dixi deſuper, quòd quarta manus miraretur, quòd D. van Eſpen tantum ſtrepitum excitaret, quandoquidem omnia ab eo penderent & ceſſarent, ſi poſitivè diceret pacquetum eſſe ſuum, vel non eſſe ſuum. Et ad rependendam cautelam aſtutiæ addidi, quòd forſan in pacqueto non contineretur res magni momenti. Quidquid ſit, ſi D. van Eſpen velit ſcripto declarare hoc pacquetum ad ſe pertinere, pacquetum ei reſtituendum, ſalvâ indemnitate illius, qui abſtulit, & ſic omnia ſe-*

ta eſſe.

Digitized by Google

62. Videns Doctor ſe eſſe captum in aſtutia ſua, devênit ad ſcommata, quæ ipſemet faſſus fuit in acta ſua de 19. Aprilis in verbis: *Video clarè eſſe fraudes & fourberies, & ſuſpicor Reverentiam veſtram illarum eſſe complicem & ſociam.* [Putabat ſe agere cum pari, quod abſit] addiditque, ſe compulſurum eſſe illum, ut quartam manum revelet, *etſi*, inquiebat, *deberem impendere Provincialem veſtrum & Generalem, & Regem ipſum.* Pater Leopoldus perſtitit & abivit.

63. Die 3. Martii ejuſdem Doctor van Eſpen poſt varia acceſſit R. Patrem Maximilianum tunc temporis Vicarium Provincialem, comitatus duobus teſtibus, Dominis Goedthals & Cine Philoſophiæ Profeſſoribus, coram quibus rursùs Caſum, prout voluit, aperuit, Patrem Leopoldum vocari juſſit, ſed illo religiosè tacente, nihil obtinere potuit. De his infrà fuſiùs, ubi adducentur probationes.

§. V.
De violentiis Patri Leopoldo *illatis.*

64. PRima præfatarum minarum executio contra P. Leopoldum incœpit tertiâ Martii coram R. P. Maximiliano à Sta. Maria, Vicario Provinciali, prout infrà repetetur.

65. Secunda minarum executio contra P. Leopoldum fuit in fine ejuſdem menſis Martii, poſtquàm Petrus Nicolaus redactus fuerat in pleniſſimam poteſtatem. Videns enim D. Henricus Malcorps, quia placeret parti, appoſuit ut invaderet & Patrem Leopoldum. Conſpiciebatur continuò tamquàm ſpiritus vadens & rediens à Patrum Diſcalceatorum conventu Sti. Alberti, ac ſemel in via occurrens Doctori van Eſpen ex abundantia cordis improperabat in ſubſtantia: *Debeo jam ſolus omnia facere, vos nihil ampliùs facitis*, prout depoſuit D. Plebanus ad art. 161. ſcedulæ contrariorum factorum.

66. Totum ſtudium in eo verſabatur, ut Patrem Leopoldum, quantumvis exemptum traherent ad Tribunal Rectoris Univerſitatis, ubi Henricus Malcorps potuiſſet eum involvere interrogatoriis, atque in reatum agere. Ut verò ejus Superiores non adverterent quid intenderet, præ ſe ferebat, ac ſi tantummodo requiſiviſſet teſtimonium veritatis in cauſa famoſi pacqueti.

67. P. Leopoldus coram D. Rectore comparuit die 29. Martii, ut Superiori ſuo obediret, & cùm ageretur de proponendis interrogatoriis, petivit eorum copiam & tempus examinandi, an & quid reſpondere liceret. Quòd non ob aliud faciebat, quàm quia ſe obſtrictum cenſebat

Digitized by Google

ſigillo Sacramenti. Cùm verò D. Henricus ſuſtineret illum debere reſpondere ex tempore ad ea, quæ illi prælegenda forent, P. Leopoldus noluit, & tentavit diſcedere, privilegia Ordinis ſui, & conſcientiam objiciens. At Henricus Malcorps interpoſuit ſe cubiculi januæ, dixitque altiori tono: *Tu equidem reſpondebis.* Ad quod Pater Leopoldus reſpondit: *Quis eſt hic modus violentus agendi, an hìc me intendis violentare?* Ad hæc D. Rector mitiùs agens rogavit, ut Pater Leopoldus vellet eis ſatisfacere. Et Pater Leopoldus perſiſtens poſt varia dictavit, *quòd antequàm reſponderet, rogaret tempus conſulendi priùs aliquem Profeſſorem Ordinis ſui in Monaſterio dicto Placet, ad ſatisfaciendum alicui dubio conſcientiæ ſuæ*; & ſic permiſſus eſt abire. Totum illius dubium reſpiciebat acceptatum ſecretum ſigilli. Acceſſit & conſuluit deſuper dictum Profeſſorem, & paulò poſt R. Patrem Grauwels. Audito verò, quòd tam pœnitens Petrus, quàm ipſe Confeſſarius depoſuiſſent, reſolvit Pater Leopoldus etiam accedere Patrem Deſirant, ut & ab illo priùs ſigilli relaxationem acciperet.

68. Eâdem die veſperi novæ ex parte officii ad Patrem Priorem Marcum querelæ allatæ fuerunt, quia Pater Leopoldus non reſponderat, novæque inſtantiæ factæ, ut per præceptum cogeretur reſpondere.

69. Præceptum fuit Patri Leopoldo oretenùs datum eâdem veſperâ, qui dixit ſe non reſpondiſſe illâ die propter dubium conſcientiæ ſuæ. Majoremque noctis partem impendit; memoriam recollegit, & in charta notavit, quænam inter ipſum & Doctorem van Eſpen circa famoſum faſciculum accidiſſent, ut cùm audiret jurandum fore, ſecurior eſſet de non deponendo, niſi veritatem.

70. Die ſequenti ante meridiem à Patre Priore Marco accepit mandatum in ſcriptis *ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ in cauſa famoſi illius pacqueti juramentum præſtandi, & ſincerè & de plano juxta juris ordinem ad omnia reſpondendi.* Ex hujus præcepti data, quæ fuit 30. Martii cognoſcitur dies, quâ Pater Leopoldus primâ vice depoſuit.

71. Poſt meridiem antequàm deponeret, acceſſit Patrem Deſirant paulò ante tertiam. Cùmque Pater Deſirant accinctus eſſet, ut iret ad lectionem ſuam hiſtoricam, paucis à Patre Leopoldo ſupradicta audivit, & obiter ſcriptam ejus depoſitionem aſpexit, reſponditque, quòd quantum in ſe eſſet, libenter ſecretum datum & acceptatum relaxaret, attento quòd tam pœnitens, quàm Confeſſarius principalis jam tum in eodem judicio depoſuiſſent. De cætero illum debere ſcire veritatem eorum, quæ inter ipſum & Doctorem van Eſpen acciderant, nec poſſe malè facere obediendo, & nunc declarando veritatem, quandoquidem requireretur, & obligatio ſecreti jam relaxata eſſet

Digitized by Google

72. Pater Deſirant numquàm cogitaſſet de producendo Patre Leopoldo in teſtem. Cùm enim nullas partes habuiſſet in negotio, niſi ad ſimpliciter proponendam reſtitutionem, idque ſub ſecreto, tamquàm ex ſigillo Sacramenti originem trahente; conſtituerat rem hanc totam veluti non factam habere. Acceptâ verò poſtmodum depoſitionis, & ſubſecutarum violentiarum notitiâ, alia conſilia iniit.

73. Acceſſit ergo P. Leopoldus D. Rectorem, & declarationem, quam noctu ſcripſerat, petiit dictare, addendo, quòd ſi in ea non reperirent plenam ſatisfactionem, poſſent poſteà interrogare quæ vellent.

74. Jam nunc ſequitur declaratio ſivè depoſitio prout in judicio illâ die 30. Martii dictata, & à Patre Leopoldo ſubſigata fuit.

75. *Ego Fr. Leopoldus à Sta. Thereſia ſincerè & ex animo conveni circa hunc compitum cum quarta manu. Primò, quod prima manus eſſet D. van Eſpen, ſecunda Tourteau, tertia Confeſſarius R. P. Grauwels Minorita, quarta Eximius Pater Magiſter Deſirant; deinde fateor, me ſincerè & ex animo conveniſſe cum R. ac Eximio Patre Magiſtro Deſirant die 16. Febr. [ſalvo meliori] ante meridiem, ſi appareret ex reſponſione Domini van Eſpen, quòd pacquetum de quo erat quæſtio non pertinuiſſet ad Dominum van Eſpen, illud ſimul comburendi; ſi verò admiſiſſet Dominus van Eſpen eſſe ſuum, illud ipſum ei tradendi, cum promiſſione tamen condonandi ei, qui illud abſtulerat.*

76. *Ratio autem, quarè non combuſſerimus, fuit, quia judicavi ex modo agendi Domini van Eſpen, illud pacquetum eſſe illius, quod tamen poſſet eſſe falſum, licèt etiamnum judicem, idipſum eſſe verum, ſaltem quoad ſubſtantiam eorum, quæ continebantur in dicto pacqueto.*

77. *Indicia autem, propter quæ judico pacquetum, vel ſubſtantiam ejus pertinere ad Dominum van Eſpen, ſunt:*

78. *Primò, quando ipſi Domino van Eſpen prælegi contentum pacqueti, vidi illum plurimùm attentum & attonitum, & quando illi prælegebam ultimam periodum, in qua legebam me vidiſſe in eodem pacqueto quoddam manuſcriptum, cui titulus* LIBER RESOLUTIONUM, *& in prima facie illius Libri ejus nomen ad longum & latum, & hinc inde me vidiſſe in illo, vertendo folia, Congregatio, Congregatio, cùm hæc ei prælegerem,* PROFUNDE' SUSPIRAVIT.

79. *Secundò, quia rogavit, ut ſibi adferrem pacquetum, aut ad minus propriis ſuis ſumptibus procurarem exſcribi, ut ſic poſſet ſcire contentum pacqueti.*

80. *Tertiò, quia cum maximis inſtantiis petivit à me ſibi dari in ſcriptis nomen quartæ manûs, ubi tamen ſciebat me adſtringi ſigillo Confeſsionis.*

81. *Quartò, quia non ſolùm per meum Priorem, ſed & per Vicarium noſtrum Provincialem, voluit me cogere ad ſimilem declarationem ei ſcripto dandam, & omnibus modis quaſi poſſibilibus conatus fuit mihi perſuadere, illud ſecretum*

Digitized by Google

nullo modo poſſe eſſe ſigilli, ſed tantùm ad ſummum naturale. Oſtendere mihi quoque conatus fuit, me deceptum eſſe à quarta manu, illamque dolosè & perversè agere, & quòd in conſcientia tenerer ei ſimilem ſcripto dare declarationem.

82. *Quintò, quia me minis aggreſſus eſt, dicens, quòd mihi faceſſeret maximas difficultates, & quòd, ſi per meos Superiores me non poſſet cogere, quòd per Regem me compelleret ad declarationem quartæ manûs.*

83. *Sextò, quia D. Goethals ſollicitè nimis & anxiè multis etiam rationibus apparentibus mihi perſuadere conatus eſt, nullo modo eſſe ſigillum, & quòd in conſcientia obligarer denuntiare quartam manum propter graviſſimum damnum per illud ſecretum pluribus honeſtis viris inferendum, præcipuè ſi fieret mutatio coronæ.*

84. *Septimò, quia Dominus van Eſpen induxit meos Superiores, Priorem ſcilicet & R. P. Vicarium Provincialem, ut mihi prohiberent omnem aditum, exitum & acceſſum, idque pro aliquo tempore obtinuit.*

85. *Octavo denique, fateor, quòd etiam petiverim ſcriptum à Domino van Eſpen quo declararet pacquetum eſſe ſuum, & promitteret veniam ei, qui abſtulerat. Sed hoc ideo feci, quia ipſe anteà petierat à me ſcriptum, & quia, quantùm recordor, numquàm volebat dicere, pacquetum non eſſe ſuum, & ego ex modo ejus loquendi judicavi quòd eſſet illius, aut ſaltem, quòd contentum ad ipſum pertineret, quod adhuc in conſcientia, & coram Deo judico, & dico, quod Eximius P. Magiſter Deſirant die 16. Februarii (ſalvo meliori) dubitaret de veritate, prout cognovi ex circumſtantiis, quibus mihi loquebatur, & puto eſſe certum, ſi Dominus van Eſpen rotundè dixiſſet non eſſe ſuum, quòd pacquetum tunc coram me fuiſſet combuſtum, & ſi dixiſſet eſſe ſuum, & promiſiſſet indemnitatem, fuiſſet ipſi per me redditum, & omnia manſiſſent ſepulta.*

86. Quamquàm hujus declarationis toties & tam validè requiſitæ, atque per tot & tanta religioſa præcepta à probo Sacerdote tandem obtentæ ſtylus, ordo, modusque non ſpirarent, niſi ſinceritatem & veritatem; attamen D. Henricus Malcorps audiendo dictantem, diſſecabatur corde ſuo, & ſtridebat dentibus in eum, nec valens mentis impetum cohibere per intervalla vociferabatur: *Hoc non eſt verum, ſcimus hoc eſſe falſum, ſcimus hoc eſſe falſiſſimum.* Ita ut P. Leopoldus, nimiùm laceſſitus, coactus fuerit ei dicere, prout poſteà ſæpiùs declaravit: *Quid tu hìc dicis eſſe falſum? Adfuiſtine, cùm ego ſolus ei loquebar? Opprime os tuum, vel ſtatim juridicè contra te excipiam.*

87. Cùmque P. Leopoldus à Superiore ſuo miſſus fuiſſet ad præſtandum juramentum, & illud offerret, volens obedire mandato, D. Henricus Malcorps noluit, & probo Sacerdoti, infrunito ore in faciem cauſam dixit, *quia pejerares.* Aliis tamen Judicibus conſentientibus depoſitio à P. Leopoldo ſignata fuit, & ſignata manebit.

Digitized by Google

88. Lector facilè judicabit quanta inter Adverſarios ſecuta fuerit perturbatio. Imaginati ſibi fuerant, neſcio quid de Patris Leopoldi in nolendo deponere firmitatem. Catholicus verò Sacerdos unicè ſollicitus fuerat de ſacramentalis ſigilli integritate, dubio ſublato, declaraverat inimicam Adverſariis veritatem. Urebat hæc viſcera nolentium.

89. Quarè ad novos aſtus confugerunt, ad tertiam executionem minarum. Patrem Priorem Marcum induxerunt, ut die ſequenti, id eſt, 31. Martii Patri Leopoldo novum præceptum formale daret, pariter *ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ*, quatenùs ſtatim ſine mora dicto Patri Priori conſignaret omnia ſcripta dictum faſciculum concernentia.

90. Fateor me non intelligere iſtam licentiam tam præcipitanter præcepta imponendi *ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ*. Minùs intelligo, qualiter illa pœna impoſita fuerit ſuffragantibus aſſertis Janſeniſtis, qui non modò Mechlinienſi Archipræſuli, verùm etiam Romano Pontifici hodie hanc poteſtatem ligatam volunt. Profectò excommunicationis elogium apud Catholicos Canoniſtas eſt ultimum remedium, non temerè, neque feſtinanter, ſed poſt longam maturamque deliberationem, idque, dum alia media non ſuppetunt, evibrandum. Aliter tamen Venerabili Patri Maximiliano viſum fuit, dum tanquàm Vicarius Provincialis ad Janſeniſtarum inſtantias præfato Patri Priori Marco nihil mali ſuſpicanti mandata dedit, ut præfata præcepta P. Leopoldo daret. Supponendum eſt, quòd egerit bonâ fide, neque apprehenderit; quòd hæc præcepta tenderent ad diffamandum Subditum ſuum, & extorquenda inſtrumenta, quibus Adverſarii, ſi potuiſſent, eum alicujus criminis aut contradictionis notaſſent, ad dejiciendam fidem depoſitionis, quam in judicio fecerat, & ſubſignaverat.

91. Pater Leopoldus non poterat, quin de hac præcipitantia & pravis conſequentiis inde ſequi natis rationabiliter conquereretur, ſed fruſtrà.

92. Nam Pater Prior Marcus aſſiduè urgebatur mandatis Patris Maximiliani Vicarii Provincialis, & cogebatur urgere Ordinis Conſtitutiones. Itaque Pater Leopoldus obedienter debuit conſignare quatuor litteras, quas ei Pater Deſirant ſcripſerat die 2. & 6. Martii, quæ reſpiciunt obligationem ſigilli, prout legenti patet. Adverſarii enim illas à Patre Priore Marco, ſuadente P. Maximiliano, obtinuerunt, & impreſſerunt retro Concluſionem finalem. Infrà fuſiùs oſtendemus, quòd adferant Adverſariorum confuſionem ulteriorem.

93. Quarta executio minarum in Patrem Leopoldum deferbuit die ſubſequenti, ſivè primâ Aprilis. D. Henricus Malcorps ſtipatus conſortio D. Aſſeſſoris Leunckens, & D. Secretarii Hendrickx, venerunt ad

Monaſterium Sti. Alberti, ibidemque in cubiculo hoſpitum erexerunt Tribunal ſub honorificis tamen conditionibus, ut P. Prior Marcus & P. Definitor Agathangelus eſſent interfuturi, nimirùm tamquàm teſtes violatæ monaſticæ exemptionis. Adverſarii ſciverant illos ſic obfuſcare, ut non viderent Patrem Leopoldum coram Tribunali non ſuo in violentum reatum trahi; in hoc excuſabiles, quòd omnia proficiſcerentur ex ordinatione dicti Patris Maximiliani.

94. P. Leopoldus horum neſcius vocabatur ad cubiculum Patris Prioris Marci, ubi ei coram Patribus Diſcretis datum fuit tertium mandatum *ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ* in ſcriptis, *ut ſtatim ſine mora comparens coram D. Aſſeſſore Leunckens, cæteriſque Officialibus, D. Henrico Malcorps Officiali, & Secretario Magnifici D. Rectoris, necnon coram me, & R. P. Agathangelo, ut præſtes juramentum, quòd ſis dicturus veritatem ſuper quibuſcumque interrogatoriis proponendis concernentibus famoſum pacquetum per modum informationis præparatoriæ. Datum Lovanii hâc primâ Aprilis* 1707.

95. Pater Leopoldus prudenter petebat tempus deliberandi. Sed Pater Prior arreptâ pennâ, ſine ulla deliberatione mandato ſuo adjecit has voces, *de præſenti*, ut ſenſus foret, *ſtatim*, *ſine mora*, *de præſenti*.

96. Pater Leopoldus meritò judicabat exponi Immunitatem Monaſticam, & humiliter rogavit, ut ſaltem Pater Prior dignaretur extraneos illos Judices accedere, & ab illis interrogatoria petere, ſuper quibus reſpondendum foret. Pater Prior ivit, rediitque, referens hæc danda non eſſe; non advertens, illa non tantùm denegari Patri Leopoldo, verùm etiam ſibi, ut potuiſſet, quemadmodum par fuiſſet, diſpicere, an illa nihil continerent, quòd Immunitati Monaſticæ per Pontifices indultæ, ac Principes ſtabilitæ repugnaret. Sed hæc potiùs ad P. Maximilianum.

97. Debuit Pater Leopoldus Patrem Priorem ad extraneos Judices ſequi. Cœpit conqueri, appellare ad Summum Pontificem, in Perſona Inter-Nuntii Apoſtolici, & inter alia excipere contra D. Henricum Malcorps, à quo tam inhumanè die 30. Martii, & aliàs tractatus fuerat. At ſurdis canebat fabulas. Pater Prior extrahebat Conſtitutiones Ordinis, tamquàm preceſſurus ad pronuntiationem excommunicationis, & incarcerationem.

98. Erat vis major. Pater Leopoldus debuit cedere, & ſe ad reſpondendum componere. Dictavit tamen, & ſcriptum fuit, quòd proteſtaretur & appellaret ad Summum Pontificem in Perſona Inter-Nuntii Apoſtolici, petens reſponderi *de Apoſtolis*.

99. Hæc autem fuerunt rejecta. Primum itaque interrogatorium fuit, utrùm paratus eſſet juramento firmare depoſitionem, quam in judicio

Digitized by Google

judicio coram Domino Rectore fecerat die trigeſimâ Martii ?

100. Pater Leopoldus pacato animo reſpondit ſe paratum eſſe, & juravit.

101. Habemus ergo, quòd ſupradicta Patris Leopoldi depoſitio non tantùm ſignata, ſed etiam jurata fuerit, & jurata manebit, tamquàm facta à teſte, per aquas & ignes probato, quem ipſimet Adverſarii produxerunt.

102. Propoſita fuerunt alia; ſed P. Leopoldus in nullo articulo capi potuit. Judices abierunt, & tam Pater Marcus Prior, quàm Pater Agathangelus Definitor lætitiam demonſtrârunt, quòd res ſucceſſiſſet cum honore.

103. Hoc non obſtante die ſecundâ Aprilis ſecuta fuit quarta executio minarum. R. P. Maximilianus Vicarius Provincialis per ſub & obreptionem informatus fuerat quòd Pater Leopoldus non obediviſſet, & conſequenter incidiſſet in pœnas comminatas. Erat indutus Veſtibus Sacerdotalibus, ut procederet ad Altare, cum Calice in manibus. Juſſus eſt omnia deponere, & ſtatim ſine mora comparere coram Patre Priore Marco & P. Agathangelo Definitore. Prælecta eſt illi ſententia, cujus ſubſtantia, ſi benè memini, hæc erat, quòd cùm noluiſſet obedire, ſtatim deberet excommunicari, Divinis privari, & incarcerari, & nemini loqui, niſi Corvo ſuo, id eſt, qui ei eſſet allaturus cibum.

104. Reponebat Pater Leopoldus, quòd hoc Patris Maximiliani Vicarii Provincialis mandatum eſſet manifeſtè ſubreptitium, latumque adversùs abſentem & inauditum, & quòd ipſimet teſtari poſſent, quòd in ipſorum præſentia obediviſſet, depoſuiſſet, atque juraſſet. Obtinuit ergo, ut poſſet Sacrum celebrare, & ſtatim poſteà jejunus ab utroque Bruxellas ad Patrem Maximilianum ductus fuit; & die 5. Aprilis Bruxellis deportatus Brugas Flandrorum.

105. Quinta executio minarum Lovanii tentata fuit eâdem die quintâ Aprilis. Adverſarii conſuluerunt Oraculum Petri Nicolai Tourteau, qui eis reſponderat, quòd ad labefactandam Patris Leopoldi fidem, oporteret firmiter credere, quòd dictus Pater ad illum apud Carmelitas Calceatos exiſtentem miſiſſet R. Patrem Theodoricum à Jeſu Maria, ut illum confirmaret in perjurio, per verba, *debes agonizare pro iſta veritate.*

106. Nota, Lector, veſaniam. Numquid illa verba, *debes agonizare pro iſta veritate*, fuiſſent proportionata ad aliquem confirmandum in perjurio ?

107. Erat nova fictio, quam noluerunt agnoſcere, quia forſan illius Authores fuerant. Fueratque idem petitum à Patre Leopoldo die primâ Aprilis, qui negaverat, & deſuper juramentum præſtiterat. Sperabant

Digitized by Google

autem Adverſarii fore, ut aliquam hujus falſitatis confeſſionem à digno & præclaro Sacerdote Theodorico elicerent, & hoc medio Patrem Leopoldum perjurii reum facerent.

108. Itaque idem Tribunal convolavit ad Monaſterium in *Placet.* Vocatus fuit dictus Pater Theodoricus, tunc temporis Supprior, qui nihil de hac re ſciebat. Prior Conventûs, nomine Fr. Marcellinus à Sta. Maria, ſi rectè memini, ex directione cujuſdam Patris Roderici, dedit Patri Theodorico, etiam *ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ*, præceptum in ſcriptis, *ut ſtatim ſine mora & de præſenti* ſuper interrogatoriis diceret veritatem ſub juramento.

109. Pater Theodoricus viderat exemplum in Patre Leopoldo. Quarè mox obedivit. Quid ab ipſo rogatum fuerit, & quid D. Henrico Malcorps juratus reſponderit, diſcimus ex depoſitionibus, quas idem die nonâ Septembris legitimis ſuis Superioribus ſub juramento dedit ad inſtantiam Patris Deſirant.

110. Sunt autem ſequentia. Ad 1. *quòd D. Henricus Malcorps ei falsò objecerit, quòd fuiſſet miſſus ad Carmelitas Calceatos à Patre Leopoldo à Sta. Thereſia, ut diceret juniori Tourteau, quatenùs perſiſteret, & quòd deberet agonizare pro iſta veritate.* Ad 2. *quòd D. Malcorps ei reſponderit, alia teſtati ſunt, alia dicta ſunt, plura dicuntur Reverentiam veſtram indicaſſe, mediante Carmelita Calceato, præfato Tourteau. Ad quæ ipſe P. Theodoricus: dicetnè veſtra Dominatio, quòd pejerarim, uti dixiſti Patri Agathangelo Definitori de Patre Leopoldo à Sta. Thereſia, quòd non permiſeris illi præſtare juramentum, quia certus eras, quòd pejeraſſet? Phy! pudeat te habere talem opinionem de uno Religioſo. Et ſi non fores partialis, ipſi permiſiſſes præſtare juramentum.* Neſcio, an D. Malcorps ad oſtendendam ſuam impartialitatem, an potiùs in alium finem replicuerit id quod idem P. Theodoricus eum replicuiſſe depoſuit ad 6. *Modò non dantur ampliùs Janſeniſtæ.*

111. Enimverò D. Malcorps eſt Judex competens ad decidendum, quòd illud genus hominum *ampliùs* non exiſtat; ferè ſicut Plautus in ſuo Milite glorioſo Pyrgopolynicem inducit loquentem de hominibus volaticis. Servus admirabundus interrogat, quidnam illud ſit de hominibus volaticis? Miles glorioſus reſpondet: *Fuerunt, ſed occidi.* Ita ferè noſter D. Henricus Malcorps. Die quintâ Martii, audito Petri juramento contra Doctorem van Eſpen præſtito, exclamaverat; *hanc maculam nunquàm Janſeniſtæ eluent.* Ecce ergo hi homines volatici, ſivè Janſeniſtæ fuerunt. Sed *modò non dantur ampliùs*, inquit. Ex quo ſcilicet D. Henricus caros Amaſios ſuos, Doctorem van Eſpen, & Petrum Nicolaum Tourteau innocentiavit, videtur accepiſſe poteſtatem innocentiandi quos vult.

Digitized by Google

112. Ignoſce, Lector, quòd ſtylo deridiculo rem maximè deridendam excipiam: Quis enim aliter tot, tantaſque ſycophantias ferat? Pater Leopoldus & Pater Theodoricus duo probi Sacerdotes ſeorſim interrogati ſub juramento in depoſitione conveniunt. At nihilominùs D. Henricus Malcorps ſuum Petrum ita extollit, ut licèt rursùs variaret, nunc dicendo, quòd P. Leopoldus illud dixiſſet per ſe, nunc quòd dici curaſſet per Patrem Theodoricum, nunc denique, quòd illud dictum fuiſſet per aliquem innominatum Carmelitam Calceatum; equidem inhæreat fictioni ejus. Hæc de violentiis contra Patrem Leopoldum exercitis.

§. VI.

De famoſa acta quam Doctor van Eſpen *contra Patrem* Leopoldum *compoſuit, & in judicio depoſuit die* 19. *Aprilis, iterùmq; juramento firmavit die* 20. *Junii* 1707.

113. PAter Leopoldus, Adverſarii velint nolint, hanc gloriam referet, quòd in præſentibus circumſtantiis toti Belgio dederit Catholicum exemplum fortitudinis, Deo Optimo Maximoque referendum, tam in ſuſtinendo ſecreto ex ſacramentali ſigillo originem ducente, quàm in non alteranda veritate, necnon in mediis obedientiæ paſſionibus defendendo Monaſticas tam Libertates, quàm Exemptiones. Fas eſt ſperare, quòd ob hæc non tantùm ab Omnipotenti Numine, verùm etiam à ſuis religioſiſſimis Superioribus reportaturus ſit ſolatium, quod tantæ conſtantiæ debetur.

114. Tentata fuerant omnia ad labefactandum ejus fidem; ſed fruſtrà. Die quintâ Aprilis depoitatus fuerat Brugas Flandrorum, & Adverſarios certa ſpes manebat non reverſurum eſſe. Verumtamen illa ejus depoſitio ſignata, & non tantùm ſignata, verùm etiam ad inſtantiam ipſiuſmet partis adverſæ jurata flagrabat & rutilabat in oculis non aſpernantium veritatem. Pater Theodoricus fuerat inventus conſonus. Omnes circumſtantiæ benè conſpirabant. Quid remedii? Nihil niſi nova fictio digna *myſterio iniquitatis*.

115. Probatum fuerat in judicio quòd Pater Confeſſarius Grauwels Patrem Deſirant acceſſerat die decimâ quintâ Februarii, & non antè. Fundamentum principale totius juratæ depoſitionis quam P. Leopoldus fecerat, verſabatur in ſecreto ſigilli ſacramentalis. Et hoc ſigillum traxerat originem ex Confeſſione quam Petrus illâ die decimâ quintâ fecerat dicto Patri Grauwels. Prætereà Pater Leopoldus depoſuerat quòd ſcientiam

Digitized by Google

ſuam acceperat à Patre Deſirant, & Pater Deſirant à Patre Grauwels. Itaque totum Patris Leopoldi fundamentum erat dejiciendum, dummodo potuiſſet inveniri teſtis omni exceptione major, qui in judicio juratus deponeret, quòd Pater Leopoldus Doctorem van Eſpen acceſſiſſet ante 15. Februarii. Sophiſma erat peremptorium.

116. Quiſnam autem hic teſtis erit? debet eſſe omni acceptione major. Nec ſufficit quòd D. Henricus Malcorps habeatur tamquàm omni acceptione major, debet enim qui teſtabitur, ſaltem cum aliqua ſpecie poſſe dicere, ſe vidiſſe. Jam verò Pater Leopoldus, ùt ſuprà oſtendimus, ſatis nervosè D. Henrico Malcorps in judicio objecerat quòd de hac re nihil poſſet dicere, quia non adfuerat.

117. Supererat igitur ut Doctor van Eſpen neceſſarias illas partes exequeretur ipſemet per ſe, cujus cauſa agebatur; ita tamen ut in Concluſione finali poneretur pro principio, quòd hæc non eſſet cauſa Doctoris van Eſpen. Vir enim in toto hoc negotio volebat eſſe indifferens. Et item quòd depoſiturus eſſet per actam anteà ſtudiosè compoſitam. Denique, quòd hæc acta non communicaretur Patri Deſirant, prout etiam communicata non fuit, licèt illam Pater Deſirant poſteà detexerit.

118. Jurabitne autem Doctor van Eſpen illam actam? Jurabitnè quòd Pater Leopoldus eum pro prima vice acceſſiſſet die duodecimâ Februarii, ubi ſcire poterat & debebat, quòd exiſterent teſtes & conteſtes, quòd Pater Leopoldus ipſum nè quidem viderat ante decimam-ſextam? Atque hoc in illis circumſtantiis, & in talem finem?

119. Ubinam priſtinus ille vigor, cui nihil erat antiquius, quàm impugnare reſtrictiones mentales? Nunquid ſcriptum eſt Matthæi 23. v. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis menthum & anethum & cuminum, & reliquiſtis, quæ graviora ſunt Legis, judicium & miſericordiam, & fidem: Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

120. Profectò ſi aliquis ex illis Theologis, qui à Doctore van Eſpen duriùs habentur ex eo quòd aſſerat reſtrictionum mentalium cauſam aliquibus ex ipſorum Caſuiſtis placuiſſe, in tam enorme, quod abſit, delictum incidiſſet, juberetur in ſolitudinem abire, conſpectus hominum fugere, & latebras quærere, denſis Ægypti tenebris obſcuriores.

Digitized by Google

§. VII.

Diſcutitur acta declarationis, quam Doctor van Eſpen *in judicio dedit,* & *detegitur primus error in die primi congreſsûs, quem cum R. Patre* Leopoldo à Sta. Thereſia *habuit.*

121. DOctor actam ſuam de 19. Aprilis incipit his verbis: *Infraſcriptus rogatus* [tacet quòd ſe fecerit rogari] *dare teſtimonium veritatis de his, quæ ipſum declarantem inter & P. Leopoldum à Sta. Thereſia, acta & dicta fuerunt occaſione certi pacqueti ſcriptorum & litterarum, quòd ad declarantem hic Pater ſpectare, & à quodam ſurreptum eſſe, & retineri aſſerebat, declarat ſequentia: Quòd die 12. Februarii, cùm egrederetur declarans è Schola Canonica, poſt publicam repetitionem ad gradum licentiæ in Jure, acceſſerit ipſum dictus Pater, tunc temporis declaranti ignotus.*

122. Nota, Lector, quòd duodecima Februarii anni 1707, inciderit in diem Sabbathi, decima-ſexta verò in diem Mercurii; & quòd Jubilæum incœperit die 6. Februarii, terminatumque fuerit die 20. ejuſdem menſis.

123. Eſt autem in judicio probatum per quatuor conteſtes, qui ſinguli pro ratione ſcientiæ diſtinctas & lucidas circumſtantias attulerunt, quòd P. Leopoldus pro prima vice hunc Doctorem tantummodo acceſſerit 16. Februarii, quæ illo anno incidit in diem Mercurii.

124. Primum teſtimonium eſt ipſius Patris Deſirant, qui pro ratione ſcientiæ allegat quòd P. Leopoldus cum Patre Sylvano ad ipſum venerant, pro habenda ſubſcriptione cujuſdam Casûs conſcientiæ, quæ ſubſcriptio non eſt facta die 12., ſed die 16. Februarii, quæ etiamnum extat & oſtendi poteſt. Et poſtquàm Pater Deſirant ſuam ſubſcriptionem tradidiſſet Patri Sylvano, rogavit utrùm aliquis ipſorum eſſet Confeſſarius? Patre Leopoldo reſpondente affirmativè, Pater Deſirant petiit ut Pater Sylvanus dignaretur ſe recipere ad aliud cubiculum, & cum P. Leopoldo tunc circa horam decimam matutinam egit. Altera ratio ſcientiæ eſt, quòd P. Deſirant illâ die & horâ deliberaverit, an vellet ire ad Scholas Academicas, eò quòd ſpecialiter invitatus fuiſſet à Candidato, cujus nomine duobus diebus anteà, requiſita fuerat rheda ejus ad invitandum. Non ivit tamen propter aliquod impedimentum ejuſdem rhedæ, ſine qua exire non valebat. Hæc ſunt ſatis circumſtantionata & vera. Candidatus enim ille erat ipſi amicus, D. van Dyck Bruxellenſis, Cognatus Epiſcopi Brugenſis, cui Pater Deſirant familiariſſimus erat.

Digitized by Google

125. Secundum teſtimonium eſt R. Patris Leopoldi, qui ad 276. articulum ſcedulæ contrariorum factorum juratus depoſuit, *eſſe veriſſimum, quòd ipſe Pater Leopoldus à Sta. Thereſia numquàm fuerit locutus Clariſſimo D. van Eſpen, ante decimam-ſextam Februarii anni* 1707. Et ad art. 377. *Quod die* 14. *ejuſdem menſis iverit cum Fratre ſuo R. Patre Sylvano in Nethen.* Et ad art. 378. *Quòd eodem die ibi hæſerit.* Et ad art. 379. *Quod Lovanum reverſus ſit die* 15. *ejuſdem.* Et ad art. 380. *Quòd ante diem decimam-ſextam ejuſdem Februarii manè, numquàm audiverit aliquem loqui de pacqueto, ſive faſciculo continente famoſum Librum Reſolutionum.* Et ad art. 381. *Quòd eodem die* 16. *manè audiverit de iſto pacqueto loquentem Eximium Patrem Deſirant, cuncta referentem ſub ſecreto tanquàm proveniente ex ſigillo Confeſſionis.* Et ad art. 383. *Quòd dictus Eximius Pater rogaverit tunc eundem Patrem Leopoldum, ut ſub hoc prævio ſecreto peteret à Doctore van Eſpen, an prædictum pacquetum eſſet ſuum, vel non eſſet ſuum, cum promiſſione, quòd ei reſtitueretur, ſi diceret eſſe ſuum, vel combureretur, ſi diceret non eſſe ſuum.*

126. Tertium teſtimonium eſt prædicti Patris Sylvani, qui in eodem judicio juratus depoſuit ad præfatos articulos dictæ ſchedæ contrariorum factorum, ſe cum Fratre ſuo Leopoldo die 14. Februarii iviſſe in Nethen, & illic eâ die hæſiſſe, reverſumque eſſe ſimul cum illo die 15. veſperi, & die 16. manè acceſſiſſe Patrem Deſirant, & inde cum dicto Fratre ſuo iviſſe ad Doctorem van Eſpen, quia verò non erat domi, iverunt ad Scholas Academicas, ubi invenerunt, & quòd P. Leopoldus tunc primùm, id eſt, die 16. manè huic Doctori locutus fuerit, *allegans pro ratione ſcientiæ, quòd Pater deponens debuerit Fratri ſuo Leopoldo oſtendere, ſeu indigitare perſonam Clariſſimi Domini van Eſpen, & domum illius, ex eo quòd P. Leopoldus Clariſſimum Dominum van Eſpen non noſceret, nec domum ejus.*

127. Quartum teſtimonium eſt R. Patris Franciſci d'Herbe, qui in judicio depoſuit ad art. 375. præfatæ ſcedulæ contrariorum factorum, *quòd eâdem die 16 Februarii manè & non antè, R. P. Leopoldus à Sta. Thereſia, ex rogatu Eximii Patris Deſirant iverit ad Clariſſimum D. van Eſpen, ut cum illo ageret de Libro Reſolutionum, ſivè de faſciculo, in quo continebatur, dans pro ratione ſcientiæ, quòd prima dies, quâ ivit ad D. van Eſpen ex requiſitione Eximii Patris, fuerit dies Mercurii ultimæ hebdomadæ Jubilæi. Hæc declarat, & reſpondet in fide Sacerdotis, paratus coram omni legitimo Judice rogatus juramento confirmare.* Fuitque illa dies maximè memorabilis, quia tunc veſperi Petrus attulit primum faſciculum litterarum Henrici Graſper, prout patet ex data, & Adverſarii fatentur.

128. Adverſarii objiciunt quinque articulos, qui merentur recitari ad longum. En verba articuli 59. *Quintò, Pater Deſirant contra eundem Do-*

Digitized by Google

ctorem van Eſpen opponit, quòd ſignaverit actam declarationis eorum, quæ inter dictum Clariſſimum Dominum, & Patrem Leopoldum à Sta. Thereſia acta & dicta fuerunt, eamque medio juramento renovaverit: & hanc declarationem annectit, ut oſtendat dictum Doctorem van Eſpen VARIA DEPOSUISSE, *quæ non videntur conſonare veritati.*

129. Ex hoc articulo conſtat, quòd ſciverint objici, ipſum *varia depoſuiſſe, quæ non videntur conſonare veritati.* Notent benè: non agitur de uno, ſed *de variis.*

130. Adverſarii reſpondent per articulum 60. *ſed per omnia ineptè, nam inprimis dicta declaratio exhibita fuit, non per dictum Doctorem, ſed per Actorem, qui 19. Aprilis ipſum produxit & ſuper ea colligi fecit.*

131. Quid hoc ad rem, obſecro? Non quæritur quis illam actam exhibuerit, ſed quis illam compoſuerit, quis ſignaverit, quis juraverit? Num forſan Actor compoſuit? Num Actor ſignavit? Num Actor juravit? Eſſetnè ideo Doctor van Eſpen à reatu perjurii liber, quia ejus perjuria fuiſſent per Actorem exhibita?

132. Prætereà quiſnam eſt hic Actor? Numquid D. Licentiatus van Cutſem, cujus nomen poſuerunt in frontiſpicio Concluſionis finalis? Vix ſe immiſcuit, & Concluſionem finalem nè ſignavit quidem. Hæc ſparta ſoli D. Henrico Malcorps relicta eſt, prout patet legenti. Eſtnè D. Henricus Malcorps Actor? Sed nec ipſe Concluſionem finalem compoſuit, licèt ſignaverit, ſemperque negavit ſe Actorem eſſe. Eſtnè igitur Doctor van Eſpen, Actor, qui inter alia, Concluſionem finalem compoſuit? Actor ergo illam actam exhibuit, quod ſtatim negabatur. Quis illam ſtructuram intelligat? Eſt machina organo ſimilis. D. Henricus Malcorps ſufflat folles, Doctor van Eſpen pulſat, & auditur Licentiatus van Cutſem. Id eſt, vox quidem vox organi, manus autem ſunt manus Doctoris van Eſpen.

133. Procedamus ad articulum 61. *Deinde ſpecificè allegare debebat, ſi quid prætendebat ab eo dictum eſſe, quod cum veritate non concordaret. Undè adverſus vagas ejuſmodi & indeterminatas aſſertiones, Actor impendit generalia Juris.*

134. Præclarum reſponſum ſcilicet! Viderunt uberiorem reſponſionem Patris Deſirant; viderunt diſtinctiſſimos articulos ſcedulæ contrariorum factorum, ex quibus conſtat, quòd tota acta non referat aliud, quàm continua perjuria; nunc verò ut Lectori fucum faciant, objiciunt, ac ſi allegata non fuiſſent niſi vaga. Et hæc illi objiciunt, qui totum libellum gravaminum contra Patrem Deſirant contexuerunt, ex terminis non modò vagis, ſed ambiguis, æquivocis, nullamque determinatam facti ſpeciem exprimentibus.

Digitized by Google

135. Proſequuntur articulo 62. *Quamquàm non credatur Patrem Deſirant quidquam aliud adverſus declarationem hanc habere, quod opponat, quàm diſcrepantiam prætenſam, an dies, quâ Pater Leopoldus ad dictum Doctorem venit, fuerat 16. Februarii, ubi Reus & dictus Pater Leopoldus contendunt; an verò duodecimâ ejuſdem, uti affirmat Actor & Clariſſimus D. van Eſpen.* Scilicet Actor & Doctor van Eſpen ſunt duo; cùm tamen nullus alius hactenùs comparuerit, qui hoc aſſeruerit, niſi ſolus hic Doctor. Mirum quòd hæc ſcribentes non ſteterint in ſole, ut computatis umbris, dicti fuiſſent quatuor.

136. Iterùm autem falſant verba Patris Deſirant, & proprium articulum ſuum ſuprà relatum fallant, qui eſt in ordine 59. Illic diſertè confitentur objecta fuiſſe, non unicum hoc, ſed *varia*. Nec ſolus Pater Deſirant cum Patre Leopoldo hæc objiciunt, ſed & conteſtes adducti ſunt Reverendi Patres Leopoldus à Sta. Thereſia, & Franciſcus d'Herbe.

137. Audiamus tandem ipſorum articulum 63. *Et quamquàm P. Deſirant ſuper hoc articulo ſpecialiter produxerit dictum Patrem Leopoldum Carmelitam Diſcalceatum, & Fratrem ejus Patrem Sylvanum ejuſdem Ordinis; tamen Actor conſultum non duxit ſuper eo articulo teſtes in contrarium producere (nempè Clariſſimum Dominum van Eſpen, & ejus famulum Jacobum le Jeune, paratos juridice deponere, id factum fuiſſe dictâ die 12. Februarii) nè novâ productione teſtium, cauſa tanti momenti inutiliter prorogaretur.*

138. Fuiſſet nempè inutile, Doctorem van Eſpen purgare à ſuſpicione perjurii. Et licèt Doctor van Eſpen agnoſcat ſe egiſſe ſolum cum ſolo, potuiſſet famulus ejus aliquid deſuper atteſtari. Et licèt famulus ille id facere potuiſſet, attamen non duxerunt conſultum id facere. Credite poſteri.

139. Item Actor ad probandum quòd Clariſſimus D. van Eſpen non perjuraverit, produxiſſet eundem Clariſſimum Dominum, qui *paratus erat juridicè deponere*, id quod jam tunc juraverat, id eſt, Doctor van Eſpen feciſſet id, quod dicunt ab illo factum fuiſſe. Eſt labyrinthus aſſiduus, continua implicantia, dolus in dolo, falſitas in falſitate. Nullus enim hic pro parte adverſa poteſt teſtari, niſi qui adfuit loquenti, & mittenti. Quid hæc ad Licentiatum van Cutſem, aut Licentiatum Malcorps? Solus Doctor van Eſpen depoſuit, ſolus ſignavit, ſolus juravit. Contra ipſum conteſtantur quatuor presbyteri, ſinguliqùe circumſtantias exprimunt ſummè notabiles, cum fundamento loquuntur, poſſuntqùe cum veritate aſſumere illud Joannis Epiſt. 1. c. 1. *quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt .... vidimus & teſtamur.*

140. Quæſtionem finiunt per articulum 64. *Præſertim cùm infrà Capite tertio*

Digitized by Google

tertio oſtendatur, quòd ſivè dies illa fuerit 12. *ſivè* 16. *ejuſdem, nihil ad rei levamen inde deduci poſſit*, inquiunt.

141. Ad omnia quæ Capite tertio finxiſtis, reſponſum eſt ſatis. Si dies illa fuiſſet duodecima, tum Pater Deſirant erraſſet, dicendo ſe miſiſſe Patrem Leopoldum occaſione ſacramentalis Confeſſionis, quam Petrus tantummodo feciſſet Patri Grauwels die decimâ quintâ. Magnum hoc levamen pro Patre Deſirant, quod jam luculenter probatum ſit, diem illam fuiſſe decimam-ſextam. Nec fuiſſet Patri Deſirant tam culpabile, quòd erraſſet in die, quandoquidem non tantùm nihil juraverit, ſed & expreſſis terminis inter reſpondendum tam verbo quàm ſcripto declaraverit, ſe nolle capi in diebus, adjectâ ratione, quòd inter tot & tantas circumſtantias, per centenas & centenas interrogationes diſperſas facilè potuiſſet contingere, ut erraſſet in dictando, & Secretarius in ſcribendo. At verò quòd Doctor van Eſpen hanc ſuam actam tam ſtudiosè celare voluerit, ut clam & à tergo Patrem Deſirant ſuſpectum faceret, quòd Patrem Leopoldum miſiſſet die duodecimâ, nullâ poteſt tergiverſatione palliari, niſi pro tantillo, quòd tam tenuiter reſpondendo dederit victas manus, præſertim art. 945. Concluſionis finalis, cujus verba ſunt: *Sed non credit Actor quòd hæc diverſitas circa diem acceſſûs quidquam mutare queat in hac cauſa: quarè ponet, tametſi falsò, Patrem Leopoldum demum die* 16. *Februarii Clariſſimum acceſſiſſe.* Plurima ex hoc articulo pro veritate deduci poſſunt. Primò quidem, quòd ſufficienter agnoſcant hunc Patris Leopoldi acceſſum non die 12. ſed 16. Februarii accidiſſe. Secundò verò, quòd vel inviti cogantur Patres Deſirant & Leopoldum liberare ab objectis in hac parte mendaciis, & quòd eodem tempore contraxerint obligationem purgandi Doctorem van Eſpen ab iterato perjurio.

§. III.

Detegitur ſecundus error actæ Doctoris van Eſpen *in die ſecundi congreſsûs, quem habuit cum R. P.* Leopoldo à Sta. Thereſia.

142. Ulteriora verba actæ ſunt: *Duobus aut tribus diebus poſt hunc congreſſum, rursùs acceſſit declarantem domi propriæ idem P. Leopoldus poſt meridiem circa horam quintam.*

143. Ex inſtabili modo, quo hæc proferuntur, colligitur, quòd vel Doctor van Eſpen præciſum diem non annotaverit, cùm tamen nihil debuiſſet ipſi eſſe cordi magis, quàm in re, quæ ipſi tanti momenti erat, prout dicit, ſervaſſe omnem exactitudinem; vel potiùs, quòd ſciens ſe debuiſſe propter notos fines variare diem primi congreſsûs, cæſpitaverit

Digitized by Google

in fictionis conſequentia, & ideo ſecundum congreſſum in determinatum diem figere auſus non fuerit.

144. Itaque juxta fictitium Doctoris van Eſpen calculum, ſecundus congreſſus accidiſſet die 14. vel 15., id eſt, *duobus aut tribus diebus*, poſt primum congreſſum, quem in diem 12. ſuprà fixerat, finxerat, atque juraverat. Eſt autem paragrapho proximè præcedenti, ex concordi, juratoque, tum Patris Leopoldi, tum Patris Sylvani teſtimonio evictum (ulteriùsque per teſtimonium R. Patris Pauli Simonis à Sto. Nicolao, imò per integros Conventus probabitur, ſi opus eſt) quòd ambo præfatis diebus 14. & 15. Februarii, fuerint extra oppidum, in Monaſterio duabus & ampliùs leucis inde diſſito, quod appellatur *Nethen*, & quòd non fuerint reverſi, niſi die 15. veſperi, neque tunc Doctorem acceſſerint.

145. Non eſt rei notoriæ diutiùs inhærendum, ſatis erit annuntiaſſe, quòd tam P. Leopoldus, quàm P. Deſirant & alii valdè benè recordentur, quòd congreſſus ſecundus acciderit die decimâ-ſeptimâ Februarii, poſtridiè, quam Petrus interceperat primum faſciculum litterarum Henrici Graſper.

§. IX.

Detegitur tertius error actæ Doctoris van Eſpen, *in die quo Patrem* Leopoldum *aggeſſus fuit coram R. P.* Maximiliano à Sta. Maria *Vicario Provinciali.*

145. VErba actæ ſunt: *Cùm ergo dictus P. Leopoldus non rediret*, declarans, id eſt, *Doctor van Eſpen* 8. *Martii poſt meridiem ivit ad Conventum RR. PP. Diſcalceatorum ad S. Albertum in platea S Quintini cum Dominis Goedhals & Cine Profeſſoribus Philoſophiæ, ibidemque locutus eſt, præſentibus dictis Dominis, R. Patri Vicario Provinciali, eique acta & dicta inter declarantem & Patrem Leopoldum expoſuit.*

146. Eſt fabula in die. Nam Pater Maximilianus, ſivè Vicarius Provincialis illâ die octavâ Martii erat Bruxellis, prout patet ex Epiſtola ejus quæ incipit, *benè perpenſâ & conſultâ difficultate motâ per P. Fratrem Leopoldum.* Scripta fuit ad P. Priorem S. Alberti, Marcum à S. Bartholomæo. Verba præcipua ſunt: *Cogatur declarare an ſub ſigillo habeat: ſi ita, mihi hæc & alia quamprimùm ſignificare dignabitur, ut præſtemus reliqua, quæ pro veritate & juſtitia præſtanda ſunt.* In margine Epiſtolæ habebatur *Bruxellis* 8 *Martii* 1707. Signatum erat *F. Maximilianus à Sta. Maria Vicarius Provincialis.* Non potuit ergo Doctor van Eſpen huic Patri illâ die poſt meridiem locutus fuiſſe Lovanii.

Digitized by Google

147. Probatur ſecundò, quia ex totius actæ corpore atque tenore conſtat, quòd Doctor van Eſpen nondum fuiſſet in judicio accuſatus. Hæc autem accuſatio facta fuit per Petrum die quintâ Martii, prout conſtat ex actis, & Adverſarii in ſua Concluſione finali pluries confitentur.

§. X.

Detegitur quartus error actæ Doctoris van Eſpen*, circa tergiverſationem cathegoricè reſpondendi an faſciculus eſſet ſuus, vel non eſſet ſuus?*

148. DOctor in acta ſua dicit, quòd in primo congreſſu reſpondiſſet *ſe neſcire aliquas chartas ſibi ſurreptas aut perditas eſſe*. Et infrà: *Non poteſt ad me ſpectare, quia nullas litteras miſi Amſtelodamum.* Item quòd in ſecundo congreſſu dixiſſet: *Hinc apertiùs elucet pacquetum non eſſe meum.* Et poſteà: *Ego interim ſum certus, pacquetum hoc ad me non ſpectare.*

149. Confitentur autem Adverſarii quòd Pater Leopoldus illud ipſum negaverit tam in primis depoſitionibus, quas ad inſtantiam partis adverſæ fecit, quàm in poſterioribus, quas iteravit poſteà ad inſtantiam Patris Deſirant, & quòd ambæ illæ depoſitiones ab ipſo fuerint juramento firmatæ; & quòd Pater Deſirant ſemper dixerit P. Leopoldum illud negaſſe.

150. Quid ad hæc Author Concluſionis finalis? Ut ſe expediat, format argumentum tam heteroclytum, & à communi ſenſu alienum, ut neſciam, an unquàm tale quid in regulato judicio prolatum fuerit. Judices non redarguo, abſit, coram ipſis etenim cauſa inſtructa non fuit. Sed cauſæ inſtructores miror, quomodò ex hoc ſolo partis adverſæ argumento omnia ipſis ſuſpecta non fuerint. Nam nihil aliud reſpondet, quàm quòd illa utriuſque in reſpondendo concordia denotet colluſionem unicè adinventam ad circumveniendum Doctorem van Eſpen. Omnia Jura, & cuncti Practici in eo conveniunt, quòd vera & unica probatio veritatis petenda ſit ex deponentium concordia. Ipſiſque Adverſariis hoc eſt tam notum, ut fictiones ſuper fictionibus fabricaverint ad concludendum, quòd aliqui Doctores inter deponendum, Patri Deſirant contradixiſſent. Nunc verò, ubi ipſimet detexerunt mirabilem illam concordiam, inter dicta Patris Leopoldi, & dicta Patris Deſirant, eam ideo volunt eſſe ſuſpectam, quia eſt concordia. Voco concordiam mirabilem; quia ſatis eſt mirandum, quòd ubi Pater Leopoldus fuerat tam crudeliter angariatus, & perturbatus, prout deſcripſimus, ſtatim quòd Bruxellas deductus, & mox inde tranſlatus Brugas, ita ut cum Patre Deſirant agere

Digitized by Google

non potuerit; & ex alia parte ipſe Pater Deſirant tam rigoroſè inquiſitus, inter centenas & centenas reſponſiones, convenerint inter ſe uſque ad apicem: cùm evidens ſit, quòd viri etiam conſtantes potuiſſent per deſpoticas illas impetuoſitates perturbari, & in aliquas oſcitantias innocenter impelli.

151. Probanda ſunt, quæ diximus. Articulus 438. Concluſionis finalis ita habet. *In prima enim ſua depoſitione die* 30. *Martii ex ſcedula* [*quam Reo prælegerat, uti conſtat ex reſponſione ad art.* 113. *interrogatoriorum*] *dicit: quantùm recordor, numquam voluit dicere pacqiutum non eſſe ſuum.*

152. Sequitur articulus 439. *Et ipſe Reus*, id eſt, Pater Deſirant, *articulo* 52. *interrogatus*, " *an P. Leopoldus non retulerit interrogato, Clariſſi-* „ *mum D. van Eſpen dixiſſe, ſe nullas litteras perdidiſſe.* „ *Reſpondit* P. Deſirant, *quòd quotieſcumque P. Leopoldus interrogato de iſta re locutus eſt, ſemper eodem modo retulit, quòd dum Clariſſimus Dominus ei locutus fuerit inter quatuor oculos, numquàm volebat dicere, ſe aliquid perdidiſſe, neque ſe aliquid non perdidiſſe; item Librum Reſolutionum, eſſe ſuum, vel non eſſe ſuum; ſed quando idem Clariſſimus Dominus ipſi locutus eſt poſteà coram teſtibus, quòd tunc dixerit, ſe negaſſe, quòd aliquid perdidiſſet, & P. Leopoldus perſtitit, quòd Clariſſimus D. van Eſpen inter quatuor oculos numquàm negaverit.*

153. Sequitur articulus 440. *Et ipſe Pater Leopoldus productus in teſtem ab ipſo Reo, & ab eodem, quid ad articulos ſingulos reſpondere deberet inſtructus, ſimiliter reſpondit ad art.* 387. *proviſionalis intendit, quòd Clariſſimus Dominus numquàm ſibi reſponderit inter quatuor oculos, Librum illum eſſe ſuum, vel non eſſe ſuum, niſi quando loquebatur coram teſtibus.* Quod hîc dicitur de inſtructione, expreſsè negatur.

154. Videamus nunc, utrùm Adverſarii ex hoc flore concordiæ inſtar apum emuncturi ſint mel veritatis, an verò inſtar aranearum extracturi venenum falſitatis.

155. Verba ipſorum ſunt art. 441. *Quid apertius, quàm eam cautionem, de loquendo „ inter quatuor oculos „ unicè adinventam, & ſolicitè ſervatam fuiſſe, ut quidquid „ ſub quatuor oculis „ à Clariſſimo diceretur, negari poſſet, ſi minùs conveniens ſcopo à Reo intento deprehenderetur.*

156. O inſulſam conſequentiam! quid ergo dicerent, ſi P. Leopoldus Patri Deſirant contradixiſſet? O actionem nimiùm crudelem! ſivè Pater Leopoldus deponat veritatem, quam ſolam ſemper ab illo P. Deſirant quæſivit, & quærit; ſivè deponat falſitatem, quam nec P. Deſirant, nec ullus vir probus ab illo exſpectavit, vel exſpectat, equidem Catholicus Presbyter ad calumnias damnatur; ſi dicat primum, fit reus colluſionis, ſi ſecundum, contradictionis!

Digitized by Google

157. Hujusque turpis conſequentiæ adducunt rationem, quâ ſe rursùs conficiunt, art. 442. *Si enim coram teſtibus aſſerere audebat Clariſſimus, nihil à ſe perditum eſſe, qudni inter quatuor oculos affirmaſſet?* Et hanc interrogationem faciebant in ſcriptura, quam ſciebant Patri Deſirant tunc communicandam non eſſe, ideoque reſpondere non poſſe.

158. Reſpondebit autem nunc, poſtquàm Concluſionem finalem vidit, & dicet, quòd non Pater Deſirant, non Pater Leopoldus, ſed Doctor van Eſpen ſcire debeat, quarè aliter inter quatuor oculos, aliter coram teſtibus locutus fuerit. Quòd id fecerit autem, conſtat ex teſtimoniorum conſo antia, quam velint, nolint, coguntur hìc agnoſcere, & ulteriùs convincentur ex verbis actæ.

159. In Monaſterio Sti. Alberti, die primâ Martii; & agnoſcit, en verba: *Perſtiit Pater Leopoldus, illud mihi non tradendum, niſi aſſererem ad me ſpectare; licèt declarans dixiſſet ſe paratum dare cautionem de reſtituendo pacqueto, ſi illud deprehendiſſet ad ſe non ſpectare, poſtquàm habuiſſet inſpectionem.*

160. Accipiantur verba illa in ſenſu obvio & naturali, prout debent, eſt evidens quòd petiverit inſpectionem, ut poſſet dicere, an ad ſe ſpectaret, necnè. Et non tantùm inſpectionem petiit, ſed etiam cautionem obtulit, ut eam obtineret. Prætereà non promiſit reſtitutionem abſolutam, tamquàm rei, quæ ad ipſum non ſpectaret, aut prout nunc fingit, *ſpectare non poſſet*; ſed omninò conditionatam, *ſi illud deprehendiſſet, ad ſe non ſpectare, poſtquàm habuiſſet inſpectionem.* Verba ſunt nimis clara, illaque protulit, poſtquàm intellexerat *nomen ſuum haberi.* Et item poſtquàm intellexerat agi *de Congregationibus.* Si verum eſſet quòd Patri Leopoldo unquàm dixiſſet, faſciculum non eſſe ſuum; non poteſt verum eſſe quòd eidem Patri dixiſſet, *ſe paratum dare cautionem de reſtituendo pacqueto, ſi illud deprehendiſſet ad ſe non ſpectare, poſtquàm habuiſſet inſpectionem.* Hoc ipſo quo dixiſſet, *ſum certus illud pacquetum ad me non ſpectare*; cauſa illa finita fuiſſet, nec ullo modo potuiſſet petere inſpectionem ad videndum utrùm illud eſſet ſuum.

161. In his ergo circumſtantiis poſitus Doctor van Eſpen, die 1. Martii cautionem obtulit de reſtituendo pacqueto, in quo ſciebat Librum Reſolutionum, & in hoc Congregationes contineri, ſi poſt inſpectionem deprehendiſſet illud ad ſe non ſpectare. Hæc dixit inter quatuor oculos, prout ipſemet juratò depoſuit.

162. Excutiamus nunc quid in eadem acta fateatur, ſe dixiſſe coram teſtibus. De iis, quæ coram teſtibus geſta fuerunt, Doctor agit paginâ ultimâ, à linea 14. uſque ad lineam 33. Et univerſim complectitur lineas novemdecim. *Cùm ergo,* inquit Doctor, *dictus Pater Leopoldus non rediret,*

declarans octavâ Martii poſt meridiem ivit ad Conventum RP. Patrum Diſcalceatorum ad S. Albertum in platea S. Quintini cum Dominis Goedthals & Cinc & Profeſſoribus Philoſophiæ, ibidemque locutus eſt, præſentibus dictis Dominis, Rdo. Patre Vicario Provinciali, eique acta & dicta inter declarantem, & Patrem Leopoldum expoſuit, prout ſuprà relata ſunt. Quibus auditis, dictus R. Pater Vicarius ſe retraxit, & ivit ad Patrem Leopoldum, & poſt intervallum ſemi-horæ circiter rediit cum dicto P. Leopoldo ad declarantem, & prædictos Dominos Profeſſores. Mox P. Leopoldus traxit declarantem [id eſt, Doctorem van Eſpen] *in partem, dixitque declaranti.* Ex his verbis manifeſtè conſtat, quòd D. van Eſpen fateatur aliqua dicta fuiſſe coram teſtibus, nimirùm *acta & dicta, prout ſuprà relata ſunt.* Aliqua *inter quatuor oculos.* Nam P. Leopoldus tamquàm verus Catholicus perſiſtebat in ſecreto, quod utrimque acceptatum fuerat, tamquam ex ſigillo Sacramenti proficiſcens, & ideo Doctorem van Eſpen traxit *in partem.*

163. Fatetur etiam idem Doctor, quòd P. Leopoldus ipſum inter quatuor oculos redarguerit, tamquàm coram teſtibus falſa dicentem. Fatetur idem Doctor ibidem, quòd Pater Leopoldus hujus falſitatis vim collocaverit in præcipuo articulo controverſo *de Congregationibus.* Nec Doctor auſus fuit negare, ſe in hoc coram teſtibus falſa dixiſſe.

164. Inprimis enim fatetur ſe quidem coram teſtibus locutum fuiſſe; ſed non audet dicere, quòd P. Leopoldus coram teſtibus locutus fuerit. Econtrà fatetur in verbis: *Mox Pater Leopoldus traxit declarantem in partem.*

165. Et poſtquàm retulerat, quid coram teſtibus peractum fuiſſet, finit actam ſuam, ſive declarationem his verbis: *Quæ relationi repoſuit dictus P. Leopoldus, exigui erant momenti. Quòd cùm declarans peteret, quid in manuſcripto contineatur, & declarans intellexiſſet, quòd Pater reſpondiſſet, ſe vidiſſe* RESOLUTIO, *ipſe nunc dicat ſe dixiſſe, quod haberetur* CONGREGATIO. *Ita declaratum hâc 19. Aprilis* 1707,

166. Vocat rem exigui momenti, & nè jam quidem audet contradicere. Fuit ergo per Patrem Leopoldum inter quatuor oculos convictus, quòd coram teſtibus non fuiſſet auſus loqui de Congregationibus. Et hoc non obſtante, nè poſt hanc convictionem quidem coram teſtibus de Congregationibus locutus fuit, ſed hæſit in iis, quæ per ipſum *ſuprà relata ſunt,* ubi nullius Congregationis mentionem fecerat. Et faciebat hoc tantò confidentiùs, quia videbat quòd Pater Leopoldus in ſecreto ſigilli perſiſtens illum coram teſtibus redarguturus non eſſet.

167 Si coram teſtibus fuiſſet confeſſus, quòd P. Leopoldus in ſecundo congreſſu ipſi prælegerat totam chartam, quam ſcripſerat *pro adjutamento memoriæ,* & quòd cum pervenerat ad voces, *Congregatio, Congregatio,* Do-

Digitized by Google

ctor profundè ſuſpiraſſet; & quòd vera profundi hujus ſuſpirii die 17. Februarii emiſſi cauſa eundem impulerat, ut primâ die ſubſequentis Martii Patri Leopoldo, in tertio congreſſu diceret, *ſe paratum dare cautionem de reſtituendo pacqueto, ſi illud deprehenderet ad ſe non ſpectare, poſtquàm habuiſſet inſpectionem*; profectò aliud judicium de hac re prolatum fuiſſet, & ſaltem Pater Vicarius Doctorem redarguiſſet, ſicut oſtendimus illum reprehenſum, convictumque fuiſſe à Patre Priore Marco. Illum, inquam, redarguiſſet, quòd doloſè ſupprimeret vocem principalem *Congregatio*, ad cujus ſonum tam profundè ſuſpiraverat. Eique procul dubio objeciſſet, fieri non poſſe, ut ſolemnis ille ſuſpirator obtuliſſet cautionem de reſtituendo pacqueto, *ſi poſt inſpectionem deprehendiſſet illud ad ſe non ſpectare*, niſi in conſcientia ſciret ſe aliquid ſimile habere, quod potuiſſet ad alienas manus perveniſſe. Subolfeciſſet, fieri potuiſſe, ut Doctor van Eſpen cuſtos eſſet originalis Libri Reſolutionum, cujus veræ aliquæ copiæ ſine dubio ad amicos tranſmiſſæ fuerant: & quòd ubi jam tandem intellexiſſet, quòd diebus 16. 20. & 23. Februarii, veræ Henrici Graſper litteræ detectæ fuiſſent, potuiſſet in anguſtiis eſſe, nè vera quoque Libri Reſolutionum copia eandem ſortem ſubiiſſet. Et quòd idcircò cum tanta impreſſione inſpectionem peteret, ad diſpiciendum utrùm Adverſarii ejus haberent copiam veram, an aliquam alteratam, quam forſan de induſtria fabricaverant, ut in manus incideret, ad occultandum Librum verum, eo ferè modo, quo permiſerunt clavem Aldernandenſem in manus incidere, ad celandam clavem inter ſcripta Patrum Queſnelli & Gerberonii poſteà repertam. Hæc meritò præſumuntur de iſtius Vicarii pietate. Si quis huic Vicario dixiſſet repertas eſſe ocreas, vel quid ſimile, quod diceretur ad ipſum ſpectare, cùm tamen ſciret ſe nec ocreas, nec quid ſimile unquàm habuiſſe, is profectò nec ſuſpiraret, nec ardenter cautionem offerret, de reſtituendis ocreis, ſi habitâ illarum inſpectione deprehendiſſet illas ad ſe non ſpectare. Econtrà ſciret, quòd talem cautionem offerendo, & inſpectionem petendo, agnoſceret ſe ocreas & habuiſſe & perdidiſſe, ſed tantummodò dubitare an veræ ſuæ ocreæ repertæ forent. Ità quoque judicaſſet dè Libro Reſolutionum, in quo ſæpiùs inventa fuerat vox *Congregatio*, *Congregatio*.

168. Neque jam ſufficeret dìcere quòd Doctor ideo hanc inſpectionem ambiverit, quia dicebatur nomen ſuum ibidem contentum eſſe. Cùm enim prætenderet ſe ſincerè agere, & adhuc aſſerat ſe candidè egiſſe, debuiſſet tunc inſtare, ut haberet inſpectionem ad ſe defendendum, vel ad videndum, quid ſuo nomine gereretur; non potuiſſet ſeriò dicere, *ſe paratum dare cautionem de reſtituendo pacqueto, ſi illud deprehendiſſet ad ſe non ſpectare, poſtquàm habuiſſet inſpectionem*.

Digitized by Google

§. XI.

Detegitur quintus error Doctoris van Eſpen, *cum nova eaque horrenda contradictione quam fecit ad palliandum profundum ſuſpirium quod emiſerat, audiens voces*, Congregatio, Congregatio.

169 H*Is dictis interrogabat declarans, quid in pacqueto contineretur? Ad hæc extraxit dictus Pater chartam aliquam, aſſerens ſe voluiſſe annotare quæ continebantur, legitque primò, in eo repertum eſſe quoddam impreſſum ligatum chartâ marmoreâ: titulum illius, ut præferebat, non benè retinuerat*, DICENS *motivum contra Seminaria*, inquit acta.

170. Opinaris credo, Clariſſime Vir, Lectores fungos eſſe, qui talia credant. Fatêris quòd Pater extraxerit *chartam aliquam, aſſerens ſe voluiſſe annotare, quæ continebantur.* Quomodò ergo benè retinuiſſet titulum? Titulus in illa charta ſcriptus erat. Nos chartam vidimus, & verum in ea titulum legimus, DEDUCTIO RATIONUM &c. Fatêris inſuper, quòd Pater tibi hanc chartam prælegerit, vox tua eſt, *legitque.* Legitne tibi quòd titulum non benè retinuerat? Si dixit, quomodò legit? verbum tuum eſt: *legitque.* Aut ſi legit, quomodò dixit?

171. Pergis: *tunc ulteriùs interrogavit declarans, quid prætereà in pacqueto contineretur? Reſpondit Pater, ſcriptum aliquod. Cùmque interrogaſſet declarans, quid continet hoc ſcriptum? Reſpondit, neſcio, tantùm vidi* RESOLUTIO.

172. Mi Clariſſime Vir, ſtatim tam ingenuè dicebas, *extraxit dictus Pater chartam aliquam, aſſerens ſe voluiſſe annotare, quæ continebantur, legitque.* Quidnam legit? dic ſodes. An ergo juxta confeſſionem tuam Pater ille annotaſſet, & non annotaſſet, legiſſet, & non legiſſet? Interroga duos illos caros teſtes tuos Philoſophiæ Profeſſores; dicent tibi, hæc eſſe contradictoria, ſi neſcis.

173. Legamus omnia. *Tunc dixit declarans: forſan erit aliqua reſolutio alicujus Casûs, quem aliquando ſignavi:* [proculdubio aliquando ſignâſti, & ſæpiùs quidem] *Ulteriùs petivit declarans, vidiſtine nomen meum?* [innocens mulier rogat] *Reſpondit imò Petivit rurſùs declarans, nonnè totum legiſti? Reſpondit non: quia evocabar ad alia, eò quod ſim Procurator Conventûs, ſed rurſùs pacquetum occluſi. Dixit dein declarans: Rogo Pater totum legat, & videat quid ſit, ego interim ſum certus pacquetum hoc ad me non ſpectare.* (nunquàm hoc dixiſti inter quatuor oculos, prout ſuprà oſtenſum eſt) *Apparet perſona illa me non novit, vel erravit in nomine.*

174. Sa-

174. Sanusnè es, Clariſſime Domine? Statim dixiſti, quòd non ab illa perſona, ſed à Patre Leopoldo petiveris, *vidiſtinè nomen meum*? Et ſtatim retuliſti, quòd non illa perſona, ſed Pater Leopoldus reſponderit, *imò*. Quid ad rem veniſſet illud tuum fictum dictum de illa perſona? Pater Leopoldus nomen tuum viderat, prout confiteris. Non poterat ergo perſona illa erraſſe in tuo nomine. En iterùm nova contradictio.

175. Pergis tamen, & ſecundum hunc congreſſum finis his verbis: *Magis ſuſpicor* (es autem in ſuſpicando valdè infelix) *pertinere ad Doctorem Parmentier* (id eſt, baculus ſtat in angulo) *quia habet motiva contra Seminaria* [non debuiſſes ergo nominare Doctorem Parmentier, ſed tuum Licentiatum Leunckens, quem ignorare non poteras, *has deductiones* ex Univerſitatis commiſſione cuſtodire] *& ſic Pater receſſit*.

176. Receſſitnè? Quidnam ergo tibi legit? Nihilnè? Dixiſti tamen in terminis, *legitque*. Reſponde ad rem, obſecro, toties rogatus, quidnam legit? Legere, non legere, ſunt contradictoria, ùt diximus. Dic ſeriò, inveniſtinè ſecretum aliquod principium hactenùs inauditum, juxta quod duo contradictoria ſine contradictione poſſunt verificari de eodem ſubjecto? Nemo hoc intelligit. Et cùm nemo intelligat, qualiter ſperas fore, ut id perſuadeas?

177. Audiatur ergo Pater Leopoldus, cujus fidem hactenùs labefactare non potuiſti, nè per ſuſpicionem quidem. Confeſſus es, & non negaſti quòd extraxerit *chartam aliquam, aſſerens ſe voluiſſe annotare, quæ continebantur, legitque*. Verba depoſitionis, quam hic Sacerdos Catholicus in judicio juratus dedit, ſunt ad art. 385. ſcedulæ contrariorum factorum: *Quòd acceſſerit D. van Eſpen cum ſcedula, in qua annotaverat pro adjumento memoriæ omnia inſtrumenta contenta in iſto pacqueto, cumque illam ſcedulam ipſi prælegeret, veniens ad ultimam periodum prælegit ei, quòd in eo pacqueto vidiſſet aliquod manuſcriptum circiter octo vel novem foliorum, in cujus prima facie habebatur titulus*: LIBER RESOLUTIONUM, *infra titulum erant nonnullæ lineæ, in quibus erat nomen ipſius* ZEGERUS BERNARDUS VAN ESPEN, *& prælegit ei, quòd vertendo folia vidiſſet hinc inde* CONGREGATIO, CONGREGATIO, *ad quæ verba profundè ſuſpiravit dictus D. van Eſpen, referens ſe de cætero ad anteriores ſuas depoſitiones*. Hæc depoſitio eò magis te redarguit, quò certius eſt, quòd illam videris, illamque in Concluſione finali impugnare auſus non fueris. Refert ſe prætereà Pater Leopoldus ad anteriores ſuas depoſitiones, ad quas à tergo, ſi potuiſſes, dejiciendas, frivolam iſtam actam tuam compoſuiſti, & bis juraſti. Denique hæc depoſitio ab omni colluſionis ſuſpicione libera eſt, quia præter conſtantiam in anterioribus depoſitionibus, quibus P. Deſirant inter-

Digitized by Google

veniſſe non potuit, obſervatam, in judicio data fuit, ad præfatum articulum 385. qui conceptus & propoſitus fuerat verbis ſimplicibus: *Quòd P. Leopoldus iterùm adiverit Clariſſimum D. van Eſpen, & ſub eodem ſecreto prælegerit ſcedulam, in qua continebatur conditio Libri Reſolutionum cum ſuis circumſtantiis.*

178. Convictus es igitur, quòd P. Leopoldus tibi clarè & diſtinctè prælegerit omnia quæ annotaverat, & quòd ad voces ultimæ periodi, *Congregatio, Congregatio, profundè ſuſpiraveris.* Quando ſenior Tourteau te accedebat die 14. Februarii, ſubingemiſcens dixiſti: *Filius tuus, filius tuus, ego timeo, ego timeo.* Hunc gemitum in Concluſione finali colorare niteris. Licèt autem non ignorares quænam Pater Leopoldus in judicio depoſuiſſet; in tota tamen Concluſione finali, nihil de hoc profundo ſuſpirio loqueris, & conſequenter non tantùm agnoſcis, ſed nè palliare quidem potuiſti, vel excuſare. Quidnam igitur profundum hoc ſuſpirium ſignificaverit, Lector judicet.

§. XII.

Detegitur ſextus error actæ Doctoris van Eſpen, *ubi fatetur & negat ſe propriâ authoritate revelaſſe ſecretum quod acceptaverat tamquàm proficiſcens ex Sacramento Pænitentiæ.*

179. DE ſigillo Confeſſionis Doctor van Eſpen non loquitur, niſi ubi agit de quinto congreſſu, quem dicit accidiſſe in ædibus ſuis die primâ Martii, *ſub medium ſextæ veſpertinæ.* Doctor in acta fatetur primò, ſe in quinto illo congreſſu Patri Leopoldo dixiſſe in faciem: *Video clarè eſſe fraudes, fourberies, & ſuſpicor* (nota Lector, illud *ſuſpicor*, omnia procedunt ex ſuſpicionibus) *Reverentiam veſtram illarum eſſe complicem & conſciam; & ſciam à Reverentia veſtra Authorem, etſi deberem impendere Provincialem veſtrum, & Generalem, quin & Regem ipſum. Mihi evidens quoque eſt, ſe hæc non habere* EX CONFESSIONE, *quandoquidem jam dicat perſonam quæ ſcriptum, ſivè pacquetum habebat, tantùm eſſe quartam manum, quæ non obligatur confiteri ſe ſcriptum hoc habere, cùm non intercepiſſet; nec mihi tenebatur reſtituere, ſed duntaxat reddere, à quo acceperat.*

180. Ex his verbis ſatis conſtat, quòd fateatur Patrem Leopoldum dixiſſe, quòd notitia veniret *ex Confeſſione.* Patet etiam, quòd Patrem Leopoldum ſuſpectum habens incœperit ſuſtinere, notitiam hanc ad illum *ex Confeſſione* non veniſſe, & hoc ideo, quia Pater Leopoldus aſſeruiſſet, pacquetum eſſe in quarta manu.

Digitized by Google

181. Fatetur etiam Doctor van Eſpen in eadem acta, ſe viâ facti proceſſiſſe ad revelationem, idque in ſexto congreſſu, cui intervênit Pater Vicarius Provincialis, & Philoſophiæ Profeſſores Goedthals & Cinc. Verba actæ ſunt: *Cùm ergo dictus Pater Leopoldus non rediret, declarans octavâ Martii poſt meridiem ivit ad Conventum RR. PP. Diſcalceatorum ad S. Albertum in platea S. Quintini cum Dominis Goedthals & Cinc Profeſſoribus Philoſophiæ, ibidemque locutus eſt, præſentibus dictis Dominis, Reverendo Patre Vicario Provinciali, eique acta & dicta inter declarantem & Patrem Leopoldum expoſuit, prout ſuprà relata ſunt.*

182. Si ſub talibus prætextibus liceat viâ facti revelare ſecretum, quod anteà diverſis vicibus acceptatum fuerat, tanquàm proficiſcens ex Confeſſione ſacramentali; actum eſt. Quod enim ſuprà de quarta manu commentus eſt, juxta omnes Theologos Catholicos eſt tam frivolum, ut nullus poſſit adduci, qui negaverit omnes manus, quæ in facienda reſtitutione interveniunt, ſigillo adſtringi, præſertim poſtquàm illud tamquàm tale acceptaverunt. Id oſtenſum eſt ſuprà. Poſito enim quòd revelata fuiſſet quarta manus, hæc eodem modo debuiſſet revelare tertiam, & tertia ſecundam, id eſt pœnitentem. Hoc eſt per ſe clarum.

183. Addit Doctor ibidem: *Quo audito dixit R. Pater Vicarius ad dictum Patrem Leopoldum, video eſſe fraudes, ac voluiſſe authorem harum fraudium uti operâ veſtrâ ad eas exequendas.*

184. Spondeo & reſpondeo, quòd Pater Vicarius non potuerit hoc dixiſſe, quia tantùm audiverat Doctorem van Eſpen; nam Pater Leopoldus in ſecreto perſiſtebat, etiam reſpectu Vicarii, prout in eodem ſecreto perſtiterat in quarto congreſſu, quem Doctor idem in eadem acta dicit factum fuiſse die primâ Martii coram Reverendo Patre Marco præfati Conventûs Priore.

185. Quòd P. Leopoldus in ſecreto perſtiterit coram dicto Vicario Provinciali, probatur ex eadem acta ibidem in verbis: *Mox P. Leopoldus traxit declarantem in partem.*

186. Quòd Pater Leopoldus in ſecreto perſtiterit coram præfato Priore probatur tam ex dicti Prioris, quàm ex Patris Leopoldi juratis teſtimoniis, quæ licèt Doctor viderit, non fuit tamen auſus iis in Concluſione finali contradicere, prout neque contradixit aliis eorumdem depoſitionibus, ſtatim reproducendis, ex quibus conſtat, quòd uterque Doctorem monuerit, quòd malè faceret hoc ſecretum revelando, & malè urgendo, ut Pater Leopoldus idem malè faceret.

187. Reverendus P. Marcus Prior ad articulum 277. ſcedulæ contrariorum factorum juratò depoſuit in verbis: *Quòd Clariſſimus D. van Eſpen*

rogaverit Patrem Deponentem , ut vellet interrogare Patrem Leopoldum , & eundem inducere , ut pro veritate declararet , à quo & quâ manu pacquetum haberet.

188. Et ad articulum 280. *Se ſcire, quòd Pater Leopoldus Patri Deponenti dixerit: ſe habere ſub ſigillo.*

189. Et ad art. 281. *Se intellexiſſe ex conſ. D. Goedthals, qui Dominus aliquando locutus fuerat Patri Leopoldo, quòd dictus Pater Leopoldus non videretur ſibi conſtare, dicendo: ſe nunc habere ſub ſigillo, nunc quaſi admittere ſub ſecreto naturali.* Quaſi verò ſecretum naturale ſimul non ſubſiſteret cum ſecreto ſigilli. Pater Leopoldus ſæpiſſimè repetierat, & Doctor acceptaverat ſecretum naturale ex ſigillo proficiſcens. Sic omnes Theologi loquuntur ad diſtinctionem meri ſigilli, quod habet Confeſſarius, qui immediatè Confeſſionem excipit. Quid clarius apud Catholicos?

190. Denique idem Pater Prior ad art. 282. *putat ſe recordari, prout in articulo*, nimirùm *quòd dicti Domini reſponderint, illud ſecretum non obligare.* Præclarum Dogma.

191. Relatis depoſitionibus R. Patris Prioris Marci, conſonant juratæ depoſitiones Patris Leopoldi, qui ad art. 118. ſcedulæ contrariorum factorum, *reſpondit ſe 16. Februarii acceſſiſſe Clariſſimum D van Eſpen.* Ad art. 118. *quòd ab eo prævię petiverit & obtinuerit promiſſionem ſecreti naturalis, tamquàm originem trahentis ex ſigillo Confeſſionis.* Et iterùm de eo, quod accidit coram præfato Patre Priore Marco. Ad art. 280. & 281. reſpondit, *ſe dictis Dominis van Eſpen, & Goedthals dixiſſe, ſe omnia habere ſub ſecreto naturali, & quidem ſub ſecreto, quod originem trahebat ex ſigillo Sacramenti Pœnitentiæ.* Et ad art. 282. *Veriſſimum eſſe quòd dicti Domini reſponderint illud ſecretum non obligare.* Denique ad art. 122. *Omninò verum eſſe, quòd idem Clariſſimus Dominus authoritate propriâ violaverit ſecretum quod ſuſceperat*; & addit rationem, *ex eò quòd negotium communicaverit Reverendo Patri Priori, & Vicario Provinciali Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, idque in præſentia Reverendi Patris Deponentis, prout etiam D. Goedthals & D. Cinc.*

192. Hactenùs duo teſtes conformes. Producemus nunc tertium teſtem, eadem implicitè quidem, verumtamen ſufficienter confitentem, nimirùm ipſum Doctorem van Eſpen in eadem acta ſua, ubi loquitur de quarto congreſſu. Verba ſunt: *Tunc dixit declarans, loquar Priori veſtro. Reſpondit P. Leopoldus, nec Prior meus poteſt me ad hoc obligare.*

193. Clariſſime Domine Doctor Juris Canonici, quænam revelatio juxta Canones poteſt hic accipi, niſi ſigilli? De ſola enim revelatione ſigilli Religioſus dicere poteſt & debet, *nec Prior meus poteſt me ad hoc obligare.* In hoc omnes Doctores conveniunt. Ergo velis nolis cogeris fateri,

Digitized by Google

quòd P. Leopoldus iterùm tibi ſecretum ſigilli objecerit tunc, & quidem à te ſæpiùs velut tale prævië acceptatum.

194. Acta proſequitur. *Cùmque inſtaret declarans ſe velle loqui Priori, tandem vocavit Priorem, quo præſente & adſtante ipſo Patre Leopoldo, omnia quæ acta & dicta erant occaſione hujus caſùs & pacqueti retulit, declarans, prout jam relata ſunt.*

195. Id eſt, feciſti, quod P. Leopoldus ſuprà depoſuit ad art. 122. *Omninò verum eſſe, quòd idem Clariſſimus Dominus authoritate propriâ violaverit ſecretum, quod ſuſceperat.*

196. Pergit acta: *Quibus nihil oppoſuit P. Leopoldus.* Prudenter fecit, & Catholicè, nolendo cooperari flagranti ſacrilegio.

197. Acta ulteriùs dicit: *Perſiſtens ſe nolle dare in ſcriptis, quòd pacquetum non communicaſſet Patri Deſirant, ſed quòd vellet priùs ſuper hoc deliberare, & conſilium petere.* Prudenter & Chriſtianè: Quamquàm enim pacquetum Patri Deſirant non communicaſſet, & conſequenter non poſſet illud habuiſſe ſub ſecreto; attamen videbatur hæc res habere aliquam connexionem cum negotio principali, quod ſecretandum erat; & ideo meritò voluit deliberare & conſilium petere, nè inſtar Laxonis perditiſſimi ex mero impetu ad ſacrilegam revelationem procederet.

198. Subjungit acta: *His auditis dixit tandem P. Prior: non video, quarè non daretur in ſcriptis, quod ore aſſeritur.* Si Prior hoc dixiſſet, non malè dixiſſet. Cùm autem ſtatim ſaſſus fueris in verbis: *Quibus nihil oppoſuit P. Leopoldus*; convinceris, quòd P. Leopoldus juxta Patris Prioris ſententiam nihil debuerit ſcriptò dare, quia nihil ore aſſeruerat. Atque ita tibi rursùs contradicis, & compoſitionem tuam rursùs prodis.

199. Acta hunc congreſſum finit per verba ſequentia: *Interim aliud non potuit declarans obtinere; P. Prior ſe excuſabat quòd de caſu nihil ſciret.* Nihil de caſu ſciebat, quia ſuprà ad art. 280. depoſuit, *ſe ſcire, quòd Pater Leopoldus Patri Deponenti dixerit, ſe habere ſub ſigillo.* Jure igitur, meritòque non potuit declarans aliud obtinere, nam, prout vidimus, uterque Sacerdos Catholicus judicaverat, quæ ſacrilegè petebantur, Chriſtianè neganda eſſe.

§. XIII.

Detegitur ſeptimus error actæ Doctoris van Eſpen, *de ficto timore Patris* Leopoldi, *item de imaginaria filia devota.*

200. AD ornatum fabulæ fingit Doctor van Eſpen, quòd Patri Leopoldo incuſſerit timorem. Totus verò fabulæ contextus eſt

Digitized by Google

inſtar veſtimenti, ex infinitis laciniis conſuti, filo tam candido, ut ſuturæ eminùs cum ſpectantium riſu appareant. Agens de quarto congreſſu in acta ſua dicit: Pater Leopoldus: *meis dictis & minacibus verbis turbatus dixit: Video me poſſe incidere in magnas difficultates. Cùm id affirmaret declarans, tandem dictus Pater declaranti valedicens, ipſi gratias egit, quòd ipſum præmonuiſſet de difficultatibus, in quas incidere poſſet, promittens ſe poſt duos dies reverſurum, ſed non rediit.*

201. Riſum teneatis amici? Pater Leopoldus, quem ex ſola lectione hujus actæ conſtat, eſſe Virum prudentem, Clariſſimo Domino noſtro *gratias egiſſet*, quòd ab illo recepiſſet abſurdiſſimas contumelias, quas Doctor ibidem fatetur ſe illi impegiſſe in verbis: *Video clarè eſſe fraudes*, FOURBERIES, *& ſuſpicor Reverentiam veſtram illarum eſſe complicem & conſciam.* Lapides loqueris, & credis te lapidibus locutum eſſe, Clariſſime Vir, aut putas tibi aulam eſſe, in qua nihil tutiùs, quàm injurias recipere, & gratias agere?

202. Audiamus Patrem Leopoldum, utrùm timuerit, & gratias egerit. Non eſt Janſeniſta, non celabit veritatem: Fidejubeo. Ad art. 393. ſcedulæ contrariorum factorum *reſpondit, quòd Clariſſimus Dominus demiſſâ modeſtiâ in faciem deponenti exprobràverit, quod omnia eſſent fictiones & fourberies, & tunc inſtanter inſtitit pro ſcientia quarta perſona, minando per ſuum Provincialem, Generalem, imò Regem ipſum, hoc à deponente obtenturum.* Hæc depoſitio querelam ſonat, non gratiarum actionem. Ad art. 277. *reſpondit, quòd Doctor van Eſpen Deponentem multoties violenter tentaverit, ad revelandum illud ſecretum ſigilli, quod ut tale pluries à Deponente acceptaverat.* Iterùm querelæ, iterùm de ſigillo. Ad art. 388. *reſpondit, quòd Clariſſimus D. van Eſpen non ſolùm petierit utrùm non vidiſſet illud negotium apud Patrem Deſirant, & illud negotium ei communicatum eſſe ſciret; ſed deſuper petiit ſcripto declarationem quarta perſona, quam ſciebat Deponentem habere ſub ſecreto Confeſſionis; cùmque videret quòd illam ſcientiam à Deponente non poſſet habere, tandem petiit ipſi ſaltem ſcripto daret, quòd negotium illud non communicaſſet Deponens Eximio Patri Deſirant.* Comparet hìc aliquis timor, ſed non Patris Leopoldi. Et ad art. 392. *reſpondit, quòd à Clariſſimo Domino petierit ſcedam quâ declararet Librum eſſe ſuum, vel non eſſe ſuum, ſed ideo petiit quia Clariſſimus D. van Eſpen auſus fuerat à ſe petere declarationem quarta perſona in ſcriptis quam habebat ſub ſecreto ſigilli, quod & ipſe ſciebat.* Nullum hactenùs in hoc Patre videmus ſignum timoris aut perturbationis. Timidi & perturbati talia non dicunt, nec eſt apparens quòd Pater Leopoldus acceptis memoratis contumeliis promiſiſſet redire; & cum non redierit, prout Doctor fatetur, ſignum eſt, quòd non promiſerit.

203. Quânam autem ratione hîc die primâ Martii de Patre Deſirant actum fuit? Videtur Doctor timuiſſe nè negotium Patri Deſirant communicatum fuiſſet. Pater Leopoldus tamen nullam apud ipſum Patris Deſirant mentionem fecerat. En reſponſum ejus ad art. 389. *Reſpondit eſſe veriſſimum quòd Pater Leopoldus non fuerat locutus de Patre Deſirant, nec directè, nec indirectè.*

204. Dicat ergo nobis Clariſſimus Dominus quid cauſæ fuerit, quòd timeret, ne negotium perveniſſet ad notitiam Patris Deſirant? Ita loquitur in acta ſua ante congreſſum ſecundum. *Poſt hac nihil de propoſito caſu intellexit declarans* [omnia ſcilicet ipſi erant quieta, licèt ſacra Facultas Theologica inſtantiſſimè urgeret reproductionem originalis Epiſtolæ de 10. Januarii, in qua tota rei medulla continebatur] *donec ipſi circa 24. Februarii exiſtenti Bruxellis, ſcribitur Lovanio, ſpargi Lovanii repertas eſſe quaſdam litteras declarantis, horrenda quadam continentes, easque per quamdam* FILIAM DEVOTAM *traditas cuidam Carmelita Diſcalceato, huncque eas tradidiſſe Eximio Patri Deſirant, ipſum Carmelitam Bruxellas diſceſſiſſe.*

205. Si Carmelita Bruxellas diſceſſerat, quomodò Lovanium veniſti, ut ibidem ageres cum Patre Leopoldo? Dimitte, obſecro, fabulas tam palpabiles, de iſtis litteris Lovanio Bruxellas miſſis, & de iſta *filia devota.* Cur enim cum P. Leopoldo agens, numquàm de illa filia devota egiſti? Mitte nugas, dixi. Alius hic anguis in herba latet. O effatum Leidenſe eâdem Februarii ſeptimâ pronuntiatum, in urbem Amſtelodamenſem miſſum, inde Lovanium, ut communicaretur amicis, & poſteà Amſtelodamum per Henricum Graſper remiſſum die 16. ejuſdem Februarii: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden*, id eſt, *at præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt.* Hæ ſunt illæ litteræ, hæc illa *filia devota.*

§. XIV.

Detegitur octavus error actæ Doctoris van Eſpen *in ipſo prœmio, ubi culpat Patrem* Leopoldum, *quòd aſſeruiſſet pacquetum ad Doctorem* van Eſpen *ſpectare, & in acta fatetur contrarium.*

206. DOctor van Eſpen actam ſuam conſarcinans offenderat in primo limine: quoniam verò fictio, à qua incœpit, non eſſet per omnia intelligibilis, idcircò tractamus de illa, ordine poſteriori: ea quæ præmiſimus reddent illam palpabiliorem. Spectabilis actæ prooemium

Digitized by Google

hoc eſt : *Infraſcriptus rogatus dare teſtimonium veritatis de his, quæ ipſum declarantem inter & P. Leopoldum à Sta. Thereſia acta & dicta fuerunt, occaſione certi pacqueti ſcriptorum & litterarum, quod ad declarantem hic Pater ſpectare, & à quodam ſurreptum eſſe, & retineri aſſerebat, declarat ſequentia.* Hactenùs verba procemii.

207. Clariſſime Domine, ad te mea ſe vertit oratio. Agitur hic de bona fide Patris Leopoldi, cujus honeſtas à nullo viro honeſto vocatur in dubium. Procemium hocce tuum affricat illi, quod non eſt verum, & eſt ita non verum, ut ſcias, & dum procemium illud limabas ſciveris verum non eſſe. Affricas illi, quòd dixerit pacquetum illud *ad te ſpectare, & à quodam ſurreptum eſſe* Sunt tua verba, ſunt verba procemii tui, quæ primùm incurrunt oculos legentis. Hujus actæ copia pervenit ad manus Patris Definitoris Agathangeli ejuſdem Ordinis, tu ſcis per quem. Intentio erat, ut hæc tua acta exhiberetur Definitorio ejuſdem Ordinis, prout etiam exhibita fuit. Præterea ut aliquis fungeretur officio denuntiatoris, vel accuſatoris. Denique ut hæc tua acta valeret tamquàm inſtrumentum peremptorium, ad Catholicum hunc Religioſum perdendum. Hic Religioſus interrogatus bonâ fide reſpondiſſet, prout etiam reſpondit, ſe neſcire, nec unquàm ſciviſſe, an pacquetum illud ad te ſpectaret, & an reverà tibi ſurreptum fuiſſet, ſed ſe proceſſiſſe hærendo in relatione. Fuiſſet autem producta, prout reverà producta fuit acta tua, in cujus procemio exprimebatur totius ſcenæ compendium, & apertis terminis dicebatur, *quòd ad declarantem ſpectare, & à quodam ſurreptum eſſe, & retineri aſſerebat.* Actum erat : Pater Leopoldus fuiſſet convictus. Nam teſtimonium Doctoris van Eſpen erat omni exceptione majus. Ille vir, qui à triginta tribus annis tam celebriter impugnavit reſtrictiones mentales, & qui Leſſium in hoc articulo tam intrepidè aggreſſus fuit, cavebit à falſitate. Ita enim videtur apud aliquos obtinere, ut qui in Leſſium invectus fuerit, videatur aſſecutus donum Caſſandræ, ſemper dicendi veritatem.

208. Eſtnè autem veritas, quòd P. Leopoldus umquàm tibi dixerit, hoc pacquetum ad te ſpectare? En verba actæ tuæ in primo congreſſu : *Dicit perſona illa, quòd probè ſciat ad vos ſpectare : quid igitur faciam, petebat Pater.* En rursùs verba actæ tuæ in relatione ſecundi congreſsûs : *Addebat deinde dictus Pater, jam propius intellexi fuiſſe miſſum hoc ipſo anno incheato* 1707. En verba tertii congreſsûs : *Reſpondebat Pater, perſona illa amplius non loquitur.* En verba quarti congreſsûs : *Reſpondit declarans, imò Pater : undè vadat ad illum, qui habet, & dicat ut reſtituat, reſpondit : ibo. Et ſic diſceſſit.* En verba tua in quinto congreſsu : *Si tamen* [addebat Pater] *Reverentia*

verentia veſtra velit dare in ſcriptis, ſcriptum illud ad ſe ſpectare ..... conabitur efficere, ut vobis reſtituatur. En verba ſexti & ultimi congreſsûs: *Dixitque Pater declaranti, quòd ſi vellet exſpectare, quòd intra octiduum declararet perſonam, quæ pacquetum habebat.*

209. Dedi tibi verba in omnibus & ſingulis congreſſibus per teipſum relata. Eſtnè ulla apparentia quòd Pater Leopoldus tibi umquàm dixiſſet, quòd pacquetum ad te ſpectaret, vel tibi ſurreptum eſſet? Juxta dicta tua propria ſemper in eo hæſit, quòd *pænitens* [non filia devota] *dixiſſet* tibi ſurreptum eſſe.

210. Vin plura? Oſtendimus nunc quòd Pater Leopoldus numquàm dixerit pacquetum eſſe tuum. Statim oſtendemus ex ipſa tua acta, quòd tu Patri Leopoldo faſſus fueris pacquetum eſſe tuum. Quid ad hoc?

§. XV.

Detegitur nonus error actæ Doctoris van Eſpen, *quòd ubi quaſi per totum negat pacquetum ad ſe ſpectare, ibidem Patri* Leopoldo *faſſus fuerit eſſe ſuum, & ſibi reſtituendum.*

211. HOc habent ſtrenui fictores, quòd in mediis fictionibus ſeipſos prodant, dum minimè putant. Fingit D. van Eſpen quòd ſemper pacquetum illud cum incluſo Libro Reſolutionum habuerit tamquàm non ſuum, & quòd magis à veritate alienum eſt, quòd umquàm Patri Leopoldo dixiſſet, ſuum non eſſe. Fingit etiam, quòd illud non curaverit, & quòd Pater Leopoldus id debuerit advertere. Econtrà P. Leopoldus in judicio juratus depoſuit ad art. 387. ſcedulæ contrariorum factorum, *quòd D. van Eſpen numquàm vel minimùm oſtenderit ſe non curare, ſed benè contrà.* Et ad art. 390. *Doctorem van Eſpen inſtantiſſimè rogaſſe, prædictum Librum ferri ad ſe.* Et ad art. 391. *Quòd Clariſſimus Dominus dixerit, ut* EI VELLET DEFERRE *copias inſtrumentorum pacqueti, etiam ſuis ſumptibus.*

212. Conſonat acta, ubi ipſe Doctor fatetur ſe in tertio congreſſu Patri Leopoldo dixiſſe: *Se paratum dare cautionem de reſtituendo pacqueto, ſi illud deprehendiſſet ad ſe non ſpectare, poſtquàm habuiſſet inſpectionem.*

213. Ex his evidenter patet quod D. van Eſpen inſtanter petierit, ut contenta pacqueti ferrentur ad ſe. Non ignorabat quòd in illis haberentur horrenda in materia Religionis Romano-Catholicæ. Licèt enim ſtudioſè affectet negare ſe illud non ſatis intellexiſſe ex ore Patris Leopoldi, prodidit tamen ſe ſub perſonato nomine *filia devota*, quòd ſignificatum

Digitized by Google

ſibi eſſet, *ſpargi Lovanii, repertas eſſe quaſdam litteras ejus* HORRENDA CONTINENTES, *easque per quamdam* FILIAM DEVOTAM *traditas cuidam Carmelitæ Diſcalceato, huncque eas tradidiſſe Eximio Patri Deſirant.* Scilicet Petrus Nicolaus Tourteau poſt varias formas, quibus indutus fuit, hîc tranſibit pro filia devota. Egregia filia devota!

214. Quæſtio nunc eſt, an D. van Eſpen ſcripta illa petierit ferri ad ſe per modum curioſitatis, vel inſtructionis ad habendam inſpectionem pro ſua defenſione; an per modum reſtitutionis? Reſtitutio ſupponit proprietatem: nemo enim petit ſibi reſtitui, niſi quod ſuum eſt; & hoc ipſo quo aliquis petit rem aliquam ſibi reſtitui, fatetur rem eſſe ſuam, præſertim, ſi Practicus illud ſic petat, & maximè Juris utriuſque Doctor, qui novit ſignificationem vocis *reſtitutio.*

215. Legatur nunc acta à principio uſque ad finem, ſed animo indifferenti, & minùs præoccupato. Nihil eſt evidentius, quàm quòd agnoſcat ſe Patrem Leopoldum fuiſſe inter quatuor oculos aggreſſum omnibus modis, ut hanc ſcriptorum illorum extraditionem procuraret, tamquàm ſibi debitam, per modum *reſtitutionis.*

216. In primo congreſſu eſt totus blandus, Patrique Leopoldo exhibet omnem confidentiam. *Melius eſt*, inquit, *ut Reverentia veſtra aperiat pacquetum, & videat quæ in illo contineantur; ſi videat contineri quæ poſſent* ME CONCERNERE, *& eſſe alicujus momenti, poterit tunc ſignificare & efficere,* UT RESTITUANTUR.

217. In ſecundo congreſſu eodem tono procedit: *Mox petivit declarans, utrùm pacquetum aperuiſſet? Reſpondit Pater affirmativè.* Et in fine. *Rogo Pater, totum legat, & videas quid ſit.*

218. In tertio congreſſu loquitur velut anxius: *Sed Reverende Pater, dicitur ſcriptum illud eſſe in manibus Patris Deſirant; an forſan Reverentia veſtra ipſi tradidit, aut communicavit, quia audio Reverentiam veſtram ſæpiùs adeſſe illi Patri?*

219. Procedemus ulteriùs, & conſiderabimus Doctorem van Eſpen, non ampliùs blandum & anxium, ſed minacem inſtar Jovis tonantis. Ad contumelias & minas progreditur. Ad contumelias quidem, in verbis actæ *video clarè eſſe fraudes, fourberies, & ſuſpicor Reverentiam veſtram illarum eſſe complicem & conſciam.* Ad minas autem, in aliis ejuſdem actæ verbis: *His tamen meis dictis & minacibus verbis turbatus dixit, video me poſſe incidere in magnas difficultates.*

220. Cùm ergo Doctor eſſet firmiter in ea opinione poſitus, quòd Pater Leopoldus timeret, crederetque ſe eundem habere ſibi obnoxium, apertiùs locutus eſt, & faſciculum ſibi dari petiit, per modum reſtitutio-

Digitized by Google

nis. En verba actæ: *Eâdem die, ſcilicet primâ Martii, circa medium pomeridiana, acceſsit declarantem dictus Pater Leopoldus, moxque capit, quaſi dolens dicere: apparet quòd ob dictum Caſum poſſem aliquando incidere in difficultates. Reſpondit declarans* [id eſt Doctor van Eſpen] *Imo Pater: unde vadat ad illum, qui habet, & dicat* UT RESTITUAT. *Reſpondit, ibo. Et ſic diſceſsit.*

221. Oporteret talpâ cæciorem eſſe, ad non videndum quidnam in relatis circumſtantiis ſignificent verba illa: *unde vadat ad illum qui habet, & dicat ut reſtituat.* Flocci facienda ſunt actæ verba reliqua, ex compoſito adjecta & inſerta, ut prodirent in publicum, & ut in ultimo congreſſu, qui coram teſtibus peractus eſt, tandem pro neceſſitate ſua aſſereret faſciculum non eſſe ſuum. Nos jure merito vim facimus in verbis, quæ ſe fatetur Patri Leopoldo dediſſe inter quatuor oculos, quando putabat illum timore perculſum & dolentem, atque his mediis in ſuam poteſtatem redactum fuiſſe. *Vadat ad illum qui habet, & dicat* UT RESTITUAT, inquit. Juris utriuſque Doctor non cenſetur ignorare quid importet verbum *reſtituat*. Ecce ubinam ſimus. Quiſnam exſpectaſſet confeſſionem tam evidentem?

222. Judicet nunc Lector, an licèt Pater Leopoldus numquàm Doctori poſitivè aſſeruerit, pacquetum eſſe ipſius, ſed tantùm relativè; attamen in judicio, ſub juramento rogatus veritatem dicere, non habuerit ſufficientia fundamenta reſpondendi ad art. 127. *ſe judicaſſe ſubſtantiam rei ad ipſum Clariſsimum pertinere, prout adhuc judicat, & ſe de hoc judicio antehac depoſuiſſe, prout in articulo.*

223. Et à fortiori Lector judicet an Pater Deſirant, cui hæc nota erant, & qui inſuper habebat multa plura alia argumenta, in hac Apologia fuſiùs deducta, potuerit ſcire litteras & faſciculum Doctoris van Eſpen non eſſe, & an in omnibus non proceſſerit bonâ fide?

§. XVI.

Deteguntur plures alii errores Doctoris van Eſpen, *& reſpondetur ad ea quæ perperam objiciuntur adversùs quatuor litteras à Patre* Deſirant *ad Patrem* Leopoldum *datas.*

224. DE Julio Cæſare ſcribunt, quòd Britanniam tentans magnis cladibus affectus fuerit: Ut autem Romanis aliquid acquiſitum diceret, miſiſſe conchas & teſtas oſtræorum, in Britannicis littoribus repertas. Riſum id movit Poëtis, ita ut in Verſibus decantarent, num-

quàm Romanos vidiſſe conchas pretioſiores, quia nimirùm nimio ſanguine & ære conſtiterant. Rem Cornelius Tacitus exprimit magis ſeriò, ubi nitidè dicit: Quòd Cæſar Britanniam Romanis oſtenderit, non vicerit.

225. Magnum ſtrepitum Adverſarii excitant, quòd die 31. Martii per formale præceptum de quo ſuprà, à Patre Leopoldo, mediante illius Priore per Patris Maximiliani mandatum inducto, extorſerint quatuor Epiſtolas à Patre Deſirant ad dictum P. Leopoldum ſcriptas. Quòd verò nonniſi conchas & teſtas reportaverint, nihilque vicerint, ſed potiùs oſtenderint nobis, quòd vincere poſſimus, ex ſequentibus patebit.

226. Objiciunt in ſua Concluſione finali art. 391. *Habetur imprimis ex dictis litteris à Reo, id eſt Patre Deſirant, ad hunc Patrem datis, & in judicio recognitis, quòd Reus ipſum perpetuò inſtruxerit, quomodò cum Clariſsimo agere deberet.*

227. Per me licet, dictæ litteræ legantur. Adverſarii impreſſerunt eas retro Concluſionem finalem. Sunt numero quatuor. Prima eſt ſine data; ſed ex textu patet, quòd ſcripta fuerit circa idem tempus, nimirùm 2. Martii, prout data eſt ſecunda & tertia Epiſtola; quarta verò die 6. Martii 1707. Legatur nunc acta. Referuntur ibidem ſex congreſſus. Primus habitus dicitur die 12. Februarii; cùm tamen reverà acciderit die 16. Congreſſus ſecundus duobus vel tribus diebus poſt; cùm tamen acciderit die 17. ùt vidimus. Tertius habitus dicitur primâ Martii, quartus & quintus eâdem die. Ergo quinque illi congreſſus fuerunt abſoluti, antequàm ulla ex quatuor illis Epiſtolis ſcriberetur. Sextus verò & ultimus congreſſus habitus fuiſſe dicitur octavâ Martii; cùm tamen habitus fuerit tertiâ Martii. Et tunc juxta actam P. Leopoldus nihil eorum, quæ in dictis Epiſtolis habentur, dixit, aut fecit.

228. Igitur tam ex parte materiæ, quàm ex illarum data conſtat, rurſùs commentitium eſſe, quod præfato articulo 391. objicitur, *habetur imprimis ex litteris à Reo ad hunc Patrem datis, & in judicio recognitis, quòd Reus ipſum perpetuò inſtruxerit, quomodò cum Clariſsimo agere deberet.*

229. Si eratis viri, quales vos ignari putant eſſe, non debebatis has litteras objeciſſe, niſi priùs contuliſſetis materias, atque dies, quibus fuerant exaratæ. Numquid ergo rectè diximus, racemationes veſtras conſutas eſſe filo candido, futuraſque nimis procul apparere?

230. Novam fictionem & ſimul contradictionem adferunt articulo 393. quòd Pater Leopoldus ſcedulam depoſitionis ſuæ de 30. Martii *Patri Deſirant priùs legendam & probandam obtulit.* Fingunt etiam id, quod ſequitur, *uti fatetur Reus*, id eſt, P. Deſirant, *ad art.* 113. *interrogatoriorum.*

Digitized by Google

Interrogatus enim an dictus Pater Leopoldus non acceſſerit ipſum antequàm veniret ad reſpondendum? " *reſpondit quòd venerit paulò ante tertiam, antequàm Reus* „ *iret ad lectionem, dicens, quòd eſſet juſſus deponere coram Magnifico Domino;* „ *& oſtendit Eximio Patri ſuæ depoſitionis chartam, quam dicebat ſe de nocte ſcripſiſſe.* „ Niſi verò jam etiam audeant fingere Patrem Deſirant ei de nocte adfuiſſe.

231. In hac verò Patris Deſirant reſponſione continetur quidem, quòd Pater Leopoldus ſcedulam tulerit legendam, ubinam verò dicitur, quòd tulerit *probandam*? Hoc deſideratur. En contradictio. Legendam obtulit & petiit, an hoc declarando non frangeret ſecretum ſigilli? Et Pater Deſirant, prout ſæpiùs dixit, & ſcitis illum ſæpiùs dixiſſe, reſpondit obligationem ſecreti ceſſare, eò quòd ipſe pœnitens & Confeſſarius ejus jam depoſuiſſent. Hæc toto cœlo à dictis veſtris diſcrepant, & conſonant cum anterioribus.

232. Objiciunt articulo 412. *Et quidem in Epiſtola 2. Martii ad Patrem Leopoldum data & recognita ad art.* 108. *interrogatoriorum, rogat Reus dictum Patrem, ut dignaretur non excurrere ad perſonam notam* [*ſcilicet Dominum van Eſpen, ùt fatetur ad art.* 106. *interrogatoriorum*] *ſi tamen ipſemet excurrat, illi ſimpliciter dicere, quòd Paternitas veſtra viderit Librum Reſolutionum in manu alicujus alterius perſonæ, à qua accepit veniam hoc dicendi iſti viro; non tamen, ait, faciat mentionem illorum quæ continentur, quia nullo modo conveniens eſt, ut per Paternitatem veſtram intelligat, quid in hoc Libro contineatur.*

233. Inde concludunt art. 413. *Hic agnoſcit Magnificentia veſtra, quàm ſincerè locutus ſit Reus, dum dixit,* " *hunc Patrem à ſe ad Clariſſimum Domi-* „ *num fuiſſe miſſum ex mera intentione, ut ſaltem per incognitum detegeret veri-* „ *tatem, & ut Clariſſimus Dominus ſciret factum, quod contra ipſum atten-* „ *tabatur.*

334. Pater Deſirant ſincerè locutus fuit, quia Patrem Leopoldum reverà taliter miſit die 16. & 17. Februarii, prout ſuprà evictum eſt. Cùm verò cogamini fateri, quòd citata ejus Epiſtola ſcripta fuerit die ſecundâ Martii, nihil ex illa contra illius ſinceritatem proficitis. Diſtinguite tempora, prout debetis, & nihil facilius erit intellectu, quàm quòd ſimul ſtet Patrem Deſirant in menſe Februario voluiſſe Patrem Leopoldum mittere tamquàm incognitum, ad detegendam veritatem, & ut Clariſſimus Dominus ſciret factum, quod ipſum tangebat; eundemque in ſubſequente menſe Martio diſſuaſiſſe, nè ampliùs cum Domino van Eſpen ageret. Veritas enim, ùt ſuprà vidimus, habebatur tamquàm ſatis detecta. Illud dictum ejus, *vadat ad illum qui habet, & dicat ut reſtituat*, non ferebat ambiguitatem. Fuerat etiam ſatis monitus de facto quod ipſum tan-

Digitized by Google

gebat. Et pro eo, quòd Patri Leopoldo tamquàm Patri ſpirituali, qui nonniſi ſalutem ejus quæſiverat, egiſſet condignas gratias, ingratum caput inſultaverat illi, & petulanti ore, vultuque effronti in faciem evomuerat inverecundam contumeliam, *video clarè eſſe fraudes & fourberies, & ſuſpicor Reverentiam veſtram illarum eſſe complicem & conſciam.* Sunt verba actæ. Minas addiderat, de quibus in eadem acta gloriatur: *Meis dictis & minacibus verbis turbatus Pater Leopoldus dixit, video me poſſe incidere in magnas difficultates.* Hæc geſta fuerant die primâ Martii, prout ipſe Doctor in hac ſua acta fatetur. Pater Leopoldus ſcripto conſilium petebat. Cedo nunc, quid potuit Pater Deſirant, rebus ſic conſtitutis, die ſecundâ Martii per litteras tutiùs conſulere, quàm non excurrere ad contumelioſum & minacem hominem, atque tot titulis ingratum? Quid tutius fuit, quàm eidem Patri Leopoldo tunc ſcribere, ut illi ſimpliciter diceret, quòd viderit *Librum Reſolutionum in manu alterius perſonæ*, prout reverà viderat in manu Patris Grauwels, & addere, ut non faciat tamen mentionem illorum quæ continentur, quia nullo modo conveniret, ut talis *vir per Paternitatem veſtram quidquam ampliùs intelligat?*

235. Si enim Pater Leopoldus tunc iterùm vel minimùm locutus fuiſſet de iis quæ in Libro continebantur, natum eſſe fieri, ut Doctor majores tragœdias excitaſſet, prout equidem vidimus ſatis magnas ab illo excitatas fuiſſe. Et ideo P. Deſirant in ſecunda Epiſtola ſcripſerat: *Nam vir ille eſt nimis impetuoſus.* Hæc verò ſcripſerat in conformitatem Epiſtolæ primæ, in qua poſuerat clauſulam, *hac raptim, ſuppoſitis ſupponendis, & allegatis*, id eſt, ex ſuppoſito, quòd Pater Leopoldus Patri Deſirant vera retuliſſet, prout pleniſſimè conſtat, nonniſi vera per illum allegata fuiſſe.

236. Objiciunt inſuper art. 416. quòd Pater Deſirant in præfata prima Epiſtola dixerit, *addi poteſt quòd in iſtis chartis nihil forſan contineatur momentoſi.*

237. Meritò hoc ſuggeſtum fuit, ut per elegantem figuram Doctor van Eſpen diſceret quid ab initio facere debuiſſet. Poſtquam P. Leopoldus ei tam ingenuè cuncta ex charta prælegiſſet nomen ejus, Librum Reſolutionum, & repetitas voces, *Congregatio*, *Congregatio*, non voluit tamen cathegoricè reſpondere, an eſſet ſuum, vel non eſſet ſuum. Diſtulit, donec Patrem Leopoldum metu & dolore perculſum crederet, & tunc tandem in quarto congreſſu flagitavit, *imò Pater, vadat ad illum qui habet, & dicat ut reſtituat.* In quinto autem congreſſu benefactorem ſuum ſupradictis contumeliis & minis repenſaverat. Nihil ergo conſultius fuit, quàm Patri Leopoldo tam indignè habito ſcribere, *addi poteſt, quòd in*

Digitized by Google

iſtis chartis nihil forſan contineatur momentoſi. Cui addendum id, quod in eâdem Epiſtola immediatè ſequitur, *& quòd ille in cauſa ſit, non dicendo, an ad ſe pertinerent, quòd aliàs ſi dixiſſet veritatem ab initio, res ſtatim fuiſſet in ejus* MANIBUS. Adverſarii hæc verba tacent. Cur autem?

238. Objiciunt articulo 418. *Inde indubiè factum eſt, ut dictus Pater Leopoldus in ſecundo congreſſu cum Clariſſimo, ſimulans ſe exponere contenta, nihil quod intelligi poſſet ex contentis expreſſerit.*

239. Indenè? oportet vobis accidiſſe, quam Patri Deſirant dementationem affingitis. Quomodò enim ſano ſincipite poteſtis accipere, quòd Epiſtola, quam fatemini ſcriptam fuiſſe ſecundâ Martii, influxiſſet in ea, quæ Pater Leopoldus dixit in ſecundo congreſſu, quem acta veſtra agnoſcit factum fuiſſe anteà circa medium Februarii? Et numquid Pater Leopoldus in illo congreſſu ſatis intellectus fuit, quando Doctorem van Eſpen eò perduxit, ut profundè ſuſpiraverit? De hoc ſuſpirio cavetis loqui.

240. Neſcio quid articulo 415 cavillantur, quòd Pater Deſirant primam Epiſtolam incœperit hiſce verbis: *Reverende Pater, ſis forti & ſincero animo.* Et in reſponſione ſua ad concordantiam Paragrapho 17. ubi agitur de continua Janſeniſtarum exhortatione ad fortitudinem, objiciunt, quòd etiam Pater Deſirant illis verbis Patrem Leopoldum ad fortitudinem exhortatus fuerit, ſcribendo, *ſis forti animo.*

241. Eſt autem nimia diſparitas. Illi ſibi mutuò ſcribunt, *ſis forti animo.* Pater Deſirant more Romano-Catholicorum, *ſis forti & ſincero animo.* Fortitudinem in illis agnoſcimus; ſinceritatem requirimus.

242. Art. 425. eandem Epiſtolam exagitant præcipuè, quia Pater Deſirant ſcripſit, *poteris etiam ei inter quatuor oculos dicere, quòd perſona illa, coram qua aperuit, non tradiderit Patri Deſirant quòd uſque in hodiernam diem non habeas aliam notitiam.* Exclamant articulo 426. *En omnia artificiosè & nequiter ad decipiendum compoſita, adjecto etiam apertiſſimo mendacio.* Vos ſcilicet nobis artificia, vos nequitias, vos apertiſſima mendacia objicitis! Pergunt: *Falſiſſimum enim erat, quòd Pater Leopoldus uſque in illam diem non haberet aliam noittiam.*

243. Quomodò id fuiſſet falſiſſimum, cùm veriſſimum ſit, quòd Pater Leopoldus nè quidem hoc momento habeat aliam notitiam? Pater Leopoldus Librum Reſolutionum nullibi viderat, niſi apud Patrem Deſirant & Patrem Grauwels; atqui Pater Deſirant non tradiderat illum ſibi, neque Pater Grauwels illum tradiderat Patri Deſirant, prout vos ipſi objicitis articulo 466.

244. Nec poſſunt Adverſarii prætexere ignorantiam, quòd præfata

Digitized by Google

Epiſtolæ verba ſic debuerint accipi, nimirùm de Patre Grauwels: ſciunt enim quòd in eadem Epiſtola habeantur ſequentia. *Exponat ea, quæ inter Paternitatem veſtram, & P. Minoritam acciderunt, non nominando tamen perſonam, neque Ordinem.* Omnia hæc vadunt conſequenter ſine artificio. Janſeniſtæ non ſumus, & per Dei gratiam non erimus.

245. Articulo 424. tripudiant, quòd Pater Deſirant inventus fuerit ſcripſiſſe, *gaudeo quod ſit in errore.*

246. Quidnam autem eſt magis exoptabile, quàm ut Janſeniſta volens Romano-Catholicum perſequi, deprehendatur in errore quem fecit? Nihil Athanaſio fuit jucundius, quàm Arianos tentantes nocere, videre errantes. Suntne hæc crimina? Error verò de quo hic agebatur, in eo ſitus erat, quòd Doctor van Eſpen dixiſſet ſe putare quòd Pater Leopoldus faſciculum tradidiſſet Patri Deſirant. Quod cùm ſciretur eſſe falſum, & Doctor minatus fuiſſet Patrem Leopoldum invadere; gaudium erat juſtum, quòd vexa Doctoris niteretur fundamento erroneo.

247. Articulo 430. ad calliditates convertuntur, & urgent quòd Pater Deſirant ſcripſerit, *noli umquam loqui coram teſte, vel teſtibus, ſed ſemper prævie require ſecretum, aut alioquin non loqui, nihil etiam dare ſcripto potes.* Omittunt autem vocem, quæ immediatè ſequitur, *in conſcientia.* Omittunt etiam cauſam in eadem Epiſtola expreſſam, quarè in conſcientia coram teſtibus loqui non poſſet: *Veſtra Paternitas prudenter egit, & attento ſecreto obligante, reſpondit juxta conſcientiam.* Sciebat etenim Pater Deſirant, ſe non ſcribere Janſeniſtæ.

248. Ex iſtis nihilominùs inferunt art. 432. *Ut quid enim hæc tam ſollicita, ac toties inculcata cautio? niſi ut Clariſſimo Domino deeſſet probatio dictorum & actorum inter ipſum & Emiſſarium hunc; liberumque eſſet Reo, ejusque Emiſſario fingere tamquam à Clariſſimo Domino dicta, quæ dicta non erant, aut negare dicta, quæ revera dicta eſſent.*

249. Hæc cautio adhibita fuit partim propter conſcientiam, partim propter prudentiam. Propter conſcientiam, quia ſecretum obligabat, prout ipſimet objicitis articulo 466. ubi fatemini quòd P. Grauwels originarius Confeſſarius etiam Patri Deſirant die 15. Februarii dixerit, *ſe perſonam nominaturum ei, quando ad hoc licentiam daret.* Propter prudentiam; quia cùm jam illâ die 2. Martii conſtaret, quòd detectus Doctor van Eſpen ad contumelias & minas converſus fuiſſet; nec erat tutum, nec licitum, ut P. Leopoldus aliquid coram teſtibus diceret, undè Doctor ille inferret quòd Pater Leopoldus rem ſub ſecreto non accepiſſet, & inde ad novas calumnias procederet.

250. Neque ullo jure poteſtis Patrem Leopoldum Emiſſarium dicere, cùm

Digitized by Google

cùm vos ipſi illum tertiò produxeritis in teſtem, & teſtem quidem juratum. In hoc vobis obſtant jura omnia, quinimò adulteratio juris eſt fœdiſſima, aliquem in teſtem vocaſſe, & poſtquàm conſtiterit, quòd contra producentem teſtatus fuerit, ipſum audere reprobare. Juxta Authores hoc ſolùm valeret apud æquum Judicem, ut producentem damnaret. Quid autem vultis de Patre Leopoldo loqui? Non tam ipſe, quàm acta veſtra, quam Doctor van Eſpen fabricavit, atque juravit, vos redarguit. Reprobate ergo etiam illam, & Doctorem van Eſpen dicite Emiſſarium ſui ipſius, vel quod æquè ridiculum erit, Emiſſarium Patris Deſirant. Plus ipſe contra ſe juratus depoſuit, quàm Pater Leopoldus contra ipſum. Errores deteximus, falſitates oſtendimus, monſtravimus fallationes, & notavimus contradictiones. Quid fruſtrà obſtrepitis?

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Confutatio decimi-ſexti gravaminis: *quòd Reus in eundem finem, nec à Curſoribus publicis abſtinuerit, ſed dictum Tourteau inſtituerit ad intercipiendas litteras in domo Curſoris Lovanii.*

1. FUerat articulus hìc ſatis circumſtantionatus per voces *in domo Curſoris Lovanii*; ideòque Pater Deſirant clarè intelligens de quanam re ageretur, cathegoricè reſpondit, *negat.*

2. De hac interceptione Petrus loquitur in ſua deductione art. 17. ubi dicit: *Non potuit, nec voluit negare Reus, id eſt Petrus, ſe etiam realiter intercepiſſe diſtinctis vicibus apud Curſorem varias litteras, ſcilicet 16. 20. & 23. Februarii tres faſciculos litterarum, quorum duo deſtinabantur ad præfatum D. Krys Amſtelodamum, & alterum ad D. van Goor, per vel ex parte Henrici de Graſper Theologi, quorum aperuit coopercula; & tulit ad prædictum Eximium Patrem Deſirant, confecto priùs recepiſſe nomine prædicti Eximii Patris pro uno faſciculo, quem clam ſurripere non potuerat.*

3. De iſta ſcedula quæ hìc appellatur *recepiſſe*, Pater Deſirant nihil prorsùs audiverat, antequàm exhiberetur ei in judicio. Subſtantia erat: *Domine mi, cùm ſcripſerim hodiè aliquas litteras ad D. Jacobum Krys, & in eis aliquid omiſerim, rogo ut illas per latorem harum placeat remittere, ut ſuppleam quod deſideratur. Dabam Lovanii die 16. Febr.* 1707. Infrà habebatur, *Bernardus Deſirant.*

4. Nulla erat apparentia ſeu relatio characteris ad verum characterem Patris Deſirant. Prætereà Pater Deſirant numquàm ita ſignat; quinimò crederet litteras non eſſe accipiendas pro ſuis, ſi ita ſignaret. Signat ſicut

Digitized by Google

reliqui Religioſi, *Fr. Bernardus Deſirant.* Denique ipſe Aſſeſſor D. Leunckens, Fiſcalis Malcorps, & D. Secretarius ſtatim ex circumſtantiis judicaverunt, & apertè dixerunt ſe videre, quòd Pater Deſirant iſtius ſcedulæ ignarus fuiſſet.

5. Petivit Pater Deſirant ut præfati Domini deſuper in judicio reſponderent; invenerunt autem exquiſita media, nè id facerent. Quarè P. Deſirant in ſcedula ſua contrariorum factorum in facto poſuit articulum ſequentem. 345. *Quòd quando ſcedula, quâ mediante fuerunt intercepta primæ litteræ Graſper, fuit in menſe Martii oſtenſa Patri Deſirant in judicio, Domini Aſſeſſor, Malcorps & Secretarius ex circumſtantiis judicaverint Patrem Deſirant nihil de hac ſceda ſciviſſe.* Tametſi autem propter irregularitates in inſtructione cauſæ commiſſas obtineri nequiverit, ut teſtes ad hoc requiſiti deponerent; hic tamen articulus valebit tamquàm in facto poſitus, cùm Adverſarii contra illum nihil in Concluſione finali reſponderint.

6. Accedit, quòd nè Petrum quidem in ſuis variationibus auſi fuerint inſtruere, ut hujus adulterinæ ſcedæ reformationem Patri Deſirant impingeret. Simpliciter inducunt illum ad art. 207. dicentem: *Poſt multas tandem perſuaſiones & promiſſiones ſatisfecit Reus, id eſt Petrus, voluntati prædicti Eximii Patris, intercipiendo, modò ut ante dictum eſt, in domo Curſoris tres faſciculos, quos poſt interceptionem, ſine mora detulit ad Eximium Patrem prædictum, qui eos perlegit, ac in ſua poteſtate retinuit.* Nihil hìc de ſcedula; licèt perſonatus Petrus in eadem deductione inter variationes ſuas effutiat articulum 202. *Hâc occaſione incæpit Reo dicere*, & verba ſequentia ridiculè exprimuntur litteris curſivis, quaſi Petrus præcisè retinuiſſet Patris Deſirant verba formalia: *Se non dubitare quin Janſeniſtæ ſibi mutuò ſcriberent de negotiis quæ inter eos aguntur, idcircò ſi vellet Reus, id eſt Petrus, ſe poſſe facere opus gratiſſimum Illuſtriſſimis Dominis Inter-Nuntio, & Archiepiſcopo, nimirùm ſubtili modo intercipiendo apud Curſorem ſeu Poſtam litteras,* QUAS JUDICARET ESSE SCRIPTAS *à Janſeniſtis, deſtinandas de Janſeniſmo ſuſpectis.*

7. Nota, Lector, has voces, *quas judicaret eſſe ſcriptas à Janſeniſtis.*

8. Adverſarii rursùs hìc produnt ſeipſos. Iterùm mentitur iniquitas ſibi. Juxta hanc fictionem, Pater Deſirant reliquiſſet Petro judicium, an litteræ, quas intercipere deberet, eſſent à Janſeniſtis deſtinandæ ad Janſeniſtas. Undènam potuiſſet Petrus illud cognoſcere, ut *judicaret*, quandoquidem fingant per totum, quòd Petrus nullam de Janſeniſticis rebus notitiam habuerit, niſi ex Patre Deſirant? Quomodò ſtant iſta ſimul, quòd Pater Deſirant illum inſtruxiſſet de omnibus, & quòd nihilominùs ad faciendam interceptionem, conſulens, exhortans, vel mandans, ei

commiſiſſet judicium, ut ipſe *judicaret* an eſſent litteræ à Janſeniſtis ſcriptæ? Plus dicam, Petrus faſſus eſt quòd nec perſonam, nec nomen, nec characterem Henrici Graſper cognoviſſet, prout neque Pater Deſirant cognoverat. Quis Petrum præciſe die 16. Februarii inſtruxit, ut judicaret has ignotas litteras intercipiendas eſſe præ aliis tamquàm à Janſeniſta ad Janſeniſtam ſcriptas? Licèt enim non dubium ſit, quin plures ex aſſertis Janſeniſtis varias illis diebus litteras ſcripſerint; non audivimus tamen ullas alias interceptas fuiſſe. Num forſan, quia inſcriptæ erant Jacobo Krys, cui bini faſciculi, quibus utraque *Libri Reſolutionum* copia inſerta erat, inſcripti fuerant? Nihil minùs juxta vos. Dicitis enim quòd Petrus ſciverit hos faſciculos cum ſuis inſcriptionibus confictos fuiſſe. Non potuiſſet Petrus ex notitia rei quam ſciviſſet fictam fuiſſe, viâ facti procedere, ac ſe determinare ut *judicaret* hunc faſciculum à Janſeniſta mitti ad Janſeniſtam.

9. Occurrit hìc quæſtio non contemnenda, quomodò ſtent ſimul, Petrum à Janſeniſtis fuiſſe inductum, ut deciperet Patrem Deſirant, & nihilominùs Patri Deſirant prodidiſſe indubitatas litteras Henrici Graſper?

10. Alia quæſtio eſt, quomodò acciderit ut Petrus pridiè quàm in judicio contra Doctorem van Eſpen deponeret atque juraret, fuerit à quodam, qui Janſenianæ parti ſtrictiſſimè adhæret, vocatus, & ſeriò interrogatus utrùm ſi vocaretur in judicium contra præfatum Doctorem juraturus eſſet? Ipſe Petrus circa illud tempus id ſponte ſuâ retulit Patri Deſirant in præſentia unius teſtis. Pater Deſirant hunc Petri ſermonem repetebat atque urgebat, ut ex ipſo aliquid ampliùs intelligeret. Sed Petrus præter morem in ruborem effuſus eſt, ſermonemque divertens dixit, rem iſtam in iſtis terminis hæſiſſe, eò quòd ſuperveniret, & cubiculum, in quo erant, ingrederetur quidam Profeſſor quem nominabat. Pater Deſirant nihil mali ſuſpicatus hunc diſcurſum dimiſit: At verò teſtis præfatus ſæpiùs illum admonuit, ut ſe reflecteret ad illam circumſtantiam, conſideraretque viri genium, minas & intereſſe quod habebat ut Pater Deſirant perderetur.

11. Non occurrit alia ratio combinandi utrumque, quàm hæc. Recolantur dies. Ampliſſimus D. Vicarius Generalis à Patre Deſirant diſceſſerat die 12. Februarii 1707. relictâ objectione, quòd Petrus poſſet eſſe adverſæ partis Emiſſarius, ut deciperet Patrem Deſirant, eumdem inducendo ad denuntiationem vel accuſationem, & poſteà negando, quinimò contra Patrem Deſirant deponendo, prout tandem poſt crebras variationes fecit. Petrus hanc objectionem non ignoravit, nam Pater Deſirant illum eâdem die, & magis die 13. Februarii ſubſequenti plus ſolito diſ-

Digitized by Google

cuſſit. Non poterat ipſum latêre, undènam extraordinaria illa examina proficiſcerentur. Itaque eâdem die 13. veſperi miſit uxorem ad Parentem, conquerendo quòd percuſſus fuiſſet. Parens, id eſt ſenior Tourteau, die 14. venit ad Patrem Deſirant petens conſilium & auxilium. Pater Deſirant reſpondebat ſe nil poſſe facere, niſi conſtaret de facto, monuitque, quòd tamquàm Parens poſſet capere informationes, ſed neglexit. Non neglexit tamen eâdem die 14. ire ad Doctorem van Eſpen, prout fuſiùs dictum eſt ſuprà. Poſt hæc Petrus die 15. acceſſit Patrem Grauwels, prout etiam retulimus.

12. Non eſt dubitandum, quin Petrus illa fecerit ad perſuadendum Patri Deſirant, ſe non eſſe Emiſſarium adverſæ partis. Non debet ergo mirum videri, ſi ad illud confirmandum, die 16. interceperit & tulerit veras Henrici Graſper litteras, quas quidem non Petrus, ſed nemo meliùs, nemo aſtutiùs ſcire potuit, illâ die ſcribendas & ſcriptas fuiſſe, quàm ille, cui ſtatim dicebamus, Petrum die 4. Martii adſuiſſe.

13. Ille idem ſcire potuit ac ferè debuit, quænam à Janſeniſtis à menſe Junio 1706. & deinceps agitarentur. Si verus aliquis Liber Congregationum extiterit, is nequivit ignoraſſe. An ille Petrum inſtruxerit, ut miſcerentur falſa veris, ut tam luderetur Doctor van Eſpen ad modicum tempus, quàm P. Deſirant ad prolixius, ſcire nefas. Ille per hanc tragœdiam anguſtias tuliſſet, Pater Deſirant dolores. Hoc addendum pro Coronide, quòd ille idem habeat pecunias, ſaltem ſufficientes, ut pictor Timmermans pro deſcribendis duabus copiis Libri Reſolutionum, aliiſque in utroque faſciculo contentis, potuiſſet recipere aliquot imperiales, prout idem pictor in judicio depoſuit, ſe ex manibus Petri recepiſſe. Petrus non erat tam pecunioſus, ut imperiales profunderet. Certè; Pater Deſirant non dedit; neque Petrus ullibi in ſua *Deductione loco Motivi* de his imperialibus loquitur. Suſpectum eſt ſatis, & ultrà quàm dici poſſit, quòd Adverſarii ex præfati pictoris Timmermans depoſitione intellexerint, ſe à Petro dictos imperiales pro copiarum iſtarum deſcriptione accepiſſe, & quòd nihilominùs in tota ſua Concluſione finali nihil prorsùs de iiſdem loquantur.

14. Non deſinunt in ſua Concluſione finali objicere art. 713. *Proderat Reo*, id eſt Patri Deſirant, *ſcedula apud Curſorem deliteſcens, ut dictum Tourteau ſibi obnoxium haberet, dum ſciret qualia negotia ei faceſſere poſſet, ratione talis falſitatis: quin ſi Tourteau animo mutaretur, & Reum proderet, habebat Reus inſtrumentum quo fidem ejus ſub falſo inſtrumento, ſub falſificata ſignatura abrogaret.*

15. Si Pater Deſirant hanc ſcedulam produxiſſet, argumentum ali-

qualiter ſubſiſteret. Cùm verò ipſimet illam produxerint, ſemetipſos, qui hæc ſcribunt, redarguunt, quòd vel ad hujus ſcedulæ fabricationem concurrerint, vel à fabricatore inſtructi fuerint. Nulla erat cauſa cur Pater Deſirant Petrum ſibi per tales artes faceret obnoxium; at verò magna cauſa erat ut Doctor van Eſpen id tentaret, vel aliquis pro ipſo, qui poſtquàm hoc feciſſet, nonniſi bonam ejus gratiam promereri potuiſſet, declarando quòd apud Curſorem extaret ſcedula per Petrum nomine Patris Deſirant adulterata, & quòd hujus ſcedulæ reproductio deberet ſatis momenti habere ad dejiciendam fidem Petri, cujus manu ſciebant famoſam Epiſtolam de 10. Januarii exaratam fuiſſe, prout illos ſciviſſe ex Concluſionis finalis art. 184. & 187. pluries oſtendimus, licèt poſteà finxerint, ſe illum non cognoſcere, & copias evulgaverint, quaſi illum quærerent.

16. Non poterat illa ſcedula apud Curſorem deliteſcens Patri Deſirant prodeſſe, non enim impediebat nè Petrus adversùs Doctorem van Eſpen deponeret, accuſaret; debuiſſetque certò apprehendere, quòd Magiſter rei curſoriæ ad ſe purgandum, hanc ſcedulam reproducturus eſſet, & hoc pacto Petrus ſuâ fide decideret.

17. Solus Doctor van Eſpen cum ſuis ſcire poterant quòd hæc ſcedula ſibi prodeſſe poſſet, quia ſivè Magiſter ille, ſivè ipſimet eam reproduxiſſent, ſemper ad ipſorum cauſam valuiſſet, prout facto monſtrarunt, dum non Pater Deſirant, ſed ipſi hanc ſcedulam reproduxerunt.

18. Magna diſparitas. Adverſarii ſpeculantur quid Pater Deſirant potuiſſet facere. Pater Deſirant illis rejicit, quod fecerunt. Illi ſophiſticantur ſuper iis quæ Pater Deſirant feciſſet ſub futuro contingenti, *ſi Tourteau animo mutaretur*; & putant non obſervari, quòd ſimili ſcedulâ indiguerint, ut illâ contra eundem Tourteau, qui jam animum ſuum contra illos declaraverat, uterentur, prout uſi fuerunt de præſenti.

19. Intercepit ergo Petrus tres Henrici Graſper faſciculos, *quorum aperuit coopercula, & tulit ad Eximium Patrem Deſirant.* Sunt verba confeſſionis ejus relatæ ad art. 18. deductionis; nec retractavit.

20. Agemus primò de faſciculo primo. Præſens fuit Reverendus Pater Franciſcus d'Herbe, de cujus fide ſuprà egimus ad abundantiam, hic addituri, quòd Adverſarii etiam ejus depoſitione, ſine ulla limitatione vel exceptione utantur in ſua Concluſione finali art. 692. in verbis: *Idem ferè depoſuit à Reo productus in comparitione ſua de 3. Auguſti Reverendus Pater d'Herbe.* Hic verò Pater depoſuit ad art. 470. ſcedulæ contrariorum factorum: *Quòd audiverit Eximium Patrem Deſirant præfatâ die 16 Februarii objurgantem & corripientem prædictum Petrum Nicolaum Tourteau, quòd prædictas literas aperuerat, & dicentem, quòd non eſſet licitum aperire literas ſpe-*

Digitized by Google

ſtantes ad aliam perſonam, *ac etiam examinantem*, *quarè illas litteras intercee-perat & aperuerat? Ad quæ infraſcriptus audivit dictum Petrum reponentem: Intercepi & aperui, quia benè ſciebam, quòd in illis continerentur mala.*

21. Et ad art. 371. *Quòd junior Tourteau dixerit, quòd D. Rector Leunckens eſſet informatus de anterioribus, intelligens de litteris ſignatis Z.B.V.E. de quibus dicebat ſe egiſſe cum Domino Leunckens, & quòd idem Rector ei dixerat*, MEEMPT AL DAT GY CRYGEN CONT, *id eſt, cape quidquid potes acquirere: quæ ſunt formalia verba, quæ dictus Tourteau ſæpiùs infraſcripto audiente retulit, & ſic reſpondetur ad art.* 372.

22. Et ad art. 373. *Quòd Petrus hoc intelligebat de interceptione apud Curſorem, quæ cùm Eximius Pater non crederet, juſſit Dominum Rectorem Leunckens inſtanter moneri per Petrum Nicolaum, ut dignaretur ſe accedere, utpotè non valentem exire. Quas inſtantias per dictum Petrum ſingulis diebus iterari fecit, quia ſciebat ipſum acceſſum habere ad Dominum Rectorem, nam dicebat ſe apud eundem multa ſcribere.*

23. Et ad art. 374. *Quòd junior Tourteau dicebat ſe munitum iſtâ generali licentiâ Rectorali, determinaſſe ſe ſponte ſuâ, ut præciſè caperet illas litteras*, QUAS POSTEA DUM APERUIT, INVENIT ESSE ISTAS LITTERAS GRASPER. *Et addidit, quòd præciſè illas cepiſſet, quia inſcriptæ erant Domino Jacobo Krys, ad quem dicebat ſe ſcire non alia ſcribi, quàm de rebus Janſeniſticis.*

24. Secundus teſtis eſt D. Advocatus van Schoubroeck qui ad art. 143. ejuſdem ſcedulæ contrariorum factorum juratus depoſuit, *quòd Petrus Nicolaus Tourteau in Cœnobio Carmelitarum de ſe aſſeruerit, quòd ipſe intercepiſſet litteras Domini Graſper, & quòd eo deſuper à Deponente objurgatus repoſuerit, ſe illud feciſſe ad ſui juſtificationem, ut per hoc verificaret contentum litteræ de* 10. *Januarii.* Et ad art. 144. idem Advocatus van Schoubroeck reſpondit: *Quòd poſt objurgationem prædictam Petrus Nicolaus Tourteau ipſi repoſuerit, quòd ex inſcriptione dictarum litterarum certus eſſet, quòd continerent contentum litteræ de* 10. *Januarii. Et cùm Deponens reponeret, quomodò ipſe poſſet ſcire contenta dictarum litterarum, reſpondit in terminis: Ick was ſeker dat ſy nóyt malcander ſchryven, als van ſulcke ſieltersen*, id eſt, *eram certus, quòd nunquàm ſibi mutuò ſcribant, niſi de talibus nequitiis.*

25. Eſtque hujus Advocati judicium eò pluris faciendum, quòd præter integritatem, quâ apud utrumquemque commendatus eſt, non tantùm fuerit ab adverſa parte citatus ùt teſtis, verùm etiam, quòd inſcio Patre Deſirant, præfatum Nicolaum ita acceſſerit, & prædicta propoſuerit ad requiſitionem Judicis, prout declaravit in acta ſua de 13. Maii reproducta in judicio, & annexa ad uberiorem reſponſionem ſub n°. 13. Verba

ſunt: *Infraſcriptus Advocatus declarat, quòd fuerit citatus ex parte officii coram Magnifico Domino Rectore circâ negotium Petri Nicolai Tourteau, & quòd ab eo petitum fuerit à Domino Aſſeſſore, an non ſciret quo modo vel viâ dictus Tourteau recepiſſet, aut intercepiſſet litteras Domini Graſper, & quòd ad ea reſponderit, quòd illud non poſſet tunc præcisè dicere, ſed ſi ipſi daretur tempus in ſequentem diem, uſque in horam nonam, quòd veritatem rei denuntiaret. Itaque poſterâ die à ſecunda ſua depoſitione acceſſit dictum Tourteau apud Carmelitas Calceatos, & inter cætera exquiſivit ab eo, quomodo litteras Graſper intercepiſſet, qui declaranti apertè reſpondit, quòd eas inveniſſet & intercepiſſet apud Curſorem in Poſteria, & quòd videns inſcriptionem dictarum litterarum, eas ad ſe retraxerit. Et petens infraſcriptus, quomodo hoc auſus fuerit facere, repoſuit idem Tourteau, quòd certum ſibi conſtaret de contentis earum. Reponens infraſcriptus, quòd potuiſſent alia continere, quàm quæ ipſe ſibi figurabat; reſpondit iterùm quòd eſſet certus de earum contentis, quòdque continerent veritatem litteræ Clariſſimi D. van Eſpen, addens in verbis: Ick vvas ſeker, dat ſy malcanderen noyt iedt anders en ſchryven, als van alſulcke ſielterye,* id eſt, *eram certus, quòd ſibi mutuò numquàm aliud ſcribant, quàm de ſimili nequitia. Iterùm petens quarè illas aperuiſſet, reſpondit illud feciſſe in ſui defenſionem & juſtificationem, & ut omni tempore oſtendere potuiſſet* CONCORDANTIAM *cum litteris dicti Domini van Eſpen, & quòd in eum finem voluerit eas conſervare. Reponens infraſcriptus quòd malè feciſſet eas aperiendo, repetiit quòd debuerit illas aperire, ut ſe juſtificaret quoad litteras Domini van Eſpen.* Signatum erat *M. van Schoubroeck.*

26. Nec debet mirum videri, quòd reſponderit ſe illa feciſſe, *ut ſe juſtificaret.* Nam Pater Deſirant à Vicario Generali à paucis diebus monitus ipſum premebat, & objiciebat omnia excogitabilia ad probandam fidem ejus.

27. Tertius teſtis eſt Petri Confeſſarius R. P. Mathias Grauwels, qui in judicio ad art. 365. ſcedulæ contrariorum factorum reſpondit: *Quòd juniorem Tourteau interrogaverit, quâ vel cujus authoritate hanc interceptionem feciſſet apud Curſorem Regium?* Et ad art. 366. *Quòd junior Tourteau reſponderit ſe fuiſſe Bruxellis, & ibidem oretenùs accepiſſe facultatem &c.* Et ad art. 367. *Se putaſſe quòd verum diceret.* Ignoravit autem Pater Deſirant tunc, quòd Petrus Patri Grauwels ſic reſpondiſſet.

28. Numquàm autem Patri Deſirant hanc fabulam impegit, niſi poſt ſupradictas variationes, prout etiam dictus P. Grauwels depoſuit ad art. 363. & 364. quòd illi nec de ſcedula adulterina, nec de Patre Deſirant in hoc interceptionis negotio umquàm locutus fuerit. Eſt res poſteà ſuggeſta ab Adverſariis.

Digitized by Google

ſtantes ad aliam perſonam, ac etiam examinantem, quarè illas litteras intercepérat & aperuerat? Ad quæ infraſcriptus audivit dictum Petrum reponentem: Intercepi & aperui, quia benè ſciebam, quòd in illis continerentur mala.

21. Et ad art. 371. *Quòd junior Tourteau dixerit, quòd D. Rector Leunckens eſſet informatus de anterioribus, intelligens de litteris ſignatis Z. B. V. E. de quibus dicebat ſe egiſſe cum Domino Leunckens, & quòd idem Rector ei dixerat,* MEEMPT AL DAT GY CRYGEN CONT, *id eſt, cape quidquid potes acquirere: quæ ſunt formalia verba, quæ dictus Tourteau ſæpiùs infraſcripto audienti retulit, & ſic reſpondetur ad art.* 372.

22. Et ad art. 373. *Quòd Petrus hoc intelligebat de interceptione apud Curſorem, quæ cùm Eximius Pater non crederet, juſſit Dominum Rectorem Leunckens inſtanter moneri per Petrum Nicolaum, ut dignaretur ſe accedere, utpotè non valentem exire. Quas inſtantias per dictum Petrum ſingulis diebus iterari fecit, quia ſciebat ipſum acceſſum habere ad Dominum Rectorem, nam dicebat ſe apud eundem multa ſcribere.*

23. Et ad art. 374. *Quòd junior Tourteau dicebat ſe munitum iſtâ generali licentiâ Rectorali, determinaſſe ſe ſponte ſuâ, ut præcisè caperet illas litteras,* QUAS POSTEA DUM APERUIT, INVENIT ESSE ISTAS LITTERAS GRASPER. *Et addidit, quòd præcisè illas cepiſſet, quia inſcriptæ erant Domino Jacobo Krys, ad quem dicebat ſe ſcire non aliâ ſcribi, quàm de rebus Janſeniſticis.*

24. Secundus teſtis eſt D. Advocatus van Schoubroeck qui ad art. 143. ejuſdem ſcedulæ contrariorum factorum juratus depoſuit, *quòd Petrus Nicolaus Tourteau in Cœnobio Carmelitarum de ſe aſſeruerit, quòd ipſe intercepiſſet litteras Domini Graſper, & quòd eo deſuper à Deponente objurgatus repoſuerit, ſe illud feciſſe ad ſui juſtificationem, ut per hoc verificaret contentum litteræ de* 10. *Januarii.* Et ad art. 144. idem Advocatus van Schoubroeck reſpondit: *Quòd poſt objurgationem prædictam Petrus Nicolaus Tourteau ipſi repoſuerit, quòd ex inſcriptione dictarum litterarum certus eſſet, quòd continerent contentum litteræ de* 10. *Januarii. Et cùm Deponens reponeret, quomodò ipſe poſſet ſcire contenta dictarum litterarum, reſpondit in terminis: Ick was ſeker dat ſy noyt malcander ſchryven, als van ſulcke ſchelmerien, id eſt, eram certus, quòd nunquàm ſibi mutuò ſcribant, niſi de talibus nequitiis.*

25. Eſtque hujus Advocati judicium eò pluris faciendum, quòd præter integritatem, quâ apud unumquemque commendatus eſt, non tantùm fuerit ab adverſa parte citatus ùt teſtis, verùm etiam, quòd inſcio Patre Deſirant, præfatum Nicolaum ita acceſſerit, & prædicta propoſuerit ad requiſitionem Judicis, prout declaravit in acta ſua de 13. Maii reproducta in judicio, & annexa ad uberiorem reſponſionem ſub nº. 13. Verba

ſunt : *Infraſcriptus Advocatus declarat, quòd fuerit citatus ex parte officii coram Magnifico Domino Rectore circa negotium Petri Nicolai Tourteau, & quòd ab eo petitum fuerit à Domino Aſſeſſore, an non ſciret quo modo vel viâ dictus Tourteau recepiſſet, aut intercepiſſet litteras Domini Graſper, & quòd ad ea reſponderit, quòd illud non poſſet tunc præcisè dicere, ſed ſi ipſi daretur tempus in ſequentem diem, uſque in horam nonam, quòd veritatem rei denuntiaret. Itaque poſterâ die à ſecunda ſua depoſitione acceſſit dictum Tourteau apud Carmelitas Calceatos, & inter cætera exquiſivit ab eo, quomodo litteras Graſper intercepiſſet, qui declaranti apertè reſpondit, quòd eas inveniſſet & intercepiſſet apud Curſorem in Poſteria, & quòd videns inſcriptionem dictarum litterarum, eas ad ſe retraxerit. Et petens infraſcriptus, quomodo hoc auſus fuerit facere, repoſuit idem Tourteau, quòd certum ſibi conſtaret de contentis earum. Reponens infraſcriptus, quòd potuiſſent alia continere, quàm quæ ipſe ſibi figurabat; reſpondit iterùm quòd eſſet certus de earum contentis, quòdque continerent veritatem litteræ Clariſſimi D. van Eſpen, addens in verbis : Ick vvas ſeker, dat ſy malcanderen noyt iedt anders en ſchryven, als van alſulcke ſielterye,* id eſt, *eram certus, quòd ſibi mutuò numquàm aliud ſcribant, quàm de ſimili nequitia. Iterùm petens quarè illas aperuiſſet, reſpondit illud feciſſe in ſui defenſionem & juſtificationem, & ut omni tempore oſtendere potuiſſet* CONCORDANTIAM *cum litteris dicti Domini van Eſpen, & quòd in eum finem voluerit eas conſervare. Reponens infraſcriptus quòd malè feciſſet eas aperiendo, repetiit quòd debuerit illas aperire, ut ſe juſtificaret quoad litteras Domini van Eſpen.* Signatum erat *M. van Schoubroeck.*

26. Nec debet mirum videri, quòd reſponderit ſe illa feciſſe, *ut ſe juſtificaret.* Nam Pater Deſirant à Vicario Generali à paucis diebus monitus ipſum premebat, & objiciebat omnia excogitabilia ad probandam fidem ejus.

27. Tertius teſtis eſt Petri Confeſſarius R. P. Mathias Grauwels, qui in judicio ad art. 365. ſchedulæ contrariorum factorum reſpondit : *Quòd juniorem Tourteau interrogaverit, quâ vel cujus authoritate hanc interceptionem feciſſet apud Curſorem Regium?* Et ad art. 366. *Quòd junior Tourteau reſponderit ſe fuiſſe Bruxellis, & ibidem oretenùs accepiſſe facultatem &c.* Et ad art. 367. *Se putaſſe quòd verum diceret.* Ignoravit autem Pater Deſirant tunc, quòd Petrus Patri Grauwels ſic reſpondiſſet.

28. Numquàm autem Patri Deſirant hanc fabulam impegit, niſi poſt ſupradictas variationes, prout etiam dictus P. Grauwels depoſuit ad art. 363. & 364. quòd illi nec de ſcedula adulterina, nec de Patre Deſirant in hoc interceptionis negotio umquàm locutus fuerit. Eſt res poſteà ſuggeſta ab Adverſariis.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

Confutatio decimi-ſeptimi gravaminis: *quòd dictus Reus litteras aliquas pluribus diſtinctis vicibus interceptas, tot diſtinctis vicibus ab eodem Tourteau ad ſe utì tales delatas acceperit, & acceptarit, notanter Henrici Graſper.*

1. NE mireris, Lector, quòd jam primùm videas articulum individuatum per voces, *notanter Henrici Graſper*. Scire tuum eſt, quòd hæ voces primitùs in articulo non extiterint. Fatigatus autem Pater Deſirant vagâ illâ & generali expreſſione nolebat ampliùs reſpondere, niſi D. Henricus Malcorps diſtinctis terminis deſignaret, de quibus litteris hic articulus ageret: atque tunc dictus Henricus ſpecificationem iſtam, *notanter Henrici Graſper*, addi paſſus eſt.

2. Et quamvis ſciret has litteras nonniſi tribus præciſè vicibus interceptas atque allatas fuiſſe, voluit tamen hærere in terminis generalibus, per voces, *pluribus diſtinctis vicibus*; idque in eum finem, ut Patrem Deſirant incertum teneret in omnibus, ejuſque defenſionem redderet impracticabilem, cùm tamen ipſe in ſua Concluſione finali art. 61. turpi rursùs contradictione ſuſtineat, quòd Pater Deſirant *ſpecificè allegare debebat, ſi quid prætendebat ab eo* (Doctore van Eſpen) *dictum eſſe, quòd cum veritate non concordaret: undè adversùs vagas ejuſmodi & indeterminatas aſſertiones Actor impendit generalia juris.* Id eſt, reſpectu Doctoris van Eſpen omnia debuiſſent eſſe ſpecifica, non verò reſpectu Patris Deſirant tanta partialitas invaluerat.

3. Non poterat P. Deſirant, nec volebat negare quod verum erat, ſe nimirùm illas litteras tribus vicibus, id eſt, diebus 16. 20. & 23. accepiſſe; quia verò aliquot diebus anteà, nimirùm 30. Aprilis, 2. & 4. Maii incœperat exponere bonum ſuum finem, ideo hâc nonâ Maii, ad articulum hunc 17. reſpondit, *tranſeat in bonum finem.* Hunc bonum finem etiam breviter expoſuit in ſua uberiori reſponſione.

4. Non potuit autem ſcire, quid Adverſarii objicerent, quid intenderent, quas circumſtantias urgerent; nullas enim expreſſerant, omneque ſtudium adhibuerant, ut nè quidem Pater Deſirant cognoſceret, ſuper quibus articulis teſtes interrogati fuiſſent. Omnis Chriſtianus Judex horrebit, dum talia leget. Vera ſunt tamen, & nihil clarius conſtat ex actis, prout ſæpiùs oſtenſum eſt.

5. Dicunt articulo 646. *Prætendit Actor quòd Reus non tantùm ſit receptator,*

Digitized by Google

tor, *ſed primarius hujus ſpolii author & inſtigator*, *& ut talis puniendus ſit*. Leges ſcilicet circa receptatorum pœnas variant, & teſte Brunnemanno in legem *permiſſum* ff. de recept. eadem pœna decernitur receptatoribus, quæ latronibus, id eſt mors; Codex verò eodem titulo alternativè loquitur, *aut ſupplicium corporale*, *aut diſpendium facultatum pro arbitrio Judicis*, decernens. Idcircò tutius eſſe putaverunt Patrem Deſirant non receptationis, ſed primarii ſpolii reum agere, ut pœna mortis, quam concupiſcebant, ſecuriùs impetrarent. *Et ut talis* PUNIENDUS SIT, inquiunt.

6. Cogitate obſecro, quonam ſenſu tota Chriſtianitas acceptura ſit, quòd jam planè conſtet, quòd quantùm in vobis erat, nolueritis hanc cauſam decidi in Tribunali Eccleſiaſtico; ſed in præſenti rerum periſtaſi cuncta elementa moveritis, ut traheretur ad judicium laicum. Dicite viri innocentiſſimi atque integerrimi, prout à vobis ſolis appellamini, numquid jam Pater Deſirant poteſt à vobis petere, *quæ utilitas in ſanguine meo?*

7. Cùm verò Adverſarii Concluſionem ſuam finalem impleverint contradictionibus continuis, non omiſerunt etiam in hoc puncto ſibi contradicere, ubi dicunt art. 650. *Receptator enim dicitur, qui res furtivas celat & abſcondit*, *aut etiam eaſdem à furibus emit*, *utilitate pretii allectus* : *qui verò alium emittit*, *ut aliena ſurripiat*, *res furtivas ad ſe deferat*, *in commodum & uſum emittentis ceſſuras*, *ille non receptator*, *ſed primarius author furti*, *ſivè fur per alienas manus dicendus eſt*, *eòque nocentior*, *quòd & proprii & alieni ſceleris author ſit.*

8. Ecce quàm citò à ſententia dejiciantur. Pater Deſirant articulo 647. erat *ad minùs receptator*. Articulo verò 650. incipiunt ſe reflectere ad definitionem receptationis. Vident quòd definitio non conveniat; nam nec Pater Deſirant quidquam celavit vel abſcondit, ſed ſtatim Magnifico D. Rectori oſtendit; multò minùs aliquâ pretii utilitate illectus fuit. Igitur non fuit receptator.

9. Hoc ſciebatis ab initio. Quarè debebatis hunc articulum ponere? ſi volebatis Patrem Deſirant Reum agere furti principalis, quarè debebatis chartam implere inutilibus iſtis articulis 647. & 648.?

10. Debebatis ab initio incipere à furto, prout in articulis 649. & 650. præclarè hæretis. Appetitus veſter debet expleri. Leges circa receptatorum pœnas dubiæ ſunt, prout ſtatim ex Brunnemanno vidimus.

11. De furibus non eſt dubium quin ſuſpendantur. Vitam quæritis, nec fas eſt ſperare, ut abſtineatis, niſi abſtuleritis; quarè conſultiùs furtum urgetis. Furti pœnas à Patre Deſirant coram Judice ſæculari expoſcitis. Verba veſtra ſunt : Art. 649. *prætendit Actor quòd Reus*, *id eſt*, *Pater Deſirant*, *non tantùm ſit receptator*, *ſed primarius hujus ſpolii author & inſtigator*, *& ut talis puniendus ſit.*

Digitized by Google

12. Non poſſunt verba dari clariora. Hujus ſimilitudinem habemus in Sto. Athanaſio, cujus hæc ſunt verba: *Quam autem nos perditos, criminatores voluerint, ſatis conſtat ex iis quæ denuò committunt, quibus ſtudium ſuum,* SANGUINARIAMQUE VOLUNTATEM *egregiè produnt.* Apologiâ primâ, pag. 162.

13. Arriani incœperunt deficere, quando Orbis Chriſtianus vidit quòd viri cæteroqui in exterioribus commendabiles, eòuſque deſævirent, ut ſub veſtimentis ovium Adverſarios ſuos adinſtar luporum rapacium ad ſupplicia quærerent. Fuit hæc ipſorum obcæcatio, juſtiſſimo Dei judicio inflicta, ut in mediis modeſtiis tam crudeliter efferveſcerent, nè ullus Catholicus eis adhærendo excuſabilis foret. *Mentem perdiderunt*, inquit Stus. Athanaſius, *impetu ad proſequendum rapiuntur, & in quærendo ad necem, ſuam impietatem non animadvertunt.* Apol. de fuga ſua pag. 165.

14. Impendamus tamen etiam momenta juris, & calumnias diſpellamus. Quòd Pater Deſirant nullâ ratione poſſit receptator dici, ex ipſa receptationis definitione liquet. *Receptare, eſt proprium refugium abſcondendi causâ, præſtare Reo, in agro, vel in ædificio*, inquit Julius Clarus lib. 5. §. fin. ad quæſt. 90. n. 22. & citat Salic. in l. 1. *de his qui latrones.*

15. Atqui probatum eſt quòd P. Deſirant Petro non præſtiterit refugium ad litteras illas abſcondendas, ſed quòd acceperit tamquàm latas de mandato Rectoris, cum intentione, quam ſtatim eidem Petro manifeſtavit, illas monſtrandi eidem Rectori, prout reverà monſtravit die 23. & 25. ejuſdem Februarii; nulla ergo hic receptatio commiſſa fuit.

16. Præterea has litteras non acceptavit, niſi poſtquàm Petrus firmiter aſſeruerat, tantas in iis conſpirationes detineri, ut Pater Deſirant meritò metueret Reus haberi, niſi de manifeſtatione ſollicitus fuiſſet, prout oſtendetur infrà Capite 20. art. 4. & ſeqq.

17. Inſuper, prout Capite præcedenti oſtenſum eſt, Petrus fatebatur ſe intercepiſſe, & intercepiſſe de mandato Rectoris Leunckens. Pater Deſirant aliundè ſciebat, quòd Rectori familiaris eſſet, & varia pro illo ſcriberet, & ab eo dependeret. Nec debebat, nec poterat ipſi in mentem cadere, quòd Rectoris nomine abuti auderet. Debebat ergo Rectori manifeſtari interceptio ratione Petri, & quòd interceptio diceretur facta fuiſſe de mandato Rectoris, ratione Rectoris. Et nè Petrus potuiſſet negare, quamquàm id coram teſte dixiſſet, prout oſtendimus; etiam ex hoc capite litteræ ſervandæ erant, ut Rector videret.

18. Denique Pater Deſirant litteras acceptavit, tamquàm exiſtens de Magiſtratu ſtrictæ Facultatis Theologicæ, cujus nota eſt œconomica juriſdictio in iis, quæ ad fidem & mores pertinent. Non ergo accepit fur-

Digitized by Google

tivè, & ut abſconderetur, & Domino aliquid decederet, quod in ſuam utilitatem, ſivè in totum, ſivè in partem cederet, ſed ut examinaretur, & publico provideretur.

19. Æquè frivolum eſt, quòd ex parte Patris Deſirant ad furtum concurſum fuiſſet. Furtum definitur: *Contrectatio rei alienæ fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſûs & poſſeſſionis.* Et ita apud Julium Clarum definit. jur. in l. 1. §. Furtum. ff. de Furt.

20. Atqui Pater Deſirant non fecit contrectationem fraudulosam, ſed officio ſuo convenientem, cum intentione manifeſtandi Judici Superiori, prout etiam manifeſtavit, nec ullum inde lucrum exſpectavit, ſed tantummodò quæſivit, ut res innoteſceret Superioribus ad avertenda mala, quæ imminebant; nec rem poſſedit, cùm numquàm retinuerit, volendo facere ſuam; nec uſus fuit in privatum commodum, ſed ſimpliciter publicæ Poteſtati detulit; nulla ergo vel tenuiſſimè apparens furti ratio in ejus facto occurrit.

21. Audiamus tamen contradictores ſibi more ſuo repugnantes, *in caſu autem præſenti talis aliquis principalis author fuiſſe debet: quandoquidem nullus hujus ſpolii appareat uſus, quem dictus Tourteau feciſſet, aut intendiſſet, niſi illas ſurreptas ad Reum deferre, ob quod ſolum nullus ſe tanto periculo exponere ſolet*, inquiunt art. 651.

22. Quaſi verò, quia vobis lubitum eſt, contra propriam conſcientiam veſtram aſſerere, *quòd nullus hujus ſpolii uſus appareat*; hinc per ſophiſmata veſtra ritè in jure concludatur, nullum talem uſum reſpectu Petri fuiſſe. Legite ergo iterùm citatam præcedenti Capite D. Advocati van Schoubroeck depoſitionem relatam n. 32. ibi audietis Petrum de hoc ſuo uſu dicentem: *Se illud feciſſe ad ſui juſtificationem, ut per hoc verificaret contentum litteræ de* 10. *Januarii.* Et Petri facta conſonant. Non enim tantùm Rectorem ad Patrem Deſirant vocavit, ſed illas ipſas litteras die 8. Martii Rectori denuntiavit. Hic eſt verus uſus, quem Petrus aſſiduè præ ſe tulit, ut verificaret antecedentia, & Judicibus præſentia detegeret.

23. Art. 669. objiciunt quòd P. Deſirant numquàm de hac interceptione Petri Patrem monuerit, aut Magiſtrum rei curſoriæ.

24. Non debuit autem monere, antequàm Rectori, de cujus mandato dicebantur interceptæ & allatæ fuiſſe, locutus fuiſſet, idque ob rationes jam datas; & ſatisfecit, ſingulis diebus ipſum Petrum, alioſque eminentes Viros mittendo, ut Rector dignaretur ad ſe venire, utpotè non valentem exire.

25. Art. 674. de hac Rectoris vocatione loquuntur, putantque ſe aliquid magni dicere, quòd ex Patris Deſirant reſponſionibus ſequeretur Rectorem bis vocatum fuiſſe. Dd 2

Digitized by Google

26. Imòverò fuit vocatus pluſquàm ſepties. Has *inſtantias per dictum Petrum ſingulis diebus iterari fecit*, inquit P. d'Herbe ad art. 373. ſcedulæ contrariorum factorum. Et infrà: *Cùm autem D. Rector non veniret,..... impendit etiam operam Eximii Domini Parmentier, quem infraſcriptus circa iſtud tempus apud Eximium Patrem vidit.* Addere licet, quòd etiam requiſiverit D. Advocatum Marriot, qui D. Rectorem etiam in hunc finem acceſſit, & vocare dignatus fuit. *Et tandem D. Rector circa 23. acceſſit Eximium Patrem; dans pro ratione ſcientiæ, quòd infraſcriptus Dominum Rectorem viderit apud Eximium Patrem.* Ibidem.

27. Art. 655. Patri Deſirant objiciunt, *ipſe eſt, qui interceptis his litteris uſus eſt, ut concordantiam inſulſiſſimam & nequiſſimam conficeret, inter dictas litteras & Librum Congregationum, ut inde fictio huic Libro ſpeciem aliquam conciliaret, quam concordantiam etiam exhibuit cum ſuo reſponſo ſub n. 1. Et art. 5. dicti reſponſi fatetur, ſe eam variis oſtendiſſe.*

28. Pater Deſirant concordantiam fecit, ad experiendum, utrùm Petrus dixiſſet verum, referens ſe illas litteras intercepiſſe de mandato Rectoris, & *concordantiam* inveniſſe. Et poſtquàm deprehendit ipſum veritatem dixiſſe, ſcripto quod fecerat, *concordantiæ* nomen conceſſit, quod à Petro audiverat.

29. Nec Petrus dixit hoc ſoli Patri Deſirant, ſed etiam præfato D. Advocato van Schoubroeck, cujus verba retulimus Capite præcedenti n. 24. *Iterùm petens quarè illas accepiſſet, reſpondit illud feciſſe in ſui defenſionem, & juſtificationem, & ut omni tempore oſtendere potuiſſet* CONCORDANTIAM CUM LITTERIS DICTI DOMINI VAN ESPEN. Quòd concordantiam illam appelletis *inſulſiſſimam & nequiſſimam*, non invidemus, cùm ſit ſcriptorum veſtrorum: ſatis nobis eſt, eam veriſſimam eſſe, prout alibi oſtendimus. Falſatis autem & truncatis citatum uberioris reſponſionis articulum, ubi non dicit P. Deſirant, ſimpliciter *ſe eam variis oſtendiſſe*; ſed verba illius fuerunt: *Tantam verò viri præclari inter utraſque, tùm in inſcriptionibus, tum in materiis, tum in modo & forma admirantur concordantiam [hîc ſub n. 1.] ut ex eodem fonte profluxiſſe videantur.* Unus ex his viris fuit Doctor Daemen, qui ad art. 89. ſcedæ contrariorum factorum juratus depoſuit: *Quòd propter illam concordantiam judicaret dari pondus pro veritate.*

30. Objiciunt art. 689. *Quid enim magis ridiculum, quàm juvenem, cui prætendit ſe diffidere, in propria cauſa mittere ad teſtem talem, qualis eſt Magnificus Dominus Rector, adducendum, & juveni reverſo credere, abſque ulteriori examine, præſertim attento, quòd idem Rector Magnificus, uti Tourteau prætenditur retuliſſe, primâ vice non venerat.*

Digitized by Google

31. Diſſidebat & credebat, diffidebat propter rei magnitudinem, credebat propter eam, quam ſciebatur Petrum cum Rectore habere familiaritatem.

32. Pergunt art. 691. *Imò ſi fortè rem ſcripto confidere non auderet, aut non vellet, habebat fidum ſuum Miniſtrum & Amanuenſem R. P. Franciſcum d'Herbe, qui totius myſterii conſcius fuit, ut nihil eum celare debuiſſet.*

33. Pater Deſirant plus fecit: miſit enim Doctorem Parmentier, & D. Advocatum Marriot, qui fuerunt dignati Rectorem advocare, & Rector advênit die 23. & rediit die 25. dicti menſis Februarii, prout dictum fuit.

34. Objiciunt prætereà art. 694. *Evidens eſt, quòd etiam poſtquàm Reus,* id eſt Pater Deſirant, *ex ipſomet Rectore intellexit, ſe hujus ſpolii eſſe planè ignarum, non tamen deſtiterit alias rurſùs de novo interceptas recipere.*

35. Contradicitis vobis in tempore. Rector Patri Deſirant adfuit à medio quintæ uſque poſt ſextam, & Petrus ſciens Rectorem Patri Deſirant adeſſe, tertiam interceptionem fecit circa horam quintam, proindeque non fuit tempus, ut Petrum moneret. Quando tertium faſciculum tulit pariter apertum, Pater Deſirant illum admonuit, dixitque quòd Rector dixiſſet, ſe de illis litteris nihil ſciviſſe. Tunc Petrus perſtitit, quòd Rector valdè ſurdaſter eſſet, & quòd Pater Deſirant forſan nimis modeſtè locutus fuiſſet. Sciebat Pater Deſirant, ſe non fuiſſe altè locutum; ideoque Petrum iterùm ad Rectorem miſit, & Petrus die ſequenti redux retulit ſe Rectori plenè ſatisfeciſſe, monuitque ut imposterùm altiùs cum ipſo loqueretur, nam quòd iterùm die ſubſequenti ad Patrem Deſirant venturus eſſet, prout reverà venit die 25. Februarii, & Pater Deſirant tunc primùm obſervavit, quòd non parùm, ſed multùm ſurdaſter eſſet, eique rurſùs cuncta oſtendit, etiam tertium faſciculum, & Rector Patri Deſirant attulit chartam quamdam originali Doctoris van Eſpen manu ſignatam, & contulerunt eam cum litteris anterioribus, neque Rector quidquam ampliùs contra Petrum locutus fuit, ita ut Pater Deſirant meritò crederet, Petrum dixiſſe veritatem, referendo quòd Rectori plenè ſatisfeciſſet.

36. Quærunt art. 702. *Quarè à Domino Rectore priuſquàm de hoc negotio loqueretur, requiſivit ſecretum naturale, uti habet art. 321. Proviſionalis intendit?*

37. Factum id fuit triplici de cauſa. Primò, quia Pater Deſirant Petro ſecretum promiſerat, tamquàm ex ſacramentali Confeſſione proficiſcens, prout ſæpiùs dictum eſt, ideoque ſicut nulli alteri communicaverat niſi ſub ſecreto, ita neque Rectori aliter ſignificatum oportuit, quantùm erat ex parte ſua. Si Petrus aliqua vel omnia Rectori dixerat, fuerat hoc in

Digitized by Google

illius poteſtate, prout poſteà conſtitit, quòd anteà plurima inſcio Patre Deſirant revelaverit Domino Licentiato Raeymaeckers, quia præſumebat hunc Rectori in officio ſucceſſurum eſſe, prout etiam ſucceſſit. Secundò, quia Pater Deſirant firmiter ſtatuerat neminem denuntiare, vel accuſare, neque etiam diffamare. Nè ergo Rector dicta Patris Deſirant acciperet tamquàm denuntiatoria, vel accuſatoria, prout aliquis Rector anteà quemdam captaverat in verbis ſuis, in cauſa Caroli du Cellier, & nè poſſet aliquis poſteà dicere, quòd aliquem diffamaſſet, ideo etiam hanc circumſpectionem adhibuit. Tertiò, quia Rector intra tres quatuorvè dies, id eſt, 28. Februarii, finiturus erat Rectoratûs ſui terminum, ideoque à ſecreto incipiendum fuit, ut inter diſcurrendum intelligeret, an forſan Rector ſuggeſſurus eſſet aliquid, propter quod jam incipere vellet. Quo caſu Petrum coram Rectore vocaſſet, ut ille feciſſet, quod ex Rectoris, cui fidebat, conſilio reſultaſſet.

38. Hinc corruit art. 703. *Si in ſua expoliationis excuſationem Petrus licentiam Rectoris allegabat, certè impertinens erat petere ſecretum naturale à Rectore, ut veritas haberetur.*

39. Non enim ſecretum reſpiciebat interceptionem à Petro factam, ſed anteriora; & idcircò claris & diſtinctis terminis Rectori dixit, prout ipſimet confitemini veſtro art. 697. quod juxta citatos illic articulos Proviſionalis intendit, *Eximius Pater reſponderit, juvenis ille Tourteau ad nos detulit, & intercepit, & ulteriùs interrogaverit, nihilnè vobis dixit?* Non ergo Pater Deſirant Petri interceptionem Rectori celavit, ſed revelavit.

40. Rursùs quærificant articulo 705. *Denique cur Petrum tamquàm furem & expilatorem domûs curſoriæ à ſe non repulit, ſaltem poſtquàm à Rectore intellexit, Petrum falsò aſſeruiſſe de licentia & ſcitu* [Addite, & de mandato, in verbis, *neempt al dat gy crygen kont*, id eſt, *cape quidquid potes acquirere*] *Rectoris interceptionem litterarum à ſe factam fuiſſe, ſed è contrario apud ſe retinuit, fovit, quin & ipſius operâ uſus eſt, uti ex actis ipſis probatur?*

41. Si quid Petro injungendum fuiſſet, hoc à Rectore fieri tunc debuiſſet, nam Rector tunc ſcivit, prout agnoſcitis. Petrus non erat ſubditus Patris Deſirant, vel Theologicæ Facultatis, ſed Rectoris. Non ergo Patrem Deſirant, ſed Rectorem quærificate, cur ille Petrum tamquàm furem & expilatorem domûs curſoriæ à ſe non repulerit. Hunc interrogate, quarè Petrum apud ſe retinuerit, foverit, & illius operâ uſus fuerit. Rector enim Patri Deſirant reſponderat ſatis tenuiter. Cùmque Petrus die 24. Februarii ad Patrem Deſirant rediret, & referret quòd Rectori ſatisfeciſſet, & quòd Rector cuperet, ut etiam tertium faſciculum ſervaret, nam quòd Rector die 23. rediturus eſſet; quando Pater

Digitized by Google

Deſirant illâ die 25. Rectorem vidit, tunc etiam illi tertium faſciculum oſtendit, & Rector nihil contradixit.

42. Ultima quarificatio effertur art. 706. *Quarè non mox, ut à Rectore falſitatem intellexit, ipſas interceptas literas à ſe dimiſit, & Rectori tradidit, Petrumque ſuper hoc nefando crimine interrogandum & puniendum Rectori denuntiavit?*

43. Petunt iſta, cùm reſponſum illis fuerit ad nauſeam in citatô proviſionali intendit, cui non audent contradicere. Verba articuli 333. ſunt: *Quòd Eximius Pater petierit à dicto Domino Leunckens, quid ipſi videretur de tali negotio, & quid in eo faciendum?* Et art. 334. *Quòd D. Leunckens reſponderit, Formulare, ſi verum ſit, eſſe horrendum, cæterùm in hoc negotio nihil poſſe conſulere, ex eo, quòd futurus eſſet Judex, ſi ad Rectorale Tribunal pro tempore deduceretur.* Et art. 335. *Quòd Eximius Pater in eum caſum ei commendaverit juſtitiam, & expeditionem ejuſdem.* Et art. 336. *Quòd Conſ. D. Leunckens reſponderit, ſi Eximius Pater, vel ſacra Facultas velit aliquam actionem, vel denuntiationem deſuper inſtituere, ſemper pro juramento adminiſtrabo juſtitiam.* Et art. 337. *Quòd P. Deſirant reſponderit, nec ſe, nec ſacram Facultatem velle denuntiare, ſed hoc relinquere aliis.* Et ad art. 338. *Quòd D. Leunckens reſponderit tantùm ſupereſſe quatuor aut quinque dies Rectoratûs ſui, & incertum eſſe, an continuaretur, proindeque tutiùs exſpectandum novum Rectoratum.* Ecce rem.

44. Rogant denique, quarè Pater Deſirant non monuerit Magiſtrum rei curſoriæ? Quamquàm reſponſum ſit ſatis, breviter repetemus cauſas tres. Primò, quia hoc non erat officium Patris Deſirant. Secundò, quia Petrus die 24. Februarii retulerat Curſoris ædes ſibi à dicto Magiſtro interdictas fuiſſe. Tertiò, quia hoc erat officium Rectoris, qui jam ſatis informatus fuerat, prout Adverſarii confitentur.

45. Ex hactenùs dictis patet, quòd Adverſarii nullam prorsùs habuerint probationem, ut intentionem ſuam probarent. Omnia verſantur in ſophiſmatibus, in interrogationibus, *quarè hoc, & quarè illud?* Prætereàque nihil. Econtrà Pater Deſirant, non tantùm ad ipſorum ſophiſmata & captioſas interrogationes abundanter reſpondit, verùm etiam de ſingulis circumſtantiis probationes attulit.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

Confutatio decimi-octavi gravaminis: *quòd dictus Reus plures ex illis ſignanter, quæ in aliis incluſæ erant, aperuerit.*

1. CUm hic articulus ſatis circumſtantionatus eſſet, Pater Deſirant ſimpliciter reſpondit per verbum *negat.*

2. Nonnihil tamen obſcurus eſt articulus, niſi explicetur. Notandum quòd faſciculus primus habuerit cooperculum commune, & quòd in illo impactæ fuerint variæ litteræ diverſorum in Hollandia ſcriptæ, quæ remittebantur, & item una Epiſtola Henrici Graſper ad D. Jacobum Krys, ſed anonyma. Nihil harum litterarum ſeu ſcriptorum ſubſignatum erat. Erant etiam in eodem faſciculo duæ Epiſtolæ ejuſdem Henrici ad duas perſonas alias, & hæ habuerant cooperculum particulare clauſum. Quæſtionem movent Adverſarii de hiſce duabus litteris.

3. Pater Deſirant ad hoc gravamen in ſua uberiori reſponſione dixit art. 288. *Non ſolùm Petrus Nicolaus eas tulit apertas, verùm etiam expreſſis terminis dixit, ſe afferre litteras Graſper. Si nunc dignetur Magnificentia veſtra primum litterarum faſciculum introſpicere, inveniet quòd omnes litteræ ſint anonymæ, exceptis ſolis duabus introcluſis, de quibus quæſtio, quarum una ſignata eſt, H. Graſp. & altera H. Graſper. Ex quo evidenter conſequitur, quòd Petrus non potuerat cognoſcere nomen Graſper, niſi etiam illas introcluſas aperuiſſet. Eadem ſiquidem curioſitas, quæ ipſum impulerat, ut aperiret faſciculum & legeret, extenderat ſe etiam ad introcluſas.*

4. Ad hoc argumentum Adverſarii more ſuo in tota Concluſione finali non reſpondent. Non enim audent dicere, quòd Petrus aliundè ſciverit has eſſe litteras Henrici Graſper. Ipſorum intereſt, ut maneant in eo, quòd Petrus id neſciverit, nè, ſi ſciviſſe diceretur, negotium proderetur: quia ſatis nôrunt, & confitentur, quòd non potuiſſet illud ſciviſſe à Patre Deſirant. Et ut dicerent quòd Petrus aliundè ſciviſſet, at quomodò Petrus digito potuiſſet Patri Deſirant oſtendiſſe nomen Graſper, niſi litteras, in quibus ſolis illud nomen exprimebatur, aperuiſſet?

5. Audiamus denuò R. Patrem Franciſcum d'Herbe, qui præſens fuit. Ita in judicio depoſuit ad art. 366. *Quòd 16. Februarii fuerit in quarterio Eximii Patris Deſirant, quando Petrus Nicolaus Tourteau attulit primum faſciculum litterarum Graſper, & addit, quòd tunc temporis ille faſciculus fuerit allatus apertus, & quòd pariter apertas viderit omnes litteras, quæ in dicto ſic allato faſciculo continebantur, nullâ exceptâ, & nullam viderit clauſam.*

6. Ni-

6. Nihilominùs Adverſarii objiciunt art. 717. *Reus habendus eſt author apertionis litterarum, niſi probet alium eſſe authorem.*

7. Pater Deſirant probavit hoc non tantùm per atteſtationem R. Patris d'Herbe ſtatim relatam, verùm etiam per ipſam declarationem Petri, tam antè, quàm poſt variationes ſuas datam, in deductione art. 18. *Aperuit coopercula, & tulit ad prædictum Eximium Patrem*, inquit.

8. Recordamini ſaltem, quòd ad ſtabiliendam prætenſam Doctoris van Eſpen innocentiam, nihil prorsùs habeatis, quàm dicti Petri violentatam retractationem non juratam. En verba veſtra art. 723. *Petrum Nicolaum pejeraſſe, idque ex certa ſcientia, dum quintâ Martii coram Magnificentia veſtra præſtito juramento depoſuit.... conſtat ex ipſius Petri ultronea & conſtanti confeſſione.* Oſtendimus tamen ſatis hanc Petri confeſſionem non fuiſſe ultroneam, ſed minis extortam, obtentamque promiſſis: neque conſtantem, cùm metus immiſſus fuerit, cadens etiam in conſtantem virum. Denique non fuiſſe juratam. Leviter proſilitis ad art. 724. *Id igitur hîc duntaxat quæritur utrùm Reus*, id eſt Pater Deſirant, *fuerit principalis author & inſtigator hujus perjurii.* Quid quæritis authorem, ubi habetis authores coactionis.

9. Rident illa Viri docti & ſenſati, nolle Petro jurato credere, eidemque varianti & non juranti velle obſtinatam fidem dare. Suprà oſtendimus, quòd ne morienti quidem credendum ſit, niſi contra ſe, dum ſe in judicio falſum depoſuiſſe aſſerit. Qui enim ſe falſarium dicit, falſificat ſe in omnibus, quæ poſteà dicit.

10. Protulimus præterea Patrem d'Herbe, quem quidem reum egiſtis criminum, quæ vos ipſi perpetraveratis, ut hoc iniquo modo ejus fidem frangeretis. Vicit autem, & per hoc fides ejus ſatis reſtituta eſt. Si poſſetis eum convincere, quòd in judicio depoſuiſſet actam quamdam falſitatibus, contradictionibus, textuum corruptionibus, ſacrilegiis, & perjuriis plenam, tunc aliquid diceretis. Hoc autem eſt extra veſtram poteſtatem. Nec ipſe Janſeniſta eſt: quinimò, nec picem quidem illam vult tangere, nè conquinetur ab ea. Verba objicitis, nos facta monſtramus.

11. Perſiſtunt tamen art. 720. *Igitur veriſſima & ſincera apparet depoſitio Petri Tourteau de 26. Martii 1707. quâ candidè fatetur* [ſcilicet jam factus fuerat veſter Candidatus] *ſe apud Curſorem intercepiſſe tres faſciculos litterarum, idque ſe feciſſe ex ſuaſu & inſtigatione Eximii Patris Deſirant, qui interrogato dixerat in ſubſtantia, debes conari accipere Epiſtolas deſtinandas ad D. Krys, D. de Swaen, & D. de Graef, D. vanden Neſſe, ad Domicellam van Bondt, D. du Cellier, D. Vice-Paſtorem Stæ. Catharinæ, ad videndum, an ex eis nihil poſſet erui pro confirmando Libro Reſolutionum.*

Digitized by Google

12. Iterùm adſertis contradictoria. Nam Petrus veſter in ſua deductione declarat, quòd Pater Deſirant neminem nominaverit. En verba deductionis art. 203. ubi litteris curſivis exprimitur, quid Pater Deſirant quaſi terminis formalibus dixiſſet, *ſi vellet Reus*, id eſt Petrus Tourteau, *ſe poſſe facere opus gratiſſimum Illuſtriſſimis Dominis Inter-Nuntio, & Archiepiſcopo, nimirùm ſubtili modo intercipiendo apud Curſorem ſeu Poſtam, litteras, quas judicaret eſſe ſcriptas à Janſeniſtis deſtinandas de Janſeniſmo ſuſpectis.*

13. In Concluſione finali dicitur, quòd Pater Deſirant judicaviſſet, quinam illi eſſent, & quidem, quòd eos nominâſſet. In deductione autem dicitur, quòd Pater Deſirant neminem nominaſſet, ſed quòd Petrum excitaviſſet, ut interciperet litteras, *quas judicaret eſſe ſcriptas à Janſeniſtis deſtinandas de Janſeniſmo ſuſpectis.* Tam impudenter & inſolenter mentiuntur, ut licèt omnes fictiones ſuas ſtudioſo ſcripto exaraverint, expreſſerintque, non fuerint tamen recordati in uno loco, quid de eadem materia finxerint in alio. Tam impoſſibile eſt mentiri conſequenter.

14. Has Petri contradictiones confirmant art. 721. per depoſitionem Claræ Leemans, uxoris dicti Petri, *quæ interrogata an non adierit Patrem Deſirant vel Patrem d'Herbe ad petendum conſilium, poſtquàm intellexiſſet, quòd maritus ſuus pateretur difficultates occaſione interceptionis litterarum?*

15. Sollicita interrogatio. Mirum, quòd non fuerit inſtructa reſpondere quòd fuiſſet locuta Patri Deſirant, qui eam numquàm viderat. Sed fuit tantummodò inſtructa, ut dixerit ſe acceſſiſſe Patrem d'Herbe.

16. Itaque eodem articulo mulier introducitur tamquàm declarans, ſe acceſſiſſe ſolum Patrem d'Herbe: & quòd ab illo rogaſſet, *benè, Reverende Pater, quarè uſus fuiſti meo marito ad interceptionem iſtarum litterarum, & non alio? Ad quod prædictus Pater d'Herbe reſpondebat, eſt ad dandum marito tuo plenum honorem, hæc negotia detegendi.* Riſum teneatis amici? Quaſi verò Pater d'Herbe tali mulieri talia adulatoria dediſſet reſpectu talis mariti. Sunt omnia ficta, prout ex ſuperioribus ejuſdem Patris aliorumque depoſitionibus oſtenſum fuit. Non ſic Petrus locutus fuit Confeſſario ſuo, non ſic D. Advocato van Schoubroeck, non ſic aliis. Quid hæremus in nugis?

17. Videamus nunc Concluſionem, quam ex ſuis contradictionibus corradunt art. 722. *Sicuti reſponſa & allegata ipſius Rei*, id eſt Patris Deſirant, *fictionem & falſitatem oculis legentium objiciunt, præſertim ſi cum ſuis circumſtantiis conſiderentur* (hoc Lector judicabit) *ita è contrario reſponſa Petri ejuſque uxoris, tam cum ſuis circumſtantiis, quàm per ſe ſimpliciter conſiderata, ſimplicitatem & ſinceritatem ſpirant, & legentibus objiciunt.*

18. Jam Petrum, quem ſuprà appellaverunt falſarium, ſacrilegum, &

Digitized by Google

perjurum, reduxerunt ad ſimplicitatem & ſinceritatem, plenamque cum uxore ſua concordiam, immemores, quòd eandem mulierem articulo 101. his verbis laudaverint: *Clara verò Lemans uxor ejus plura dedit ſinceritatis indicia. Verbis maximè efficacibus dicta ſui mariti falſi arguit.* Lector non crederet ſimiles ſycophantias poſſibiles eſſe, niſi demonſtrarentur ad oculum.

CAPUT DECIMUMNONUM.

Confutatio decimi-noni gravaminis: *quòd omnes legerit, copias authenticas earumdem fieri curaverit, quibus ad fines, quos voluit, uſus eſt.*

1. IN hoc articulo redierant Adverſarii ad expreſſiones ſuas vagas, atque univerſales, nullam circumſtantiam exprimentes ſingularem, ad quam ſe accuſatus reflectere potuiſſet, præciſamque juſtificationem adducere. *Ad fines, quos voluit, uſus eſt*, inquiunt. Callidè autem acceperunt informationes à tergo, & neſcio, quos fines commenti ſunt, ita tamen, ut Pater Deſirant, cùm nè per ſuſpicionem quidem poſſet attingere, quid vellent, ad nihil in individuo reſpondere potuerit. Et hinc anſam arripuerunt in Concluſione finali, magno boatu intonandi, quòd Pater Deſirant non ſatis probaviſſet.

2. Si verè culpabilis fuiſſet, potuiſſet ex teſtimonio conſcientiæ diſcere, ad quid & qualiter ſe parare debuiſſet. Quò verò magis innocens erat, eò minùs ſcire poterat, quid aſtuti homines intenderent. Si forma judicii, quæ in præſentis cauſæ inſtructione ſervata fuit, obtineat, fieri non poterit impoſterùm, ut ullus innoxius elabatur; fieri tamen poterit, ut noxius triumphet. Non innoxius, quia neſcius, quid reſpondere deberet, nihil dicet; & valebunt contra ipſum ſecreta dicta partis adverſæ: noxius autem hærendo ſemper in negativis, ſciet, de qua re agatur, & proferet equidem aliquid, quo ſuſtenta partis infirmet. Hujus novæ praxis introductionem Reſpublica acceptam referet viris, qui præ ambitione reformandi univerſa, hanc etiam cladem innocentiæ attulerunt. Vivit autem Deus, à quo remedium exſpectatur, cujusque ſapientiæ, per quam Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, difficilè reſiſtitur.

3. Interim hic notandum, quòd Pater Deſirant ad vagum hunc articulum reſponderit, *numquàm ad malos fines.* Imò verò, inquiunt, per hanc reſponſionem Pater Deſirant ſibi injecit onus probandi, quòd numquàm illis copiis ad malum finem uſus fuerit. Hoc autem non intelligo: ſivè

Digitized by Google

enim dixiſſet *ſe negare*, ſive dixerit, *numquàm ad malos fines*, reſponſio æquivalet. Econtrà ipſorum fuiſſet, aliquem malum finem deſignare in ſpecie, & tunc primùm prætendere, ut Pater Deſirant illum vel negando vel probationes contrarias adferendo rejiceret. At ſeriùs conquerimur: dum non quid fieri debuiſſet, ſed quid factum fuerit, diſquiſitum oportet.

4. Non voluit ergo. P. Deſirant negare, quòd omnes litteras legerit. Cauſam dedit juſtiſſimam in ſua uberiori reſponſione, quæ hìc repetitur. Litteræ latæ fuerant apertæ. Petrus qui tulerat, conſtanter aſſerebat ſe tuliſſe illas ex ordinatione Rectoris. Et quamquàm Pater Deſirant illum in principio ſatis acriter objurgaret, & objicienda objiceret, conſtantiâ tamen ſuâ Petrus effecit, ut Pater Deſirant illi tandem crederet. Et quomodò non credidiſſet? Nullam hactenùs in Petro perfidiam animadverterat. Petrus ſciebatur apud Rectorem ſcribere, illique familiaris eſſe, & non auſurus coram illo ampliùs comparere, ſi deprehenſus fuiſſet in tam gravi mendacio, quinimò debitis pœnis eo caſu ſubjiciendus eſſe, cùm tamen res i lli eſſent anguſtæ domi, & in dies pro ſuo Patre in Rotula, quæ coram hoc Rectore celebrabatur, venire deberet; ut taceam ſcriptiones ei tunc neceſſarias ad panem lucrandum. Prætereà litterarum contenta, prout Petrus referebat, erant horrenda, non contra Statum politicum, ſed præcipuè adversùs Sedem Apoſtolicam. Accedebat naturalis curioſitas, & juſtæ defenſionis ratio reſpectu articuli, quem Petrus Patri Deſirant oſtendebat, in una ex illis litteris Leydæ die 7. Februarii data, quo adversùs Auguſtinianum Monachum decernebatur: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick geeanonneert worden*, id eſt, *at præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt*. Nec erat novum, quòd Univerſitatis Rectores Cauſas Theologicas, qualis hæc erat, examinandas mitterent ad Doctorem Theologum. Quin & ipſe Petrus narrabat ſe vidiſſe illic, primò conventiones amicorum inter ſe, ſecundò, ficta nomina, tertiò ſubſcriptiones Epiſtolarum, per initiales nominum litteras, quartò conſpirationes contra dictam Sedem Apoſtolicam: denique Cauſam Doctoris Hennebel, Cauſam Licentiati Opſtraet, Cauſam Bruxellenſis Paſtoris vanden Neſſe, & hujuſmodi, quæ neſciebat diſtinguere: & quod erat maximum, faſciculi inſcriptio præ ſe ferebat nomen ejuſdem Jacobi Krys Amſtelodamenſis, ad quem priores faſciculi per Petrum allati, quorum Epiſtolæ ſignatæ fuerant quatuor litteris Z. B. V. E. directæ fuerant. Petrus urgebat *concordantiam*, prout ex depoſitione Advocati van Schoubroeck ſuprà retulimus, & perſiſtebat tantam inter utroſque faſciculos reperiri *concordantiam*, ut jam deberent ceſſare objectiones, quas ei Pater Deſirant ab aliquot diebus fecerat.

Digitized by Google

5. In his circumſtantiis legit Pater Deſirant litteras, partim ut videret an Petrus vera referret, partim ut examinaret, utrùm forſan continerent aliqua, undè quiſquam damnum pateretur diſtinctum ab illo juſto, quod ſemper ineſſe dicitur, dum facinus aliquod detegitur, & ad Superiores defertur; partim, ut poſſet Rectorem ad ſe venturum debitè informare, non tantùm de interceptione illius nomine facta, verùm etiam de contentis litterarum interceptarum; partim denique ut ſe armaret tam in iis, quæ Adverſarii contra privatam ſuam perſonam, quàm quæ contra publicam Sedis Apoſtolicæ Majeſtatem, alioſque Prælatos Eccleſiaſticos, necnon Facultatem Theologicam moliebantur.

6. Oro unumquemque, ut cogitet quid faceret, ſi tales litteræ taliter apertæ, taliter ad ipſum latæ fuiſſent.

7. Eritnè aliquis de Magiſtratu culpabilis, ad quem ferrentur arma vetita, Libri diffamatorii Principum, vel, ut hæreamus in caſu, litteræ taliter interceptæ, quæ ipſi monſtrarentur apertæ, cum expreſſione, quòd qui ferebat, illud faciebat ex ordinatione ſummi Præſidis? Minimè gentium. Talis cum bona fide procederet, totumque periculum in caſu erroris, non in illum de Magiſtratu, ſed in latorem devolveretur, idque inſolidum, & res diſputanda foret inter latorem & Præſidem. Et eò minùs ille de Magiſtratu culpabilis eſſet, ſi litteras ſic recepiſſet & legiſſet coram fido teſte, qui in judicio id declararet, prout feciſſe R. Patrem d'Herbe pluries monſtratum eſt.

8. Et quod eſt ampliùs, Petri fides in lectura confirmabatur. Concordantia enim reperiebatur exactiſſima, prout in judicio monſtratum fuit, & hæc ipſa demonſtratio evincit, quòd lectura illa in juſtum illum finem facta fuerit. Fuitque oſtenſa Rectori, & aliis ſub ſecreto, & nè Pater Deſirant ſuo ſolius judicio ſtare videretur, ipſorum judicium petiit, è quibus duo jurati depoſuerunt, Doctor quidem Parmentier ad art. 88. & 89. ſcedulæ contrariorum factorum, *quòd aliquando exiſtimaverit Epiſtolam de 10. Januarii, & Librum Reſolutionum non eſſe ficta, item & hoc maximè propter concordantiam cum litteris Graſper*; Doctor verò Daemen, *quòd propter illam concordantiam judicaverit dari pondus pro veritate.* Legatur concordantia, & expendantur futiles adverſæ partis reſponſiones, & Lector judicet.

9. Objiciunt autem, quòd debuiſſet Pater Deſirant ſcire, non eam eſſe Rectoris authoritatem, ut litteras apud Curſorem intercipiendi veniam, aut mandatum concedere potuiſſet. Quod ut confirment, verborum pompam adornant, domuique Curſoris non dubitant concedere honores, quos inviderent Aulæ Romani Pontificis, illam art. 681. Concluſionis ſuæ finalis appellando *ſacrum Patrimonium Principis*.

Digitized by Google

10. Ita conſueverunt res extollere & dejicere, elevare & deprimere, prout res rebus ſuis conveniunt. Quis enim audivit umquàm domum curſoriam appellari *ſacrum Patrimonium Principis?* Credebant ſcilicet, ſe mediante hoc alto nomine facilè effecturos, ut inde exſculperetur caſus Regius, totus in Patrem Deſirant, excuſato Petro devolvendus, & hoc pacto deventuros ad poſtulationem capitis, tamquàm à reo criminis læſæ Majeſtatis. Hæc eorum jactata ſimplicitas Chriſtiana.

11. Novit Pater Deſirant, & nôrunt ſenſati omnes, quid debeatur Principi, & quid tam lex naturalis, quàm Jus Gentium de litterarum interceptionibus ſtatuat.

12. Jam verò, quod ad authoritatem Rectoralem attinet, id non tangebat Patrem Deſirant. Unus enim Rector illam extendit plus altero. Sæpiùs audivi aliquos contendere, quòd Princeps Lovanii omnem authoritatem ſuam in Rectores transfuderit. Hujus rei documenta exhibent in faſtis Academicis, ubi Rector appellatur *Princeps Univerſitatis.* Nemo meliùs novit, quàm D. Henricus Malcorps, extitiſſe Rectorem, qui ſuſtinuit, ſe velut Principem poſſe abolitionis tabulas largiri. Quid quòd Rectores aliqui uſurpaverint authoritatem Epiſcopalem, prout in præſenti cauſa fecit D. Alardus Vandenſteen, dum die 17. Decembris 1707. mandatum dedit viâ facti ingrediendi cellam Religioſam Patris Deſirant, ibidemque adinſtar Circumcelliorum petulantias exercendi, intrando per feneſtram, portas frangendo, omnia annotando, & aſportando forſan, quidquid voluerunt. Hic locus verè ſacer erat, ſpectabatque ad ſacrum Patrimonium Petri, magis quàm domus curſoria *ad ſacrum Patrimonium Principis.* Læſam taceo Immunitatem Eccleſiaſticam, incurſaſque cenſuras. Hoc volo, quòd Pater Deſirant ſcire non potuerit, qualem authoritatem Rector crederet ſibi in controverſo caſu competere.

13. Objiciunt art. 682. *Quòd ſi aliqua Rectori in Curſores eſſet ſuperioritas, uti eſt in Numios Academicos Epiſtolas Academicorum deferentes, Rector legitime informatus indubiè tuliſſet decretum, & cum eodem miſiſſet actorem vel aliquem ex apparitoribus, qui vigore ejuſdem, manus Epiſtolis injiceret, easque in judicium deferret, nequaquàm vero immiſiſſet juvenem, qui malis artibus illas ſurriperet*

14. Reſpondeo, prudens Rector ſic potuiſſet facere, quando certò informatus fuiſſet, & quando non inveniret inconſultum, ut per talem ſatellitis immiſſionem res publicaretur. Non erat autem hic caſus præſens. Petrus dixerat Rectorem de conſpiratione per ipſum informatum fuiſſe, & velle rem ſecretam manere, donec lux affulgeret, atque ideo ei demandaſſe tamquàm ſibi familiari, & quaſi domeſtico, vicibusque Patris

Digitized by Google

ſui, qui Procurator officii eſt, in pluribus fungenti, ut caperet de hac materia quæ poſſet; verba erant: *Neempt al dat gy crygen cont*, id eſt, *cape quidquid potes acquirere*. Neque novum eſt, quòd Rectores ad executiones ſuas faciendas deputent quos volunt, ut pro illo actu aliquem tamquàm ſatellitem conſtituant. Plura exempla occurrunt; unum ſufficit, quod præfatus D. Alardus Vandenſteen die 17. Decembris 1707. præſtitit, quando ut ſcandaloſo modo apprehendi faceret Patrem Deſirant ad portam oppidi, ſub ementito prætextu, quòd in Gallias fugeret, ad illum actum in promotorem creavit Procuratorem Quirini, & Univerſitatis Secretarium pronuntiavit Bedellum Ægidium Denique. Non debebat ergo Pater Deſirant nimiùm ſollicitus eſſe, quarè Rector hanc ſpartam commiſiſſet ſuo Petro. Et in omnem eventum, hoc ignoraſſe, criminoſum non fuit.

15. Objiciunt etiam articulo 683. *Imò ſi per impoſſibile, vel potiùs per abſurdum, Rector juvenem aliquem* [virum uxoratum, & Patris ſui, qui Procurator officii erat, vicibus publicè fungentem] *immittere voluiſſet, qui modo prædicto litteras ſurriperet, certè ad Reum ſurreptas recto tramite nullo modo miſiſſet, ſed ad ſe deferri curaſſet, ipſe examinaſſet, & ſi conſilio alicujus uti voluiſſet, litteras eidem communicaſſet.*

16. Sicut fruſtrà fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora, ita non debuit Pater Deſirant iſtas ambages expendere. Satis erat, quòd Petrum graviter objurgaſſet, & quòd ille tamquàm Rectori familiaris in ſupradictis perſiſteret, & Rectorem de omnibus informatum diceret, & ad Patrem Deſirant pro hoc conſilio veniſſet, necnon quòd Rector deſuper cum illo acturus eſſet. Nec erat magis abſonum, quòd Rector ille Patris Deſirant operam in hoc requiſiviſſet, quàm erat certum, quòd Doctor Daemen pridiè, id eſt 15. ejuſdem Februarii R. Patrem Grauwels ad eundem Patrem Deſirant pro ſimili conſilio miſerat.

17. Objiciunt præthereà art. 684. *Si igitur Petrus dixerit, ſe de ſcitu & licentia Domini Rectoris litteras intercepiſſe, indubiè debebat Reus ipſum cum litteris ad Rectorem mittere, ut hic litteras, quas interceptas volebat, examinaret, & quid de iis agendum eſſet, ſtatueret.*

18. Languida phraſis, quâ Adverſarii in mediis ſuis æſtibus utuntur, inſinuat, quòd ſatis noverint Petrum illa dixiſſe. Et quod caput eſt, nullibi Petrum in ſua deductione inducunt id retractantem. Quo poſito conſtat, quòd abſonum fuiſſet Petrum ad Rectorem cum litteris remittere, ſupponebatur enim Rectoris enixam voluntatem eſſe, ut Pater Deſirant, qui de anterioribus informatus erat, hoc examen tamquàm Doctor Theologus & ſtrictæ Facultatis Regens, pro Rectore faceret, ad quem Rector

Digitized by Google

juxta Petri aſſertum venturus eſſet, prout reverà veniſſe die 23. & 25. Februarii oſtendimus. Atque tunc Pater Deſirant fecit, quod Adverſarii dicunt ab illo fieri debuiſſe, prout conſtat ex art. 333. proviſionalis intendit, *quòd Eximius Pater petierit à dicto D. Leunckens, quid ipſi videretur de negotio, & quid in eodem faciendum?*

19. Atque ita Adverſarii nihil niſi frigidas interrogationes, ſubdolas cavillationes, doloſas interrogationes, & inutiles ſophiſticationes objiciunt in cauſa, ubi debebant ſolidæ probationes fuiſſe paratæ, antequam ad judicium venirent.

20. Concludunt art. 685. *Sed nihil minùs fecit; nam litteras omnes legit,* [hoc vos urit ſcilicet] *& penes ſe retinuit* [ut ageret cum Rectore] *Amicis ſuis oſtendit* (pro conſilio) *plures copias fieri curavit* (tranſlatas nimirùm, quia erant Hollandico idiomate ſcriptæ, & alteram non tranſlatam pro memoria, nè ſemper eſſet recurrendum ad Originalia, inter quæ erant characteres difficillimi) *ad Altiores Poteſtates, quas contra prætenſos conſpiratores prævenire volebat, tranſmiſit* (non ut præveniret, ſed ut de rebus ad ipſas pertinentibus informaret) *ut ubique fatetur nominatim ad art. 83. interrogatoriorum, & in reſponſo perſonali ad articulos gravaminum ſuprà annotatos.* Cùm non habeatis aliud, quàm iſtas reſponſiones, ſatis jam deductas & explicatas, vos nihil ſolidi contra Patrem Deſirant habere fateamini, neceſſe eſt.

CAPUT VIGESIMUM.

Confutatio vigeſimi gravaminis: *quòd omnia, id eſt Librum Reſolutionum, Epiſtolas ſeu earum copias clanculariè tranſmiſerit ad Altiores Poteſtates, ſignanter Illuſtriſſimos Dominos Inter-Nuntium, & Archiepiſcopum Mechlinienſem, eoſque circumvenerit.*

1. QUi Adverſarios non noſceret, crederet illos, vel ab Altioribus his Poteſtatibus Eccleſiaſticis requiſitos, vel certè magnâ ergà earundem Dignitates pietate, atque obſervantiâ adactos fuiſſe, ut cum tanta ſollicitudine Patri Deſirant objicerent, quòd eas circumveniſſet. Sed nihil minùs. Neutri umquàm in hunc finem locuti fuerunt; nihilque ipſis eſt notum magis, quàm quòd utraque de bona Patris Deſirant fide, ſinceraque ſubmiſſione ſit tam rectè informata, ut pro fabula reputent, quòd vel cogitaſſet circumvenire. Teſtor ipſorum maſculum Gandavenſem in ſua Epiſtola, ſuperiùs relata, de 20. Auguſti 1707. in verbis:

Digitized by Google

verbis : *Intelligo tamen, quòd quædam Altiores Poteſtates, quæ Patri Deſirant favent, vel libenter aſſiſterent (Deus ſcit propter quod intereſſe) etiam urgeant, ut P. Leopoldus Lovanium mittatur ad teſtificandum.*

2. Non benè conveniunt, nec in una ſede morantur, ſuſpicio, quòd Pater Deſirant illas Poteſtates circumveniſſet, & ſuſpicio, quòd eædem Patri Deſirant faverent, vel libenter aſſiſterent. In alium finem objecerunt, quod de prætenſa circumventione finxerunt. Patrata ſunt hæc myſticè. Putaverunt Patrem Deſirant permovere, ut ad ſe fortiùs defendendum aliquas earumdem Poteſtatum declarationes procuraſſet, & hâc occaſione novam ſcenam in theatrum produxiſſent. Fuit autem Pater Deſirant obſervantior, quàm ut tales declarationes ab iſtis Poteſtatibus in talibus circumſtantiis peteret, ſuntque illi prudentiores, quàm ut in iiſdem dediſſent. Ad præſentem cauſam ſufficit, quòd Adverſarii neque ex illa parte querelas audiverint, nec ulla auſi fuerint de ſimilibus apud eaſdem verba facere. Reſpondit ergo ad articulum hunc 20. : *Semper egit bonâ fide.*

3. Urgent nunc, quòd P. Deſirant confeſſus fuerit ſe copias miſiſſe. Quidni autem confiteretur? Fecit hoc de ſcitu plurium, licèt ſecretiſſimè, prout omnia reliqua peracta fuerunt. Ipſi primi hoc depoſuerunt in judicio, nihil in eo mali aut cognoſcentes, aut ſuſpicantes. Et Pater Deſirant non tantùm potuit hoc facere, verùm etiam debuit. Erat cauſa maxima ad ipſorum regimen pertinens. Poterant & debebant informari, prout informati fuerunt, ſemper cum cautela, quòd res examinabatur. Nulla fuit actio inſtituta, nullus libellus oblatus, nulla accuſatio, nulla denuntiatio, nulla pœnæ poſtulatio, ſed mera & ſimplex monitio, ſivè notificatio. Nihil id poterat Janſeniſtis nocere, ſi fuiſſent innocentes; nec debuiſſet prodeſſe, niſi culpâ vacaſſent.

4. Ut verò nunc etiam Adverſarios reducamus ad terminos juris, operæ pretium fuerit ex Legibus atque Practicis oſtendere, quòd Pater Deſirant, tantùm abeſt, ut peccaverit in iis quæ fecit, èconträ peccaſſet, ſi aliter feciſſet. Quotquot Authores pervolvi in Leg. Quiſquis §. *id quod* Cod. *ad Legem Juliam Majeſtatis*, omnes unanimiter in hoc conveniunt. Longum foret adducere ſingulos, ſatis erit proferre ſolidiſſimas additiones, Virorum doctiſſimorum Baiardi, Roſſignoli, Giacharii, Quiotii & Drochi ad Julii Clari Librum quintum §. *læſa Majeſtatis crimen*, caſu *quadrageſimo.*

5. Quæ ut ordine præſtem, procedam per partes.

6. Primum quod occurrit, eſt notitia, quam Pater Deſirant à Petro accepit, tam de iis quæ continebantur in litteris Henrici Graſper, quàm quæ in ſcriptis anterioribus.

Digitized by Google

7. Eſt evidens, quòd hanc notitiam acceperit ſine delicto. Nemo enim peccat ſimpliciter audiendo referentem, quòd aliqui conſpirent contra Principem, vel Rempublicam, & quòd conſpirationis inſtrumenta vel documenta exiſtant in tali vel tali loco. Non enim ſcire mala, malum eſt, ſed facere.

8. Hæc autem notitia ſtatim vigore Legis peperit obligationem invigilandi & revelandi. Prout enim citatæ additiones loquuntur: *Crimen committit, ſi quis incidit in ſimplicem ſcientiam alicujus mali, quod habet contingere ex facto hominis in perſonam Regis, vel contra Rempublicam & non revelavit, licèt nulla operatio vel factum ejus intervenerit*, ùt probatur in l. *Quiſquis* in fine, & ibi not. Doctor. Cod ad l. *Juliam Majeſtatis*. Faciunt notata per Bar. in l. *Utrùm* num. ff. *de Parricid. ſed afflict. ſuper feud.* in dicto titulo, *quæ ſint Regalia* in §. bona *committentium* num. 103.

9. Unicam Doctores quæſtionem movent, utrùm Lex hæc etiam obliget, dum quod ſcitur, probari non poteſt. Et quidem aſſerunt, Bartholum tenere, *hoc dictum procedere, quando illa ſcientia poſſet per alium probari: ſed ſi probari non poſſit, non tenetur revelare, nec patefacere.* Pro hoc allegat Gloſs. in cap. *Plerumque* in 2. q. 7. quæ dicit, *quòd bonus vir id quod ſcit, quod non poteſt probari, debet tacere*, ita dicit Bal. in quodam ſuo Conſil. incipien. *Quamquàm allegata ſint multa.*

10. Hæc verò opinio eſt perquàm periculoſa: ſi enim poſteà conſtaret, quòd ſciveris & non revelaveris, vix pœnam Legis evaſeris, licèt ibidem Baldus deploret mortem cujuſdam militis, *qui ex hac cauſa fuit decapitatus*, prout refert Joan. de Plat. Inſtit. de public judic. §. publica. Faciunt notata per Bart., & Ang. in l. 1. §. *occiſorum ff. ad Syllam.* Et per Abb. in cap. 1. *de reſtitut. ſpoliatorum*, & in cap. 1. *de offic. deleg.* Et per Angel in l. fin. ad leg. *Juliam de Parricid.*

11. Quarè licèt ibidem exiſtiment, *quòd iſta ſit magis communis opinio & humanior* ſecundùm Rolan. in Conſil. 58. num 10. cum ſeq. vol. 2.

12. *Conſultius tamen eſt, ut ſciens detegat, ſecretò admonendo Principem ut à tali machinatione cavere poſſit, quidquid ſcit revelando, ut ibi per Rolan in fine.* Ad hoc vide etiam D. Clarum infrà in quæſt. 97. verſic. *Punitus eſt*, & vivi. opin. 694. incip. *Scientia ſola.*

13. Notanda quàm maximè verba ſequentia: *Et dico, quòd ſi ita non faceret utique unà cum opinione Rolan. & aliorum, ſic tenentium, decapitaretur, ejus bona occuparentur, & tota ejus familia in profundum mitteretur.* Vide etiam Deciſ. Pedemon. 80. *Ubi de quadam muliere, quæ ſciverat tractatum contra Principem, & illum non revelaverat, & quâ pœnâ veniret punienda; quæ mulier erat mater facientis tractatum.*

Digitized by Google

14 Scitur Patrem Deſirant in omnibus & per omnia ſecutum ſuiſſe hanc Regulam; non denuntiaſſe, nec accuſaſſe, utpotè quòd probando non erat; ſed *ſecretò admonuiſſe Altiores Poteſtates, ut à tali machinatione cavere poſſent*: proindeque, quod fecit; ſic fecit, ut ſi aliter feciſſet, reus fuiſſet; & conſequenter non pœnam, ſed præmium, non vituperium, ſed laudem, non criminationem, ſed commendationem promeruit.

15. Ex Concluſione finali tandem diſcimus, in quem pravum finem hic articulus formatus extiterit, & niſi eum in hac Concluſione finali vidiſſemus, fuiſſet horrendiſſimum nefas, talem ipſis attribuere. Fuiſſet ſcelus longè majus omnibus iis, quæ Patri Deſirant affinxerunt, & idcircò nè cogitatio quidem ſubiit, quòd talia intendiſſent. Intereà verò relictus fuit Pater Deſirant in ea opinione, quòd præſenti articulo abundanter reſponſum iret, ſi modò oſtenderet, ſe Poteſtates illas non circumveniſſe. In Concluſione autem finali tendunt plus ultrà, & objectionem formant Barbaris ac Schytis dignam, quam nemo Chriſtianus potuiſſet mente apprehendere. Hanc ſcilicet copiarum iſtarum tranſmiſſionem factam fuiſſe *in fortunas, libertatem, famam, caput, atque vitam innocentiſſimorum, atque integerrimorum omnis conditionis virorum*; prout loquuntur art. 2. Et art. 838. *Porrò finis naturalis hujus operis, id eſt uſus horum fictorum inſtrumentorum, copias authenticas illorum mittendo ad Altiores Poteſtates, præſertim contra prætenſos conſpiratores & Janſeniſtas notoriè præventas* (ita utrumque Illuſtriſſimum Dominum, de quorum circumventione fingunt ſe ſollicitos eſſe, nominant) *eſt admodum horrendus & atrox, præſertim dum hæc miſſia & informatio eſt ſecreta, & clancularia, ut accuſatis & apud ſimiles Poteſtates infamatis non ſuppetat via defenſionis. Quid hinc aliud erat exſpectandum, niſi omnium illorum virorum ſic accuſatorum oppreſſio & perditio?* Hæc ſignavit *D. Henricus Malcorps.*

16. Si copiæ illæ miſſæ fuiſſent ad quemdam Neronem, cui ſuſpicio ſatis erat, ut perderet accuſatos, tunc potuiſſent Adverſarii cum aliquo plauſu dicere quòd in fortunas, libertatem, famam, caput, atque vitam attentatum fuiſſet. Vel ſi ad Imperium rediiſſet Julianus Apoſtata, qui pro regula ponebat nullum Chriſtianum morti tradere, quòd Chriſtianus eſſet, ſed ſtudio fictas criminationes admittere, ut alio prætextu innocentes perimeret; tunc Adverſarii aliquid dicerent, dum oſtendere poſſent, copias huic Juliano tranſmiſſas fuiſſe. Si denique neſcio quis Attila emerſiſſet, & ſe prædicaſſet *flagellum Dei*, cœlitùs immiſſum ad excidendos delinquentes, tunc potuiſſent Adverſarii quæſtionem movere, in quem finem tales copiæ ad talem Tyrannum fuiſſent directæ.

17. Nunc autem, cùm non aliud habeant, quàm quòd aſſertæ copiæ

Digitized by Google

non publicè, ſed ſecretò (verbum ipſorum eſt, *clancularia*) tranſmiſſæ fuerint ad duos mitiſſimos Prælatos Eccleſiaſticos, qui non ſanguinem, ſed ſalutem, non pœnam, ſed pœnitentiam, non afflictionem, ſed emendationem petunt; accuſationis ſuæ inſolentiam & exorbitantiam produnt. Nè denuntiati quidem fuerant, multò minùs accuſati. Et ut tum denuntiati, tum accuſati fuiſſent, ecquidnam, obſecro, hi Prælati, in accuſatorum fortunas, vitam, libertatem, famam, caput atque vitam voluiſſent, aut ſi voluiſſent, quinam Antiſtites hi potuiſſent?

18. Primus ſciebatur eſſe abſque Tribunali, ſecundus ab illis ipſis eodem tempore tam acriter invadebatur, ut nè quidem in parvum deſervitorem valuerit animadvertere, condemnatus in expenſas, mulctatus quatuor florenorum millibus, & ſub gravioribus pœnis interdictus, nè in Subditum ſuum Eccleſiaſticum diſtringeret fulmen Apoſtolicum, quod Summus Pontifex in ejus manibus conſtituerat. Iterùm quæro, quidnam hi Prælati potuiſſent?

19. Vos autem, qui atroces iſtas accuſationes contra Patrem Deſirant ſubornaſtis, vos qui eas ſignaſtis, qui falſos teſtes foviſtis, & utinam non etiam falſis teſtimoniis veſtris roboraveritis; vos, inquam, qui per veſtrum Compresbyterum Patrem de Hondt, Oratorium, hanc cauſam in libello ſupplici, ipſius nomine exhibito, & per iſtum alium directo atque ſuffulto, laico Tribunali judicandam tradere voluiſtis, ubi ſciebatis pro talibus delictis fortunas, libertatem, famam, caput atque vitam decerni, in proprium caput ſententiam dicitis, nam verba veſtra ſunt: *Ex qualitate teli, ex loco inflicti vulneris, & ex infligendi modo, rectè colligitur animus occidendi.* Art. 12.

20. Reſpectu Patris Deſirant magnitudo teli conſtitiſſet in contentis litterarum, in quibus nihil repertum fuit, niſi quod mereretur diſciplinam Eccleſiaſticam, nam ipſe recurſus ad Poteſtatem ſæcularem, quem in anterioribus, quas Petrus attulit, litteris, negatis, & quem in poſterioribus per Henricum Graſper ſcriptis, agnoſcitis, nullam apud vos pœnam civilem mereretur. Locus fuit Lovanium & Bruxellæ; Romam jungite, ſi vultis: nullum ibi vulnus inflictum fuit, aut infligi vobis potuit. Infligendi modus, fuit ſimplex tranſmiſſio copiarum, ſecreta, ſine denuntiatione vel accuſatione, cum advertentia, quòd res examinabatur. Undènam hic vultis extorquere animum occidendi?

21. Magnitudo telorum veſtrorum ſunt crimina capitalia, locus ubi vulnus infligere parabatis, erat Tribunal laicum, quod ſciebatis talia vulnera infligere; infligendi modus, fuit ſolennis accuſatio, cum expreſſa pœnæ expoſtulatione, in verbis: *Prætendit Actor, quòd Reus non tantùm ſit*

Digitized by Google

receptator, ſed primarius hujus ſpolii author, & inſtigator, & ut talis puniendus ſit. Art. 649. Et in fine ejuſdem Concluſionis finalis: *Nihil proinde ſupereſt, quàm ut qualitate, & enormitate tot horrendorum criminum in oppreſſionem tot innocentium Reus debitas pœnas luat.* Art. 1122. Et magis in fine: *Luculentam pœnam exſpectat Belgium univerſum, præcipuè Univerſitas noſtra Lovanienſis, quæ technis non diſſimilibus tanto tempore agitata fuit, & viris præclaris orbata.* Hic ſcilicet veſter finis erat.

22. Et licèt D. Henricus Malcorps hanc Concluſionem finalem ſignaverit, non ipſe ideo vel ſolus vel principalis eſt, qui has pœnas poſtulavit. Ipſa Concluſio finalis Authorem nominat Doctorem van Eſpen, in verbis: *Negatur generale illud & indeterminatum, ullas inſtantias à dicto Doctore eſſe factas, quàm ut judicium acceleretur, & author rei adeo infandæ quicunque ille ſit innoteſcat, ac pro merito puniatur.* Et interim nullum alium nominabat, quàm Patrem Deſirant. O ſycophantiam nimiùm crudelem!

23. Nihil ergo Pater Deſirant in fortunas veſtras, ſed vos in fortunas ipſius omnia; nihil ipſe in libertatem veſtram, ſed vos in libertatem ipſius omnia; nihil ipſe in famam, caput, atque vitam veſtram, ſed vos in famam, caput, atque vitam ipſius omnia moliti eſtis.

24. Adverſarii tantum ſtrepitum excitaverunt ad perſuadendum, quòd Pater Deſirant intendiſſet illos reos facere alicujus falſi criminis, propter quod iniquè & infeliciter potuiſſent perduci ad mortem. Fueruntque in hoc nonnihil mitiores Arrianis, qui Athanaſium accuſaverunt de nece perpetrata. *Arſenium Epiſcopum ab Athanaſio interfectum Arriani pervulgarunt, quem diu occultè detinuerant, manum mortui deferunt in judicium, ab Athanaſio ad uſum magicæ artis Arſenio amputatam criminantes. At Arſenius noctè aufugiens, cùm ſe in conſpectu totius Concilii ſtatuiſſet, Athanaſii inimicorum impudentiſſimorum ſcelus aperuit. Quod nihilominùs magicis artibus Athanaſii tribuentes, vitæ ejus inſidiari non deſiſtebant.* Ita Breviarium Romanum.

25. Nonnulla in utraque criminatione occurrit differentia. Nam Arriani imprimis Arſenium occultè detinebant: Adverſarii autem palam & jucundè ambulabant, ſatis conſcii, quòd nihil minùs quàm de ipſorum vita cogitatum fuiſſet. Producta fuerat manus mortua, quam Arriani finxerant Arſenii eſſe. Non poterat hoc Adverſariis accidere, impendebant enim omnes manus ſuas, ut quaquaverſus perſcriberent, ſe quæri ad necem. Arriani etiam finem finxerant, cur manus amputata fuiſſet, *ad uſum magicæ artis.* Adverſariorum quidem manus, dum Concluſionem finalem cum annexis, & præſertim famoſam illam actam de 19. Aprilis ſcripſerunt, poſſent forſan aliquo ſenſu incantatæ fuiſſe, ſed abſit, ut *ad uſum magicæ artis.* Arſenius noctè aufugiens comparuit. Adverſariorum nullus

Digitized by Google

aufugit, ſed noctu diuque comparuêre omnes, tam vegeti, ac ſi plumis lapidati fuiſſent. Maxima diſparitas; niſi quòd non ſatis explicetur illud, *nihilominùs vitæ ejus inſidiari non deſiſtebant.* Utrobique fingitur, quòd in viventium vitas aliquid attentatum fuiſſet, & utrobique qui hoc finxerunt, vitam petunt.

26. Neque per imaginationem apprehendi poteſt, ut vel minimum quid de fortunis, libertatibus, capite, atque vita ſua minuendum putaverint. Præterea cogitationes quorumdam, qui ſibi falſa crimina fecerunt objici, per colluſiones cum delatoribus, poſteà pro occulto præmio publicè retractantibus, ut falſa criminatio detecta in majoris gloriæ argumentum abiret. Non poſſum tamen præterire caſum, quem à viginti circiter annis verè accidiſſe memini. Titius quidam commiſerat verum crimen, non tamen ultimo ſupplicio dignum; erat equidem crimen, quod ſciebat per teſtes probari poſſe. Ut autem accuſationem ſeriam præveniret, ſubornavit perſonam quamdam venalem, quam pretio corrupit, induxitque, ut palam Titio illud crimen objiceret, cum gravi oppidi, in quo res agebatur, ſcandalo. Titius ex altera parte ſuſcitabat veros complices ſuos, qui hanc perſonam in jus vocârunt. Perſona in principio videbatur cauſam velle tueri, & ex condicto circumſtantias allegabat falſiſſimas & ſibi mutuò repugnantes, illiſque detectis palinodiam offerebat. Quod plus eſt, locum vidi, & cum Judicibus egi, qui dictam perſonam tamquam calumniatricem publicâ ignominiâ affici juſſerunt per ſententiam, in duobus locis, ubi prætenſam calumniam objecerat executioni mandatam. At verò ante lapſum biennii detecta ſunt graviora. Titius in caſſes incidit, & tunc tandem innotuit, quòd priorem illam accuſationem cum ſubſecuta palinodia, notabilis pecuniæ vi excuſſiſſet, ut verum crimen palliaret, teſteſque à ferendis in eadem cauſa teſtimoniis deterreret.

27. Hiſce obiter expenſis veniamus ad rem ipſam, & perſcrutemur fundum ejus. Quodnam igitur illud crimen tam magnum eſt, quod Adverſariis benè vel malè objectum fuit? Totum continetur in famoſo Formulario de 10 Januarii 1707. Legamus verba; *Nos infraſcripti vovemus & promittimus Statibus Hollandiæ toto tempore vitæ noſtræ obedientiam, nobis mutuò ſemper adhærere & opem ferre, nullos Delegatos Sanctæ Sedis ad nos huc miſſos veluti Miniſtros ejuſdem eſſe habituros, nulla Decreta eorumdem obſervaturos; nos ſemper defenſuros fidem noſtram, & præclaras Propoſitiones Janſenianas. Inſuper aſſerimus, nos contentos eſſe adſcribi numero Civium Amſtelodamenſium, ut frui protectione Hollandicâ valeamus.* Ecce omnia.

28. Supponamus nunc, quòd conſtaret hoc Formularium à quadraginta vel quinquaginta viris ſignatum fuiſſe: inde tamen nullatenùs ſeque-

Digitized by Google

retur, aliquem ex iſtis ideo reum capitis eſſe. Nihil enim in hoc Formulario continetur, niſi 1., recurſus ad Status Hollandiæ: 2., promiſſio & civile votum obedientiæ iiſdem Statibus toto vitæ tempore præſtandæ: 3., præparatio animi, ut adſcriberentur Civibus Amſtelodamenſibus, quatenùs frui protectione Hollandicâ valerent: 4., recuſatio Miniſtrorum Sedis Apoſtolicæ: 5., rejectio Decretorum, non quæ à Sede Apoſtolica (de his enim non agitur, prout legenti patet) ſed quæ ab iſtis Miniſtris procederent: 6., defenſio fidei ſuæ, quod poſſet intelligi de Catholica: 7., defenſio præclararum Propoſitionum Janſenianarum, quas Janſeniſtæ ſuſtinent ita Auguſtinianas eſſe, ut fidei Catholicæ non adverſentur: 8, adhærentia cum adjutorio ſibi mutuò exhibenda.

29. In omnibus iſtis nihil occurrit ultimo ſupplicio dignum. Nihil etiam, quod reſpiciat materiam ſtatûs civilis. Etiamſi decem Civium Bruxellenſium millia Potentiſſimæ Hollandicæ Gentis protectionem invocarent, & in hunc finem Amſtelodamenſes Cives cum effectu fierent (poteſt enim unus idemque plurium urbium Civis eſſe) nullum in hoc crimen foret. Non enim in Formulario dicitur, quòd Hollandicam protectionem petant, ut moliantur aliquid contra Regem. Nè quidem de Pontifice fit ſermo.

30. Econtrà Hollandi Regis amici ſunt, & arctiſſimè fœderati. Nec ulla in rebus politicis occurrit repugnantia, eſſe & manere Regis Subditum, & alicujus confœderatæ Poteſtatis Civem vel Militem fieri, & tamquàm talem, debitam ei civilem aut militarem obedientiam præſtare. Exempla ſunt innumera & quotidiana. Etiam Religioſi Miſſionarii fiunt Cives tam Amſtelodamenſes, quàm aliarum civitatum ſine contradictione; Altipotentibuſque Statibus obedientiam debent in politicis, idque *non ſolùm propter iram*, verùm etiam *propter conſcientiam*, ùt Apoſtolus loquitur.

31. Quid ergo ſtolido divexamur ſcommate, quaſi per aſſertionem hujus famoſi Formularii, potuiſſet aliquis de fortunis, de libertatibus, de capite atque vita periclitari?

32. Quidquid in oculis Romano-Catholicorum poſſit criminoſum videri, conſiſtit in duobus articulis: 1., *nullos Delegatos Sanctæ Sedis ad nos huc miſſos veluti Miniſtros ejuſdem eſſe habituros, nulla Decreta eorumdem obſervaturos eſſe.* 2., *nos ſemper defenſuros præclaras Propoſitiones Janſenianas.*

33. Atqui neutrum apud Supremos Principes eſt ita capitale, ut etiamſi quæcumquæ Chriſtiani Orbis Poteſtates in Belgio per vices regnarent, illis qui talia feciſſent, idcircò fortunas, libertates, caput, atque vitam adimerent.

Digitized by Google

34. Ubinam viderunt aliquem ſupplicio affectum, quòd in Belgio noluiſſet Inter-Nuntium Apoſtolicum [is enim ſolus eſt, de quo poſſit Formularium accipi] habere tamquàm Sedis Apoſtolicæ Miniſtrum, aut ejuſdem Decreta obſervare?

35. Econtrà varia diverſis temporibus civilia Decreta emanârunt, nè Inter Nuntiorum mandatis pareretur. Uſque adeo Adverſarii cæſpitarunt. Aut ubinam viderunt vel audiverunt, aliquem morte afficiendum eſſe, quòd voluiſſet defendere præclaras, ùt vocant, Janſenii Propoſitiones? Plures eas palam impunè tuentur, licèt peſſimè.

36. Anatomizent ergo totum Formularium, prout voluerint, nihil ſimilis invenient, niſi, quod abſit, dum illud efformaſſent, pejora quæ illic non exprimuntur, intendiſſent.

37. Itaque quod in toto Formulario malum eſt, conſiſtit in conſpiratione merè Eccleſiaſtica ſatis limitata, & reſtricta ad defenſionem præclararum Propoſitionum Janſenianarum, & recuſatione habendi Inter-Nuntium tamquàm Sanctæ Sedis Miniſtrum, cujus Decretis parendum foret, cum expreſſa tamen profeſſione defendendi *fidem noſtram*. Iam verò, quòd per *fidem noſtram* aliam intellexiſſent, quàm Romanam, nec in Formulario, neque in prætensè fictis litteris, neque in famoſo Reſolutionum Libro dicitur.

38. Ex quibus patet, quòd Adverſarii fingentes quodammodò Arſenii mortem, oſtentaverint manum alienam, ſeu potiùs, quòd inſulſam & infundatiſſimam criminationem deſcripſerint manibus ita incantatis, ut nullus doctus & ſincerus vir poſſit apprehendere, qualiter poſſibile fuerit, ut aliquis ſanæ mentis ſibi perſuaſum habuerit, quòd in hoc Formulario, ſivè fictum, ſivè factum eſſet, contineretur materia vel remotiſſima ad aliquos *ſpectabiles viros* [ſunt nempè valdè *ſpectabiles*, non ſunt *imaginarii*] exponendos periculo exitii.

39. Fuit autem incantatio tam ſolemnis, ut nè hanc rem quidem examinare dignati fuerint, ſed crediderint ſupponendam eſſe. Et hæc agitabantur per occulta ſcripta, & clandeſtinam Concluſionem finalem, cui Pater Deſirant defectu notitiæ non potuit reſpondere, & ſub prætextu quòd non ſatis reſpondiſſet, damnatus fuit tamquàm ſuſpectus.

40. Et quod maximè notandum eſt, ſuprà oſtendimus, quòd nudam copiarum tranſmiſſionem ad Miniſtrum Apoſtolicum, aliumque Antiſtitem factam, tam acriter criminati fuerint, ut non ſint veriti art. 838. effutire: *Finis naturalis hujus operis..... eſt admodum horrendus & atrox.* Quin etiam articulo 841. in hos ipſos duos Prælatos. omni invidiâ ſuperiores, calumniam evibrârunt crudeliſſimam in verbis: *Quis ſcit, an famoſa Decreta*

Digitized by Google

ta, vulgò Lettres de Cachet, contra ſæpè nominatum D. Paſtorem (id eſt, D. Deſervitorem vanden Neſle) *Doctorem Hennebel, Licentiatum Opſtraet, aliosque, ſimilibus ſceleſtis & clancularijs machinationibus, ab Altioribus Poteſtatibus tunc non ſint impetrata!* Combinentur iſta cum præſentis articuli vigeſimi accuſatione. Patrem Deſirant accuſant, quia Altiores has Poteſtates tamquàm tales informavit, & Concluſione ſua finali, criminoſum vocant, quòd in jactato Formulario conſpiraſſent, ſe nullum Sanctæ Sedis Miſſum, id eſt Nuntium, ſivè Inter-Nuntium, veluti Miniſtros ejuſdem habituros, nullaque eorumdem Decreta obſervaturos eſſe. Quis non videat, quòd per latus Patris Deſirant, intenderint magnos hos Prælatos invadere, & quid dico intenderint? Imòverò atrociſſimè invaſerint, illos traducendo tamquàm qui famoſa quædam Decreta *ſceleſtis & clancularijs mahinationibus* impetraſſent? Nec refert, quòd archi-calumniatores præfatum articulum ſuum 838. formarint per modum interrogationis in verbis, *Quis ſcit?* Nemo enim doctus neſcit, hanc eſſe figuram Rhetorices, quam vocant interrogationem, quæ aſſertionis vim per quamdam energiam exprimit, & idcircò in fine periodi adjicitur ſignum exclamationis. Et ut fucum faciant Lectori de rebus Belgicis minùs informato, adjiciunt hanc particulam, *aliosque*; cùm tamen ſciant neminem, niſi nominatos tres viros talibus Decretis pulſos fuiſſe; excepto Patre Deſirant; cui primò Adverſarii anno 1701. tale Decretum procuraverant. Quidquid ſcilicet ſibi ſuisvè accidit, hoc ſceleſtis & clancularijs machinationibus relatum volunt; quidquid autem primi aliis intulerunt, hoc veluti non factum prætereunt: ſimile quid, Athanaſium de Arrianis queſtum eſſe, memini: *Cuinam*, inquit, *illorum ſententia adverſami, conſictis, Jezabelis more, criminibus, non laqueos tetenderunt?* Apol. de fuga ſua pag. 164.

41. Novam Adverſarii fictionem, eamque ſplendentem adferunt articulo 846. *Admittit Reus, id eſt Pater Deſirant ad articulum nonum libelli gravaminum hæc omnia inde nata eſſe ſequi, quamvis perperam ad onus Tourteau illud velit rejicere.* Et in hoc inſuper ſibi contradicunt, ubi retro Concluſionem finalem, citatam Patris Deſirant reſponſionem impreſſerunt: *Tranſeat ad onus Petri Nicolai Tourteau.* Eſt-ne hoc admittere? Eſt onus reſponſionis in alium conjicere. Si quis objiceret quòd multiplicia perjuria in hac cauſa pluries ex deſtinatis conſiliis præſtita, ſint capacia provocare iram Dei, totamque patriam, donec publicè caſtigata fuerint, peſte, fame & bello vaſtare, & aliquis reſponderet, tranſeat ad onus perjurantium; ſequereturne, quòd per hanc reſponſionem aliquid admitteret? Ne conſequentiam quidem. Aliud enim ex hoc reſponſo colligi non poſſet, quàm quòd reſpondens nollet hanc objectionem ſibi attrahere, velletque onus illis, quos res hæc tangit, relinquere.

Digitized by Google

42. Eſt nova incantatio, quam ibidem articulo 843. 844. & 845. per ſophiſticas conſequentias adornant. Licèt enim de Rege Clementiſſimo nè verbum quidem expreſſum fuiſſet; attamen ex Formulario inferunt, ſequi natum diſſidium inter Majeſtatem Suam, & Potentias confœderatas: ferè ſicut hiſtrio famulum, qui imprudenter lapidem projecerat per feneſtram, ridiculè vexabat, quòd licèt nihil mali eveniſſet, famulus tamen lapidem ſic mittendo, habuiſſet implicitam voluntatem occidendi aliquot centena millia hominum. Quid enim, inquiebat, ſi Rex tranſiviſſet? potuiſſet occidi. Si occiſus fuiſſet, Regnum erat ſine hærede. Si plures de Regno contendiſſent, fuiſſent magna bella ſecu[illegible] quòd ſi hæc bella per decennium duraſſent; aliquot centena millia [illegible]buiſſent. Tanta mala in ejectione unius lapidis!

43. Quodque in hac cauſa maximè admirandum, neſciunt tacere, quòd etiam Patrem Leopoldum non tantùm in Belgio, verùm etiam in urbe accuſaverint apud ejus ibidem Superiores, tamquàm imaginariorum iſtorum homicidiorum intentorum complicem. Utinam quidem hanc à prudentiſſimis Superioribus iſtis poſſemus gratiam conſequi, ut ridicularum iſtarum criminationum copias nacti, ſycophantiam valeremus detegere. Mirabilia de his circumferuntur, quaſi aliqui etiam fidem dediſſent, eò uſque, ut in ea opinione fuiſſent, quòd P. Leopoldus cooperatus fuiſſet neci, id eſt, Arſenii manum amputare voluiſſet.

44. Fieri non poteſt, quin plures falſitates ignotæ, & forſan inſtrumenta falſata, quæ nondum vidimus, per incantatas illas manus fuerint tranſmiſſæ. Nota enim eſt virorum ſapientiſſimorum prudentia, qui alioqui in tam ſanguinarios Adverſariorum conceptus incidere non potuiſſent.

45. Ex iis quæ ſuprà deduximus, uberrimè conſtat, quòd Pater Leopoldus nullas in hoc negotio partes habuerit, quàm ſimpliciter ſub ſecreto, tamquàm ex Sacramenti ſigillo originem ducente, Doctorem van Eſpen interrogare, utrùm faſciculus eſſet ſuus, vel non eſſet ſuus, cum promiſſione, quòd faſciculus eſſet comburendus, ſi diceret ſuum non eſſe, vel reſtituendus, ſi ſuum eſſe diceret, & pœnitenti veniam daret. Tota Patris Leopoldi ſcena peracta fuerat die 16. & 17. Februarii. De ipſo producendo in teſtem ex parte Patris Deſirant, nè cogitatum fuerat quidem. Nam quomodò potuiſſet? & in quem finem? Debuiſſet P. Leopoldus, ſi interrogatus fuiſſet, aut ſilere, aut dicere, ſe nihil, niſi ſub hoc ſigillo ſcire, nihilque niſi ſub eodem locutum fuiſſe: quo audito, cuncta jacuiſſent.

46. Petrus quidem die 5. Martii Doctorem van Eſpen ſtrenuè accu-

ſavit, & contra illum ſub juramento depoſuit. Fingamus, ſi lubet, quòd Doctor ille per hanc depoſitionem fuiſſet periculo expoſitus. Nihil hoc ad P. Leopoldum, qui cum Petro nihil egerat, Petrumque numquàm viderat, nec poſteà vidit. Nec Petrus tunc aliquid de faſciculo depoſuerat, ſed de famoſa Epiſtola de 10. Januarii 1707. de qua Pater Leopoldus nihil tunc ſciebat.

47. Fingamus, inquam, quòd Petrus Doctorem iſtum periculo expoſuiſſet; attamen, quandoquidem ipſemet Doctor tantoperè deprædicet, quòd idem Petrus die 26. retractaverit; tunc ſaltem qualecumque illud periculum ceſſabat juxta Doctoris ſententiam.

48. Cur debuit inſuper Pater Leopoldus die 29. ejuſdem Martii in judicium vocari, cur rursùs die 30. ejuſdem, & rursùs primâ Aprilis?

49. Si forſan Petrus erat perſona, quæ per colluſiones proceſſerat, & ideo Doctor van Eſpen non fuerit ipſius retractatione aut tutus, aut contentus; hoc non ad Patrem Leopoldum. Quidquid ſit, ſi Doctori van Eſpen non erat ſatis, quòd jam potuiſſet extricare ſe contra Petrum, niſi & alios invaderet, qui ei nihil nocuerant; attamen Pater Leopoldus nihil die 30. Martii, & 1. Aprilis depoſuit, niſi ad ipſiuſmet Doctoris inſtantiam; neque depoſuit, niſi veritatem, ex qua nec fortunam Doctoris, nec libertatem, nec caput, neque vitam periclitari potuiſſe, ex dictis patet.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Confutatio vigeſimi-primi gravaminis: *quòd dictus Reus non contentus clancularis ſuis diffamationibus, ut res majori cum authoritate in publicum prodiret; abuſus ſit ſanctitate Sacramenti Pœnitentiæ, ut Confeſſarium nihil mali ſuſpicantem, ad denuntiationem impelleret, & huic negotio involveret.*

1. TAmetſi in hoc etiam articulo nullum factum exprimeretur in individuo, eo modo, quo ſinceri actores & veritatis amantes ſolent, ac debent exprimere; attamen ex circumſtantiis ſatis conſtabat, agi de R. Patre Mathia Grauwels, nam is ſolus erat Confeſſarius, qui de denuntiatione cogitaverat. Cur autem D. Henricus Malcorps non judicaverit hunc nominandum eſſe, ubi articulo præcedenti tam liberaliter nominaverat Illuſtriſſimos Dominos Inter-Nuntium & Archiepiſcopum, ex dictis liquet. Nullum odium contra hunc Patrem conceptum, natum ac

Digitized by Google

roboratum fuerat. Breviter hic notandum quòd Pater Deſirant reſponderit per verbum *negat*.

2. Non poſſum capere, undènam Adverſariis in mentem venerit, hunc articulum obtrudere. Sciebant ex actis, quòd probus ille Sacerdos primò acceſſerat Doctorem Daemen, & ab hoc ad Patrem Deſirant miſſus venerat. Item, quòd die 4. Martii declarationem fecerat, in qua dixerat, *& addo, me poſteà omnia communicaſſe Eximio Patri Bernardo Deſirant ſacræ Theologiæ Doctori, & ſtrictæ Facultatis Theologicæ Regenti ſeniori*, ALIISQUE DE PARTE ROMANO-CATHOLICA, *item inter alia exhibuiſſe ſcriptum quoddam, cui titulus: Liber Reſolutionum, circa quem Librum aliaque ſcripta eo concernentia, & dicto Libro conformia ſpeciatim contuli cum præfato Eximio Patre ad detegendam veritatem, & inſtituendam denuntiationem legitimam pro Eccleſiæ Belgicæ tranquillitate.* Non ergo Pater Deſirant ipſi, ſed ipſe Patri Deſirant communicavit; nec Pater Deſirant illum, ſed ipſe Patrem Deſirant in hunc finem acceſſit, prout etiam acceſſit *alios de parte Romano-Catholica*.

3. Nec obſtat, quòd P. Deſirant pleraque anteà intellexiſſet ab ipſo Petro; nam ſuprà ſatis oſtenſum eſt, quòd equidem idem Pater Mathias Grauwels tam ex improviſo venerit ad Patrem Deſirant, ut nullâ ratione dici poſſit per hunc *involutus*.

4. Fatendum eſt tamen, quòd Petrus pluries Patrem Deſirant excitaverat, ut denuntiaret, vel accuſaret; cùm verò Pater Deſirant ei reſponderet hoc non eſſe muneris ſui, præſertim cùm nihil ſciret, niſi ex relatione Petri, & Petrus diceret ſe quidem paratum eſſe in judicio declarare veritatem, dummodò Adverſarii neſcirent quòd illos detexiſſet; P. Deſirant perſtitit, non apparere modum opportuniorem, quàm exſpectare reproductionem Originalis.

5. Non dubium eſt, quin Petrus die 15. ejuſdem Februarii acceſſerit Confeſſarium Patrem Grauwels, ut quod à Patre Deſirant obtinere non potuerat, per hunc exequeretur. Adeoque ſi hic Confeſſarius deceptus fuerit, per Petrum deceptus fuerit. Nec poteſt huic Patri in ignominiam duci, quòd taliter potuiſſet decipi, nihil enim naturalius eſt, quàm quòd Confeſſarius credat pœnitenti. Cui accedit dictum Brulii l. 3. Hiſtoriæ Peruanæ c. 1. §. 17. *Nulli magis fraudibus obnoxii eſſe ſolent, quàm recti magnique animi.* Quò enim à decipiendi voluntate ſunt magis alieni, eò minùs cogitant alios ad decipiendum venire.

6. Objiciunt art. 659. quòd duo extiterint faſciculi, unus litterarum anteriorum cum Libro Reſolutionum, cui fuit inſcripta ſcedula *denuntiatio ſecreta pro detegenda veritate*, & alter litterarum Henrici Graſper, cui

Digitized by Google

fuit inſcripta ſcedula *denuntiatio ſecreta pro confirmanda veritate.* Et quòd hi duo faſciculi fuerint clauſi ſub involucro communi cum inſcriptione *Magnifico D. Rectori.* In hoc verò nihil prorſùs mali video, nec videbit æquus Lector, dummodò dignetur expendere ſequentia.

7. Inſtant quòd hæ inſcriptiones factæ fuerint manu R. Patris d'Herbe, *charactere tamen inſolito*, prout loquuntur articulo 980.

8. Reſpondit Pater d'Herbe ad ſufficientiam juris, & per ſententiam abſolutus fuit. Reſpondit, inquam, ſe id feciſse ad inſtantiam Petri Nicolai, qui nolebat cognoſci, & quia ſupponebat hanc ſcriptionem ſervituram eſse Patri Grauwels, quem ſciebat nonniſi ſecretò ferre faſciculum velle, uſum fuiſse Charactere Romano, quo aliquando utitur, & in aliis occaſionibus uſus fuerat in ſcribendis titulis. Non fuiſse autem uſum Charactere ordinario, quia nec ipſe, nec Pater Deſirant, cujus Amanuenſis erat, volebant, ut denuntiatio putaretur ipſorum nomine fieri. Et meritò, idque propter cauſas ſæpiùs allegatas.

9. Objiciunt Adverſarii, quòd Pater Deſirant hos titulos dictaverit. Non vult Pater Deſirant id negare: nolebat enim ut Pater d'Herbe erraret, ſed ut inſequeretur ordinem debitum, juxta intentionem ſtrictæ Facultatis Theologicæ, necnon R. Patris Grauwels, quem Petrus dicebat faſciculum laturum eſse ad Rectorem, nimirùm *ad detegendam veritatem*. Stante enim ſuppoſito, quòd Pater Grauwels faſciculum tuliſset, ridicula erat quæſtio, quis inſcriptiones feciſset? Nam Rector vidiſset Patrem denuntiantem ſuis oculis, eique locutus fuiſset, & audienda audiviſset, prout poſteà reverà vidit, audivit, & locutus fuit. Nodus in ſcyrpo quæritur

10. Articulo 662. ad ſolemne ſophiſma dilabuntur in verbis: *Si juxta intentionem ſacræ Facultatis dictaverit hos titulos* AD DETEGENDAM VERITATEM, *ergo juxta intentionem Facultatis denuntiatio erat facienda, quandoquidem ipſe titulus, ſecreta denuntiatio id præferret.*

11. Negatur conſequentia. Ratio eſt, quia vos ipſi art. 661. confitemini, quòd Pater Deſirant non dixerit ſe voluiſse inſequi intentionem ſacræ Facultatis, quantùm ad titulum, *denuntiatio ſecreta*, ſed quantùm ad verba, *ad detegendam veritatem, nimirùm fictionis vel factionis.* En verba veſtra in præfato articulo 661. *Ponens titulos juxta intentionem ſacræ Facultatis*, AD DETEGENDAM VERITATEM, NIMIRÙM FICTIONIS VEL FACTIONIS. Fatemini ergo, quòd P. Deſirant id quod de Facultatis intentione dixerat, ad verba illa ſola reſtrinxerit Igitur nimis abſona eſt conſequentia, quam de ſenſu Patris Deſirant juſtiſſimo, contra conſcientiam veſtram facitis, quaſi voluiſset etiam dicere, quòd *denuntia-*

Digitized by Google

tio ſecreta, ex ejuſdem Facultatis intentione facienda fuiſſet. Res hæc tam falſa eſt, ut confutari non mereatur. Quomodò enim fuiſſet denuntiatio ſecreta, quæ proceſſiſſet ex intentione tam publici corporis, quod conſtat octo viris, quorum ſeptem erant Lovanii reſidentes & tunc præſentes? Iterùm nigras nives adſertis, aquas ſiccas, & frigidos ignes.

12. At nihilominùs malignitatem malignitati addentes formaverunt articulum interrogatorium, qui jam primùm Patri Deſirant, ex Concluſionis finalis articulo 663. innotuit, *an tituli pacquetorum incluſorum in majori pacqueto continentes* DENUNTIATIONEM, *facti ſint de ſcitu & juxta intentionem ſacræ Facultatis?* Atque inſtructores cauſæ tam tenaciter inſecuti ſunt intentiones Adverſariorum, ut numquàm paſſi fuerint Patrem Deſirant habere vel remotiſſimam notitiam articulorum, ſuper quibus teſtes interrogati fuerunt, & ideo non potuit Pater Deſirant ad hæc ſophiſmata reſpondere. De cauſæ inſtructoribus ago, non de Judicibus; coram his enim cauſa inſtructa non fuit.

13. Non eſt mirum, quòd ſinguli de Facultate interrogati reſponderint *negativè*, prout in eodem articulo refertur.

14. Sed ſi fuiſſent interrogati, an intentio ipſorum fuiſſet, ut detegeretur veritas, nimirùm fictionis vel factionis? Omnes reſpondiſſent *affirmativè*. Hoc autem interrogandum fuerat, non illud. Non enim illud, ſed hoc Pater Deſirant dixerat, prout novâ rursùs contradictione præfato articulo 661. faſſi eſtis.

15. Sed nempè ex vera reſponſione Patris Deſirant more ſuo fecerunt falſam conſequentiam, ut falſum conſequens proponerent tamquàm interrogatorium, & ex reſponſo ad hoc naturaliter ſecuturo iterùm articulo 665. exclamarent: *En quæ mendacia comminiſcatur Reus, ipſiq̀ue ſacræ Facultati quàm ſplendidè imponat.* Imòverò en quæ artificia digna nomine, quod horreſco!

16. Ab articulo 665. ſaltant ad articulum 970. Nec mirum, quia ſi eandem materiam proſecuti fuiſſent in eodem loco, nimis palpabiliter ſe ipſos prodidiſſent. Speraverunt fore, ut per interpoſitionem articulorum quinque & trecentorum, legentium memoria & advertentia confundi poſſet. Dum enim dictum articulum 970. legerent, ſtatim quæ negata fuerant, per eoſdem probata vidiſſent. *Quòd autem Reus deſideraverit, ut hic Pater Grauwels eſſet fictitii hujus negotii denuntiator, habetur imprimis ex allegata acta de 4. Martii, ubi aſſerit, quòd allatum ad ſe Librum contulerit, & cum Reo egerit*, AD DETEGENDAM VERITATEM ET INSTITUENDAM DENUNTIATIONEM, inquiunt.

17. Imòverò ex hac acta habetur, quòd ſcedulæ faſciculis impoſitæ

Digitized by Google

fuerint juxta dicti Patris intentionem juſtiſſimam, *denuntiatio ſecreta ad detegendam veritatem* Ita volmetipſos confunditis, dum quod negatis, ex verbis Patris Grauwels quæ veſtrâ ſponte adducitis, comprobatis.

18. Non enim Pater Deſirant ad illum, ſed ille ad Patrem Deſirant venerat, ex vera, juſta & recta voluntate.

19. Magis ſe confundunt art. 972. *Rurſùs idem Pater Grauwels interrogatus, an dictus Petrus Nicolaus Tourteau non requiſiverit Deponentem, ut ferret dictum pacquetum majus annotatum ſub num. 1. ad Magnificum D. Rectorem? Reſpondit ſe accepiſſe pacquetum, ſed noluiſſe deferre ad Magnificum Dominum, undè poſteà delatum eſt ad Eximium Patrem Deſirant, per Deponentem vel ſocium.*

20. Ex his patet, quòd Petrus pacquetum denuntiandum tulerit ad Patrem Grauwels. Pro majori claritate convenit, ut qualiter id reverà acciderit, ex aliis reſponſionibus eruatur.

21. Idem Pater Grauwels ad art. 150. ſcedæ contrariorum factorum juratus depoſuit, *quòd noluerit deferre per ſe illud pacquetum ad Magnificum Dominum, adeoque Pater deponens* TUNC NOLUERIT *abſolutè denuntiare.*

22. Notanda verba: *tunc noluerit*; anteà enim voluerat. Notanda etiam verba illa, *deferre per ſe.* Ob juſtas enim rationes mutaverat conſilium, & mallebat adhibitum ſocium ſuum. Et ratio erat juſta; cùm enim eſſet Confeſſarius immediatus, & Petrus conſentiret, ut denuntiatio fieret per quemcunque, dummodò tam ſecretò fieret, ut nomen ſuum non innoteſceret Adverſariis, à quibus ideo tractari potuiſſet tamquàm proditor, conſultiùs fuit Patri Grauwels impendere ſocium ſuum. Sed hoc non ad Patrem Deſirant. Neque enim Pater Deſirant hunc illi conceptum ſuggeſſerat, ſed Pater Grauwels ipſemet ſibi.

23. Itaque ſocius Patris Grauwels Rectorem Magnificum acceſſit, eique locutus fuit, & denuntiationis faſciculum inter quatuor oculos ſecretò obtulit. Hæc Adverſarii ſciunt & tacent. Omnia exprimunt ſub involucris, nè quæ illis ſemper odioſa eſt veritas manifeſtetur.

24. Rector verò noluit denuntiationis faſciculum acceptare, niſi coram teſtibus; ſocius autem nolebat coram teſtibus dare, dicendo debere ſecretò fieri. Partes perſiſtebant, & ſocius pacquetum retulit ad cubiculum Patris Deſirant, ubi rurſùs traditum fuit cuſtodiendum Reverendo Patri d'Herbe.

25. Patent iſta ex reſponſionibus juratis præfati Patris Grauwels, qui ad art. 151. ſcedæ contrariorum factorum reſpondit, *eſſe verum, & ſe habere ex ſocio, quòd Magnificus Dominus noluerit acceptare, niſi coram teſtibus, & quòd ideo idem faſciculus fuerit relatus.*

26. Et Pater d'Herbe ad eundem articulum in judicio reſpondit, *ſe*

Digitized by Google

ita intellexiſſe ex Patribus Minoritis præfatis. Et ad art. 153. reſpondit, *dictum Petrum præfatum faſciculum quæſiviſſe apud Deponentem, inſcio Eximio Patre, nimirùm prout in articulo, tamquàm ad ſe pertinentem, & ſuæ juſtificationi neceſſarium.*

27. Audiamus nunc objectionem, quam formant Adverſarii in ſua Concluſione finali art. 973. *Ex his manifeſtum eſt dictum Patrem Grauvvels non dubitaſſe, quin hæc ſollicitatio ad faciendam denuntiationem fieret per Reum, id eſt P. Deſirant, ipſeque eſſet totius hujus negotii director: ut propterea nec dubitaverit, quin ad ipſum referendum eſſet pacquetum, ut ipſe de modo denuntiationis deſpiceret.* Sunt fabulæ. Nam manifeſtum eſt, quòd pacquetum relatum fuerit ad locum, in quo ſciebatur fuiſſe anteà, proptereà quod Rector illud noluiſſet acceptare, *niſi coram teſtibus*, prout ſtatim probatum fuit.

28. Pergunt art. 974. *Fatetur quoque Reus*, id eſt, *P. Deſirant, ad art. 61. quòd deliberationes complures habuerit cum dicto Patre ſuper modo denuntiationis, quòdque ipſum eum in finem adduxerit ad Collegium trilingue.* Sunt fabulæ. Producatur reſponſio, oſtendemus fabulas eſſe. P. Deſirant dixit, & adhuc dicit, quòd Pater Grauwels nollet ire ad publicas Rectoris ædes, nè poſtquàm denuntiationis inſtrumentum eſſet publicum, & pacquetum ſecretò allatum fuiſſet, ſtatim illi, qui dictum Patrem apud Rectorem, cui ferè ſemper causâ officii aliqui aderant, vidiſſent, in ſuſpicionem veniſſent. Hæc erat cauſa juſtiſſima Rectorem rogandi, ut ad aliquem locum tertium veniret, prout fecit, ad Collegium Trilingue, ad quod Pater Grauwels cum ſocio ivit, ſed à Patre Deſirant ductus non fuit.

29 Art. 975. procedunt àd conjecturas: *Si Reus bonâ fide in hoc negotio procedebat, credebatque hæc inſtrumenta ſincera eſſe* (quaſi verò litteræ Henrici Graſper, quæ horum inſtrumentorum erant nobiliſſima pars, non fuerint certò ſinceræ) *ſibique tamquàm vice-Decano ſacræ Facultatis allata, quarè tam ſtudiosè hunc Patrem ad faciendam denuntiationem ſollicitabat? Cur hunc faſciculum cum omnibus accluſis non dedit ſacræ Facultati, ut per eam potiùs, quàm per dictum Patrem fieret denuntiatio, quæ tunc indubiè majore authoritate facta fuiſſet?* Sunt fabulæ.

30. Patrem Grauwels non ſollicitavit, ſed ille Catholico zelo inſtructus fecit, quidquid fecit. Nec potuit ſacræ Facultati dari, ut fieret denuntiatio publica, quia Petro fuerat eòuſque promiſſum ſecretum, ut nomen ejus non exprimeretur, niſi poſtquàm ex ſuo charactere detectus fuiſſet, atque tunc potuiſſet citari ſine ſuſpicione, quòd rem detexiſſet. Majorque illa authoritas certò retraxiſſet manus propter expenſas, quia jam experta fuerat in cauſa Caroli du Cellier, quòd tentatum fuerit eam in expenſas trahere, ſub prætextu quòd denuntiaſſet. Alias prætereà rationes adduximus ſuprà.

31. Titu-

Digitized by Google

31. Titubant art. 976. *Sed noverat Reus hanc denuntiationem non eſſe ſperandam à Facultate: quandoquidem jam ejus amiciſſimi, & prætenſis Janſeniſtis minimè favorabiles judicaſſent, omnia eſſe fictitia, tametſi nonniſi* OBSCURE' *negotium ipſis fuiſſet expoſitum.* [tuliſſent ergo obſcurum judicium] *Hunc autem Patrem credebat ſatis ſimplicem, & contra prætenſos Janſeniſtas præventum, ut cæco modo, & ſine examine hanc denuntiationem ſuſciperet.* Sunt fabulæ titubantes. Illa enim, de quibus agitur, geſta fuerunt octavâ Martii, prout Adverſarii fatentur, id eſt, quatuor diebus, poſtquàm Facultas ſacra obtinuerat effectum creberrimarum inſtantiarum ſuarum, nimirum reproductionem originalis Epiſtolæ de 10. Januarii. Petrus tribus diebus anteà, id eſt 5. Martii in judicio ſeriò depoſuerat, & juraverat hanc ſibi Epiſtolam fuiſſe dictatam, & ſe vidiſſe Doctorem van Eſpen ſubſignantem. Cauſa erat in Rectorali judicio. Nihil ampliùs ad Facultatem. Neque niſi perversè dici poteſt, quòd Pater Grauwels quidquam fecerit *ſine examine*, cùm vosipſi ſtatim articulo 974. objeceritis in verbis, *quòd deliberationes complures habuerit cum dicto Patre ſuper modo denuntiationis.* Tam perfrictè titubatis. Eſtque Pater ille non *ſimplex*, prout more veſtro calumniamini, ſed nimis prudens ac pius, quàm ut vel cæco modo egiſſet in rebus tantis, vel adversùs Janſeniſtas præoccupatus eſſet magis, quàm ad æternam ſalutem ſatis eſt.

32. Magiſtraliter loquuntur articulo 977. *At ipſum opinio ſua fefellit.* Sunt fabulæ.

33. Jugulant magiſterium ſuum art. 978. *Nam hic Pater forſan* (forſan? hoc eſt tam frigidum) *fictionem ſubodoratus, vel* (vel? hoc eſt tam incertum) *à ſuis monitus, nè ſcabioſo huic negotio ſe involveret, denuntiationem facere recuſavit.* Sunt fabulæ, quas comminiſcimini contra ſcientiam & conſcientiam veſtram. Ad duritiam verò cordis veſtri repetam, quòd vos & non alii oculis veſtris legeritis, & veſtrûm aliqui auribus ſuis audiverint ejuſdem Patris juratas depoſitiones ſuprà relatas ad art. 151. & 152. ſcedulæ contrariorum factorum, quòd ſocium ſuum comitatus fuerit euntem ad Rectorem, ut hic denuntiationem faceret. Vos & non alii oculis veſtris legiſtis, & veſtrûm aliqui auribus ſuis audiverunt, quòd addiderit, denuntiationem non fuiſſe abſolutam, quia Rector ſecretæ denuntiationis faſciculum noluerat acceptare, *niſi coram teſtibus.* Iterùm dico, ſunt fabulæ, quas comminiſcimini contra ſcientiam & conſcientiam veſtram. Notate autem; quod dico probo.

34. Non debet hoc tam facilè tranſire, quòd probus Sacerdos tam liberè proſcindatur, quaſi cæco modo egiſſet, nimirùm *contra prætenſos* [utinam tantummodò prætenſos] *Janſeniſtas provocatus*, feciſſetque aliud

Digitized by Google

ſtante opinione, quòd fictio fuiſſet. Econtrà R. P. Grauwels poſt diligentiſſima examina putavit omnia vera eſſe. Et quidem quatuor diebus poſteà, id eſt, die 12. Martii motu proprio, atque inſcio Patre Deſirant, acceſſit Petrum apud Carmelitas Calceatos profugum, & tamquàm ſincerus Pater ſpiritualis denuò examinavit, eique utramque ſæpiùs delatam actam de 4. Martii exhibuit, & Petrus de novo ſcripſit, & ſubſcripſit in hæc verba: *Fateor & atteſtor, me præfata ita revelaſſe, ſicut præfatus Pater Mathias Grauvvels ſuperiùs atteſtatur. Actum Lovanii hàc 12. Martii 1707.* Et erat ſignatum *P. N. Tourteau.* Et hoc ipſum, *inſcio Patre Deſiant*, fuiſſe factum, poſteà in judicio juratus depoſuit idem P. Grauwels ad art. 165. ſcedæ contrariorum factorum, prout ſuprà oſtendimus.

35. Quòd etiam nihil ſiniſtri de Patre Deſirant ſuſpicatus fuerit, eodem modo depoſuit ad art. 154. *Quòd in iis dum egit cum Eximio Patre reflexerit, quantùm potuit, bonam fidem.* Ite nunc cum ſuſpicionibus, conjecturis, ſophiſmatibus, contradictionibus, & ejuſmodi næniis veſtris.

CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

Confutatio vigeſimi-ſecundi gravaminis: *quòd dictus Reus ubi vidit rem ſibi non ſuccedere, omnia prædicta ſub coopertura unà cum introcluſa clancularia denuntiatione peſſimo exemplo veſperi per duos ignotos ad manus ancillæ Magnifici Domini Rectoris tradi curaverit.*

1. TAm multa de hac re per rumorem ſparſa fuerant, ut licèt articulus non eſſet formatus eâ diſtinctione, quâ oportuiſſet, intellexerit tamen P. Deſirant, quid vellet: ideoque reſpondit: *Fuit factum Petri Nicolai Tourteau, de quo ipſe reſpondeat.*

2. Nihil enim prorſùs de hac re ſcivit, niſi quod poſteà intellexit ex Reverendo Patre d'Herbe, & poſitum fuit in facto articulo 153. ſcedulæ contrariorum factorum, *quòd Petrus Nicolaus eumdem faſciculum tamquàm ad ſe pertinentem, & ad ſuam juſtificationem neceſſarium, inſcio Eximio Patre quæſiverit, & miſerit ad Magnificum Dominum*, ad quem articulum Reverendus P. d'Herbe, qui faſciculum cuſtodiebat, in judicio reſpondit, *dictum Petrum præfatum faſciculum quæſiviſſe apud Deponentem, inſcio Eximio Patre Deſirant.* Et Petrus idem die ſequenti declaravit Patri Deſirant, ſæpiùs repetens, quòd deberet ſe defendere in judicio, eodem modo, quo & Confeſſario ſuo Patri Grauwels, & Advocato van Schoubroeck reſpon-

dit, prout ſuprà oſtendimus. Nihil proinde hic articulus ad Patrem Deſirant.

3. Nil Adverſarii in Concluſione finali objiciunt niſi articulum 981. *Pacquetum ſic inſcriptum, & ad denuntiationem paratum, latum fuit die 8. Martii ſub veſperam ad ædes Domini Rectoris per duos ignotos milites.* Hoc non tangit Patrem Deſirant. Mirum quòd non etiam Petrus inſtructus fuerit factum hoc in Patrem Deſirant rejicere. Nam in illius *deductione* nulla fit illius mentio. Viderunt forſan, quòd res non mereretur novam fictionem.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

Confutatio vigeſimi-tertii gravaminis: *quòd eidem Tourteau ad Carmelitas ad Stam. Catharinam profugo, varias inſtructiones & falſitates ſubminiſtraverit ad eludendum judicium, & illum confirmandum in judicio.*

1. VIdetur Adverſarios puduiſſe articulum exprimere verbis, quibus ſenſum à ſe intentum manifeſtarent; ſivè quia ſatis ſibi conſcii erant, illum nimis extravagari, ſivè quia volebant Patrem Deſirant latêre criminis gravitatem, quam ei impingere conſtituerant. Articulus enim tantummodò videtur agere de prætenſis inſtructionibus & falſitatibus in genere ad eludendum judicium, & Petrum in perjurio confirmandum. Magna verò Concluſionis finalis pars, prout etiam deductionis, ulteriùs progreditur; contendunt enim etiam, quòd Pater Deſirant illum ſtudio & diſtinctâ operâ induxiſſet ad perjurandum. Parcat Deus criminatoribus tam horrendis.

2. Cùm interim articulus contra jura & praxim hæreret in generalibus, Pater Deſirant quoque generaliter reſpondit: *Negat de falſitatibus, & in omnibus egit bonâ fide.* Hâc reſponſione ſibi præjudicare non potuit.

3. Nè verò incurramus confuſionis vitium, quod in Adverſariis notamus, diſtinctionis causâ procedemus per Paragraphos.

§. I.

De iis, quæ præceſſerunt juramentum à Petro *die* 5. *Martii in judicio præſtitum, ſe famoſam Epiſtolam de* 10. *Januarii ſcripſiſſe ſub dictamine Doctoris* van Eſpen.

4. DIe 3. Martii Doctor van Eſpen notificavit aliquibus de ſtricta Facultate Theologica, Originale famoſæ Epiſtolæ de 10. Ja-

nuarii eſſe in ædibus ſuis, & quòd poſſent illud inſpicere, qui vellent.

5. Igitur ab eventu conſtitit, hanc reproductionem fuiſſe in illius poteſtate. Dies agebatur quadrageſimus poſt primam inſtantiam, quam ſtricta Facultas die 23. Januarii fecerat, & toto menſe Februarii per crebros actus continuaverat. Notandæ ſunt omnes circumſtantiæ, non fictæ, aut ſolis conjecturis innixæ, ſed veræ & legitimis documentis probatæ; & tunc diſpiciendum, non quæ ſuſpicio, ſed quæ concluſio inde reſultat.

6. Quòd Doctor Parmentier die quartâ Martii Doctorem van Eſpen acceſſit, & ibidem invenit D. Canonicum du Vivien, idem Doctor, prout ad art. 128. ſcedæ contrariorum factorum juratus depoſuit, *Doctori van Eſpen in præſentia Canonici du Vivien retuliſſe originalem Epiſtolam de 10. Januarii, eſſe ſcriptam manu Petri Nicolai Tourteau, & quòd deberet ipſum convenire*: Et ad art. 129. *Quòd utrumque deſuper invenit valdè frigidum.*

7. Impleta ſunt vota tua, Clariſſime Domine, originalem Epiſtolam tandem die 3. Martii reproduxiſti. Miſiſti ad Doctores ſacræ Facultatis, ut qui vellent, inſpicerent, & ſi poſſent, ſcriptorem indicarent. Doctor Parmentier ad te, Clariſſime Domine, rectiſſima cum intentione venit; characterem cum charactere contulit, & tibi in præſentia cari Canonici tui du Vivien benignè indicavit, originalem Epiſtolam de 10. Januarii, quæ illud abominabile attentatum continebat, manu Petri Nicolai Tourteau ſcriptam fuiſſe. Tibi gratulare, diu quæſitus ſcriptor inventus eſt, nomen ipſi Petrus Nicolaus Tourteau, filius Nicolai Tourteau, qui eſt Procurator officii, Notarius Apoſtolicus, qui ad inſtantiam tuam ab annis aliquot deſcripſit Librum, quem impreſſiſti ſub titulo: *Jus Eccleſiaſticum univerſum.*

8. Quid hoc eſt? Doctor Parmentier utrumque deſuper invenit valdè frigidum! Seriòne agitur, an joco? Videbaris ſcriptorem quærere ferè ſicut mulier Evangelicam mnam. Non everriſti tantùm domum, ſed univerſa etiam compita & plateas totius oppidi. Et ad inventam hanc mnam torpebis valdè frigidus? Sciebasnè ab initio? Cur apud Bruxellenſes Conſiliarios, cur apud ſummos & infimos eodem tono finxiſti te ſcriptorem non noſſe? quo dixiſti Epiſtolam tuam non eſſe? Utrumque dixiſti omnibus eodem modo. Aut neutrum eſt verum, aut neutrum eſt falſum. Quinimò cum majori energia atque efficacia ſimulaſti, te ignotum ſcriptorem quærere, quàm te authorem non eſſe. Hæccinè forſan cauſa, cur tam diu tergiverſatus fueris Originale reproducere?

9. O ſi Patrem Deſirant ſic reperiſſes in flagranti! quàm diu diceres, quo te modo jactares? quoties exclamares, *enorme mendacium! impudentiſſimum mendacium! horrendam vafritiem, & malitiam ipſius Rei!* Concluſio

tua finalis plena eſt ejuſmodi invectivis. Judicet autem Lector, an Pater Deſirant malâ fide proceſſerit, exiſtimans Doctorem van Eſpen verum Epiſtolæ authorem eſſe?

10. Suſpiciones non volumus. Solem ſuſpice, & radios ejus conſidera, & vide, an lux clariùs ulli ſplendeat in medio die, quàm præſumptiones, quæ in in illis factis rutilant, doloſque & fraudes totius operis non modò comites, verùm etiam ductores annuntiant.

11. Eudoxia ex humili Athenienſis Philoſophi filia, propter excellentes animi corporiſque dotes, cooptata fuerat in Cæſareum thalamum Imperatoris Theodoſii junioris. Theodoſius uxori donaverat pomum ſpecioſi decoris; hæc cuidam Nobili, & Nobilis inconſideranter eidem Cæſari. Cæſar Imperatricem interrogat nùm pomum ſapuerit? Illa verita veritatem dicere, reſpondet ſe comediſſe, & mirè ſapuiſſe Iratus Cæſar pomum oſtendit integrum, convictamque de mendacio in circumſtantiis, quibus ſe de ſiniſtra cum Nobili familiaritate notabat, quaſi ideo non fuiſſet auſa confiteri, ſe Imperatoris donum alteri donaſſe, exuta fuit throno, & mulctata repudio.

12. Clariſſime Domine, qui tot ac tantas tempeſtates excitaſti, quid reſponſurus es, obſecro, interrogantibus te, an pomum ſapuerit, an comederis? Vide quid dixeris. Utrumque aſſeruiſti conjunctim, non ſemel, ſed centies, non leviter, ſed deliberatè, non apud Davum vel Mævium, ſed apud omnes omnis condititionis Viros & Poteſtates. Si verum eſt, quòd ſcriptorem cognoveras, prout nunc confiteris, quomodò vis falſum eſſe, quòd Epiſtolam non dictaveras atque ſubſcripſeras, quod eodem & non alio modo negabas? Vide, nè unum confeſſus, te ipſum apud omnes, æquitatis amantes, convictum reddideris de altero. Quid reſponſurus es interrogantibus, an juſtam cauſam habueris ſic diffamandi, ſic perſequendi, ſic perdendi, deſtruendique Patrem Deſirant, quem honore, quem famâ, quem denique cunctis deſiderabilibus exuiſti, & inſuper poſtulaſti ejus ſanguinem? Præclarum enimverò Sedes Apoſtolica tot annis paſſa eſt impugnatorem. O jactata ſimplicitas Chriſtiana!

§. II.

Qualiter Rectori Univerſitatis innotuerit, quòd Petrus Nicolaus Tourteau *ſcriptor eſſet famoſæ Epiſtolæ de* 10. *Januarii.*

13. STrictæ Facultatis Theologicæ Regentes, tamquàm veri Romano-Catholici pergebant viâ regiâ, & quamquàm nec denuntiare,

nec accuſare vellent; attamen *Doctor Parmentier cum aliquibus aliis narravit Magnifico D. Rectori, quid fuerit factum cum Doctore van Eſſen; nempè ex collatione characteris Petri Tourteau cum originali Epiſtola famoſa patere, quòd ſit idem utriuſque character, idque inſcio Eximio Patre Deſirant.* Sunt verba dicti Doctoris Parmentier ad art. 155. & 156. ſcedæ contrariorum factorum.

14. Hanc Adverſarii depoſitionem viderunt, nec uſlibi in Concluſione finali contradicunt. Hoc ſufficit.

§. III.

Qualiter Petrus 5. *Martii ad Rectorem Univerſitatis citatus fuerit, & de iis, quæ acciderunt, antequàm ad Rectorem iret.*

15. IGnorabat P. Deſirant D. Rectorem admonitum fuiſſe. Nam Doctor Parmentier cum aliquibus aliis id fecerat, *inſcio Patre Deſirant*, prout ſtatim vidimus. Nihil de hoc ſcivit, antequàm ipſe Petrus die 5. Martii paulò poſt meridiem ad Patrem Deſirant venit, referens ſe citatum in forma, ut circa, neſcio, quam horam pomeridianam ad Rectorem veniret, & quòd indubiè ageretur de dando teſtimonio veritatis circa ſcripturam & ſcriptionem famoſæ Epiſtolæ.

16. Non parva, ſed benè magna felicitas extitit, divinæ providentiæ adſcribenda, quòd P. Deſirant tunc non fuerit ſolus. Adverſarii ſuſpicati fuerunt, & Petrus poſteà vel eſt oblitus, vel non ſe reflexit, quòd ſolus non fuerit; & ideo tam illi ad neceſſitatem fingendi redacti, quàm hic coactus neceſſitati parêre, adornaverunt fabulam tot criminibus, quot falſitatibus, totque falſitatibus, quot verbis amplam: quòd nimirùm P. Deſirant Petrum illâ die invitaſſet ad prandium, inebriaſſet, ad perjurium excitaſſet, & in hunc finem prælegiſſet illi Zypæum, de quo nè cogitatum fuit quidem.

17. Tunc enim fortuitò Patri Deſirant aderat D. Advocatus van Schoubroeck, vir integer, & ab Adverſariis ſæpiùs in teſtem productus. Nec aderat fortuitò, quaſi tantummodò poſt meridiem ſuperveniſſet, ſed illâ die pranſerat apud Patrem Deſirant. Nec Petrus paulò poſt meridiem ſuperveniens Patri Deſirant locutus eſt ad aures, ſed altâ voce, ita ut tam dictus D. Advocatus, quàm P. Deſirant intellexerit. Nec Petrus umquàm deſuper egit cum Patre Deſirant ſolo, ſed poſt acceptam admonitionem ſalutarem, præſente dicto Advocato, diſceſſit, & ad Rectorem ivit.

Digitized by Google

18. Audiamus juratam depoſitionem quam præfatus D. Advocatus in judicio ad art. 269. ſcedulæ contrariorum factorum fecit, quam Adverſarii pluries, & quoties illis placuit viderunt, atque examinaverunt, & in tota Concluſione finali inficiari auſi non ſunt. Verba ſunt : *Quod die, quo dictus Petrus Nicolaus primam ſuam depoſitionem coram Magnifico Domino dedit, neſciens an præcisè fuerit quinta Martii* [fuit præcisè, prout patet ex actis, & Adverſarii confitentur] *occaſionaliter venerit in ædibus Eximii Patris,* UBI DEPONENS TUM PRANSERAT, *& audiens à dicto Petro Nicolao, quòd tunc deberet dare teſtimonium veritatis coram dicto Magnifico Domino de præfata littera de* 10. *Januarii, dixit ei deponens in terminis : Benè quid eſt de illa Epiſtola? Repoſuit ei dictus Petrus Nicolaus : Ego eam ſcripſi ſub dictamine Clariſſimi Domini van Eſpen. Ad quod reſpondit deponens in terminis : Amice, agitur hîc de æterna tua damnatione vel ſalute, vide ne inſontes involvas, ſed veritatem dicas. Ad quod idem Nicolaus rursùs repoſuit in terminis, al ſoude ick moeten hangen, branden, ende gevierendeelt worden, het is van Eſpen, die my den ſelven brief heeft gedicteert,* id eſt, *etiamſi deberem ſuſpendi, comburi, & in quatuor partes dividi, eſt van Eſpen, qui mihi dictam Epiſtolam dictavit; & iterùm admonitus in exitu, nè inſontes involveret, dixit, dicam ipſam veritatem, & ſi van Eſpen compareat, in ipſa confrontatione convincam eum.* Hactenùs verba depoſitionis D. Advocati van Schoubroeck.

19. Similes admonitiones dedit etiam Petro Pater Deſirant, non tantùm tunc, ſed etiam pluribus aliis vicibus, tam ſolus, quàm præſente Reverendo P. Franciſco d'Herbe, qui ad art. 269. ejuſdem ſcedæ *reſpondit, dictum Petrum ſæpiùs fuiſſe admonitum ab Eximio Patre & à deponente ut diceret veritatem.*

20. Nunc primo loco ponemus horrendam fabulam, prout eam exhibent in Concluſione finali art. 739. *Admodum veroſimilis redditur depoſitio Petri Tourteau de 27. Martii, quâ depoſuit, quòd ſæpiùs, imò ipsâ die quintâ Martii, quâ ipſe vocatus fuit ad Magnificum D. Rectorem, primam ſuam depoſitionem facturus, Reus ipſi Petro dixerit in prandio, jam agitur & agetur pro bono, unde debes firmiter perſiſtere, prout in Epiſtola de* 10 *Januarii* 1707. *Et ſimiliter dixit & animavit, ut diceret interrogatus de contentis in pacqueto Magnifico Domino delato.*

21. Contradictio hîc occurrit tam palpabilis, ut captum humanum ſuperet, non tantùm qualiter Adverſarii potuerint in eam incidere, verùm etiam, quomodò cauſæ inſtructores non voluerint eam obſervare. De Judicibus non loquor. Niſi ergo pactum quoddam interceſſerit, quòd liceret eis dicere, quidquid vellent, ſub aſſecuratione, quòd tantummodò multiplicandæ forent objectiones, ut ex omnibus ſimul junctis conſtare-

Digitized by Google

tur farrago quædam, quæ in ſuſpicionem degeneraret, quis intelligat, homines illos de quinta Martii agentes, fuiſſe auſos fingere, quòd Pater Deſirant *Petro ſimiliter dixit & animavit, ut diceret interrogatus de contentis in pacqueto, Magnifico Domino delato*, quandoquidem conſtet, & ipſi Adverſarii palam & ſæpiùs fateantur, quod pacquetum illud tantummodò Rectori delatum fuerit die octavâ Martii per duos ignotos milites? En verba articuli 98. Concluſionis finalis. *Pacquetum ſic inſcriptum, & ad denuntiandum paratum latum fuit die 8. Martii ſub veſperam ad ædes Domini Rectoris per duos milites.* Quomodo Pater Deſirant potuit Petro die 5. Martii loqui de pacqueto allato, quod nonniſi tribus diebus poſteà allatum fuit? Et quomodò potuit Petro de illo pacqueto tunc loqui, ubi fatentur, quòd Petrus in prima depoſitione poſt octavam Martii facta, negaverit ſe pacquetum noviſſe, eò quòd ſupponeret rem ſecretam eſſe?

22. Adverſarii præfatâ ſuâ fictione ita delectati eſſe videntur, ut eandem repetierint articulo 984. *Quin adeo etiam poſt ſic detectam fictionem fovit Petrum tamquàm in hoc opere ſuum fidiſſimum miniſtrum. Ut & ipsâ die 5. Martii, quando fuit vocatus ad Magnificum D. Rectorem, & falſum teſtimonium dedit contra Clariſſimum D. van Eſpen, apud ipſum Reum prandiſſet, & largiori hauſtu vini fuiſſet exceptus, ut non tantùm ex ipſius Petri depoſitione, ſed & Rei reſponſo ad articulum 119. interrogatoriorum conſtat. Sub idem* INDUBIE' *tempus Petrum inſtruxit, quomodò cum reſtrictione mentali jurare poſſet, eum in finem ei tradendo reſponſa Zypæi, ut latiùs Capite ſexto deduxit Actor.*

23. Falſum eſt quòd P. Deſirant in illa reſponſione ad interrogatorium 119. vel ullum faſſus fuerit, quòd Petrùs illâ die prandiſſet apud illum, vel largiorem hauſtum vini ſumpſiſſet.

24. Quæ hactenùs ab Adverſariis & de inſtructione, & de prandio, & de Zypæo dicta ſunt, ſatis refutantur tam per depoſitiones ſuprà relatas D. Advocati van Schoubroeck, qui illâ die reverà apud P. Deſirant pranderat, quàm Patris Franciſci d'Herbe qui pranderat ſimul.

§. IV.

Qualiter Petrus Nicolaus Tourteau die 15. *Martii coram D. Rectore depoſuerit & juraverit, ſe famoſam Epiſtolam de* 10. *Januarii* 1707. *ſcripſiſſe ſub dictamine Doctoris* van Eſpen, *eundemque vidiſſe illam ſubſignantem in ſua bibliotheca.*

25. HIc Paragraphus erit omnium difficillimus, cùm enim Adverſarii confidentiſſimè aſſerant, quòd Petrus fuerit tam ſupinè inebriatus,

tus, ut nec habuerit attentionem, nec retinuerit memoriam, periculum eſt, nè verſemur in continuo labyrintho, & verba ſobria miſceantur cum inebriatis, totumque diſcurſùs cothurnum turbent. Ecce enim articulum 215. deductionis, ubi Petrum inducunt loquentem: *Poſtquàm autem prædictus Eximius Pater præfata ſollicitè Reo, id eſt Petro, perſuaſiſſet, eum iterùm tam multo vino oneravit, ut cùm exiſteret apud Magnificum D. Rectorem, vix attenderit, quid reſponderit, aut quòd præſtiterit juramentum. Nam die poſtero dum Reo dicebatur quòd præſtitiſſet juramentum, & quidem perjurum, totus obſtupuit.* Incedemus pedetentim; & cùm de hac depoſitione & juratione nihil niſi ex relatione acceperimus, adducamus Adverſariorum dicta, & ſobria ab ebriis, dum occurrent, quantùm poterimus, diſtinguamus.

26. Cum bona venia Expertiſſimi Domini Raeymaeckers junioris, Medicinæ Licentiati Expertiſſimi, exordiemur ab ipſo. Is enim Rector erat, is Petrum citaverat, is toto depoſitionis & jurationis tempore adfuit. Notum eſt, quòd ſit vir ſobrius, debebatque tunc maximè ſobrius eſſe, tum ratione officii, tum causâ tanti negotii, quod præ manibus habebat. Dicunt quòd nemo meliùs poſſit ebrietatem à cæteris morbis diſtinguere, quàm Medici. Rogetur, obſecro, an obſervaverit Petrum inebriatum fuiſſe?

27. Succedit D. Henricus Malcorps Advocatus Fiſcalis, qui fungebatur officio Promotoris, & ſimul explebat partes Commiſſarii, ſivè Judicis, & Petrum examinabat. Is etiam ſcire potuit, an Petrus tunc ebrius fuerit. Aderat D. Guilielmus Leunckens, qui agebat Aſſeſſorem. Poterit & hic de Petri ebrietate, ſi velit, teſtimonium dare. D. Secretarium Bartholomæum Hendrickx non interrogabimus, quia is certo reſpondebit, ſe non poſſe loqui.

28. Audiatur nunc Petrus Nicolaus Tourteau. En verba articuli 24. deductionis loco motivi: *Reus*, id eſt Petrus, *acceſſit Magnificentiam veſtram quintâ Martii hujus anni 1707. ubi ſub juramento ſuo declaravit, quòd prædictam Epiſtolam famoſam, liſtam, & Formularium ſcripſiſſet in bibliotheca prædicti Clariſſimi Domini van Eſpen, & quidem ſub ejuſdem dictamine, & quòd ei dederit calamum ad manus, in finem ſignandi.*

29. Nullum ego hîc veſtigium ebrietatis invenio, nullum ſignum amiſſionis memoriæ.

30. Audiamus etiam Concluſionem finalem quam præfatus D. Henricus Malcorps ſignavit. Agitur enim hîc de facto cui interfuit. En verba articuli 80. *Quando contra Clariſſimum D. van Eſpen deponebat, quamvis res diu fuiſſet præmeditata, mox variavit circumſtantias, quæ ſimul nullo modo conſiſtebant, allegabat.*

Digitized by Google

31. Ergonè admiſiſtis illum ad juramentum? Quâ conſcientiâ, ſi inveneritis inebriatum? Aut ſi inebriatum non inveneritis, quâ rursùs conſcientiâ Patrem Deſirant accuſatis, quòd inebriaſſet, & ſic inebriaſſet, *ut cùm exiſteret apud Magnificum D. Rectorem, vix attenderit, quid reſponderit, aut quod præſtiterit juramentum*? Alterutrum eſt falſum. Si Petro non credideritis contra Doctorem van Eſpen, deponenti & juranti ſub prætextu quòd mox variaſſet; quânam conſcientiâ eidem Petro fidem præſtari vultis contra Doctorem Deſirant, contra quem toties, & tam graviter, & in his ipſis circumſtantiis variavit, & numquàm juravit?

32. Audiamus iterùm eundem D. Henricum Malcorps ibidem art. 810. *Dicit Reus*, id eſt Pater Deſirant, articulo 415. *reſponſionis ulterioris, præfatum Petrum, accuſando dictum Clariſſimum Dominum ſuſtinuiſſe eundem dictam Epiſtolam de* 10. *Januarii ſibi dictaſſe, & ſubſignaſſe, idque tantâ energiâ expreſſiſſe ſub juramento, ut ipſe Advocatus Fiſcalis dixerit hoc audiens*: HANC MACULAM JANSENISTÆ NUNQUAM ELUENT.

33. Iterùm hic textus falſatus eſt. Verba reſponſionis ulterioris ſunt: *Quòd expreſſit Petrus Reum cum tanta energia ſub juramento à Magnificentia veſtra petito & præſtito, ut ipſe Advocatus Fiſcalis in præſentia Magnificentiæ veſtræ & aliorum dixerit in terminis: Dien leck en ſullen de Janſeniſten noyt afvvaſchen*, id eſt, ISTAM MACULAM JANSENISTÆ NUNQUAM ELUENT.

34. Falſatio in hoc ſita eſt, quòd ubi Adverſarii in Concluſione finali prætenſa verba Patris Deſirant litteris curſivis exprimunt, tamquàm formalia, ſupprimunt eſſentialia, abſque eo, quòd ullum ſolitum ſignum apponant undè poſſet cognoſci aliquid intermiſſum eſſe, nimirùm hæc, *à Magnificentia veſtra petito & præſtito*, & item iſta: *in præſentia Magnificentiæ veſtræ & aliorum.* Ex his verbis interpreſſis, quorum veritatem negare non audent, emphaticè oſtenditur, quòd commune omnium judicium fuerit, Petrum fuiſſe ſibi maximè præſentem, & conſequenter nullatenùs inebriatum. Cur iſta omittuntur? Eſt autem ipſis impoſſibile ſincerè citare, prout pluries oſtendimus.

35. Proſequatur interim D. Henricus Malcorps, & reſpondeat ad dictum ſuum. *Atque hinc concludere vult Reus, non mirum eſſe, ſi & ipſe Petri dictis fidem habuerit*, inquit art. 811.

36. An Pater Deſirant hoc in illo loco concludere voluerit, patebit ex verbis ibidem ſubſequenti articulo 416. expreſſis: *Hic habetis authorem, ſcilicet pleniſſimæ denuntiationis. Quo autem fundamento alium quærere poteſtis?* Hæc eſt vera Concluſio, quam Pater Deſirant ibi fecit. Quid vobis in mentem venit in re tam patenti aliam Concluſionem fingere? Iterùm

Digitized by Google

ſalſatis textum. Pater Deſirant illic ſimpliciter vult oſtendere, quòd perperam velletis ipſum pro denuntiatore habere, ubi habebatis Petrum tam energicè deponentem, ut ab illo juramentum petiveritis & exceperitis, & tunc judicaveritis, quòd *Janſeniſtæ nunquàm hanc maculam eluent.*

37. Inſiſtemus tamen etiam ſenſui, quem huic Propoſitioni tribuis. Dic igitur nobis, in quo fundata fuerit hæc conſequentia: *Petrus Nicolaus Tourteau juratus contra Doctorem van Eſpen depoſuit; ergo hanc maculam Janſeniſtæ nunquàm eluent?* Imprimis niſi fatearis hunc Doctorem cum ſuis tibi Janſeniſtas eſſe, & Petrum Nicolaum ſatis ſobriè depoſuiſſe; quomodò potuiſti hanc ſententiam ſobrius in hoc Collegio tuliſſe? Adde nunc ridiculam vocem *prætensè*, ut volueris, nihil nos illius cura remordet. Jam dudum enim obſervavimus ipſos tenaciſſimos Janſeniſtas hanc clauſulam non addere, niſi dum ſtudium adhibent, palliandi quod ſunt, cæteroqui dum inter ſe loquuntur ſchapham ſchapham vocare.

38. Promiſit D. Henricus Malcorps ſe panditurum eſſe rationem, cur nihilominùs Petro non crediderit, aut ſi crediderit, non perrexerit credere. *Verùm hæc potiùs malam, quàm bonam fidem in Reo*, id eſt in Patre Deſirant, *evincunt*, art. 812. Perge, perge Laice colaphizare Sacerdotem, præbebitur tibi altera maxilla. Percute, non dolebit. Quòd enim Pater Deſirant ab Henrico Malcorps dicatur malæ fidei eſſe, non poterit ipſi eſſe indecorum apud illos, qui utrumque nôrunt.

39. Pergit art. 813. *Dictus enim Advocatus Fiſcalis nequaquam in hoc Petri dicto acquievit. Neque plenam fidem habuit, uti ſe habuiſſe Reus ſimulat. Sed mox vocari & audiri dictum Clariſſimum petiit.*

40. Hîc te volo. In quanam qualitate id petiviſti? Tu in qualitate Advocati Fiſcalis citare poteras, Pater Deſirant non poterat. Tu poteras examinare ſine ullo tui periculo, Pater Deſirant non poterat. Tibi præſto erat authoritas Rectoralis, quæ jam incœperat; Patri Deſirant non erat. Et tamen Pater Deſirant fecit quod potuit, & detexit quod noluiſti.

41. Ruſsùs quæro in quanam qualitate? Id eſt, in quanam qualitate petiiſti, ut Doctor van Eſpen vocaretur, & audiretur? Confeſſus es, & non negaſti, quòd ſtatim poſt auditum & juratum Petrum pronuntiaveris, *nunquàm Janſeniſtæ hanc maculam eluent.* Igitur ſi vir frugi eras, debebas Doctorem van Eſpen, ſaltem per momentum, habere præſumptivè Reum. Petrus tam energicè depoſuerat, ut admiſeris ad juramentum. Sola rei magnitudo tibi perſuadere debuerat, ut tale ac tantum juramentum differres. Niſi ergo in conſcientia judicaveris depoſitionem veroſimillimam fuiſſe, nec potuiſſes, nec voluiſſes juramentum tam præcipitanter admittere. Admiſiſti; Petrus juravit, & pronuntiaſti, *nunquàm Janſeniſtæ hanc maculam eluent.*

Ii 2

Digitized by Google

42. Pergit art. 814. *Si eadem aut ſimilia media, quæ obvia & naturaliſſima erant, Reus*, id eſt Pater Deſirant, *adhibuiſſet*, id eſt, ſi voluiſſet credere Doctori van Eſpen, ſibi decies contradicenti, prout (ſatis in diſcuſſione famoſæ actæ, quam die 17. Aprilis fecit, oſtenſum eſt) *quid non potuiſſet detegere?* Multa detexit; ſi verò umquàm nanciſcatur inſpectionem actorum hujus litis, multò plura deteget. *Si eum aliquid latebat* [ipſum hæc acta latent] *à medio Octobris* 1706. *uſque ad diem, quo ſe ad Carmelitas ad locum azyli recepit!* [ſufficerent ipſi viginti quatuor horæ] *certò certiùs*, *& ſine ulla difficultate totius hujus tragœdiæ fictionem detexiſſet.* [Satis in præfata Doctoris van Eſpen acta detexit, prout etiam in litteris Henrici Graſper, de quibus in concordantia.] *At eam detegere noluit.* (Tragœdia detecta eſt ſatis, ſed nondum in ſcenam data.) *Totius hujus negotii tenebrarum primarius architectus.* Verus architectus tenebroſus eſt, prout dicis, incedit nigris veſtibus; oſtende autem, quod geſtet largas manicas, & eris mihi magnus Apollo.

§. V.

Qualiter mox à Petri *depoſitione vocatus fuerit, & ad judicium venerit Doctor* Z. B. van Eſpen.

43. ACta non vidimus, multa audivimus, quæ nondum expedit in lucem dare: quarè ſimpliciter obſervabimus, quid Doctor van Eſpen de ſua vocatione & comparitione in Concluſione finali credi jubeat ſub nomine Actoris, ſubſignante ſolo D. Henrico Malcorps, viro ſatis noto.

44. Advocatus Fiſcalis D. Henricus Malcorps, *mox vocari & audiri dictum Clariſſimum petivit*, inquit citato articulo 813. Debebatnè vir ille mox vocari propter depoſitionem pueri tam graviter inebriati? Debuiſſes permittere priùs, ut edormiiſſet crapulam, & poſteà ſobrium examinaſſe, poſtquàm recollegiſſet memoriam; ſi namque tibi conſtas, debuiſti advertere, quòd *cùm exiſteret apud Magnificum D. Rectorem vix attenderit, quid reſponderit, aut quod præſtiterit juramentum.* Sunt verba ejus in deductione loco motivi art. 215. Et vos adoptaſtis illa in veſtra Concluſione finali art. 740. in verbis: *Et in recollectione ſua addidit, quòd Eximius P. Deſirant ipſum quintâ Martii vocaverit ad prandium, & quòd ipſum egregiè inebriaverit, antequàm iret ad Magnificum Dominum.*

45. Audiamus ergo, quid Doctor van Eſpen in judicio patraverit. Sed priùs exponetur in quanam qualitate comparuerit? An tamquàm Reus ſaltem præſumptivè? Negatis. An tamquàm teſtis? Contra quem, & in

Digitized by Google

cujus cauſa? An tamquàm Actor? Nondum actionem inſtituerat. Ergonè tamquàm Judex, ut ſeipſum vel damnaret, vel ſub juramento abſolveret? O inordinatam judicii telam! paucorum minutorum ſpatio inducere conflictum juramentorum, accuſatum in propria cauſa ad juramentum admittere, & hoc ſolo medio tam purgatum dicere, ut pro totius cauſæ directione ſtatuatur hæc regula, quòd *præſens judicium unicè verſetur circa hanc quæſtionem, an Reus, ſcilicet Pater Deſirant ſit horum ſcelerum inventor, inſtigator & primarius artifex*, verba ſunt articuli 18. Quid ergo de Doctore van Eſpen? Ipſe aget teſtem. In proprianè cauſa? Hoc ipſi licitum erit, ſaltem in hoc Tribunali: *Quotidianum enim eſt, quando furtum commiſſum, vis publica vel privata illata eſt, aut ſimile crimen patratum; ut mox Officiarii apud eos, qui furtum aut vim paſſi ſunt, de crimine ejusque authoribus informent, & ea paſſos in teſtes producant, ubi nulli umquàm in mentem venit, ejuſmodi teſtes ſolo hoc titulo reprobari poſſe.* Inquiunt art. 49. O ludibrium juſtitiæ!

46. Quis enim neſciat, quòd qui injuriam furti aut ſimilem, ſeu publicam, ſeu privatam paſſus eſſe dicitur, per hoc non accuſetur, neque ullius culpæ reus ſit, ſed ſolam injuriam acceperit? Ubiècontra ſi Doctor van Eſpen Epiſtolæ, de qua accuſabatur, author ſit, ſi Librum Congregationum perdiderit; horrendiſſimi criminis, prout Adverſarii loquuntur, reatum incurrerit, atque ideo in hac cauſa teſtis eſſe non poſſit, partim nè in cauſa propria dicat, partim nè livori cedat contra illum, à quo ſe falsò delatum eſſe ſuſtineat?

47. Præfatæ nihilominùs regulæ in hujus cauſæ inſtructione obtinuerunt. Utrùm Doctor van Eſpen verus famoſæ Epiſtolæ author eſſet, nè agitatum eſt quidem. Tanti valêre juſſa eſt D. Henrici Malcorps authoritas. An forſan Doctor van Eſpen ei in aures inſufflaverit, memento, quòd ab anno 1690. uſque in præſentem diem nos duo conjunctis viribus litem direxerimus contra Patrem Deſirant; venit hora, ecce circumſtantias, Decretum Leidenſe conſidera de 7. Februarii elapſi: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert vvorden*, id eſt, *at præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt*; ſcire nefas. Actum fuit.

48. *Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſupervenerit.* Eccleſiaſtes c. 19. v. 12.

49. Quidquid ſit, Doctor van Eſpen juravit, & hoc mediante purgatus dicitur. Idque non modò contra doctrinam Doctorum omninò omnium, contra ſacros Canones, contra Leges & praxim cunctorum ſub cœlo Tribunalium, verùm etiam in ſpecie contra manifeſtam ipſiuſmet

Digitized by Google

verò 242. *deductionis* inducitis Petrum aliter loquentem : *Poſt prædictas illas exhortationes conſuluit tandem Eximius Pater, ut Reus*, id eſt Petrus, *ſe reciperet in Cænobium RR. Patrum Carmelitarum ad Stam. Catharinam pro quatuor aut quinque diebus, quia, aiebat, Dominus Fiſcalis per falſas probas Decretum apprehenſionis ad onus veſtrum obtinuit. Quo audito, Reus ſe è veſtigio ad prædictum Cænobium recepit.*

57. Vos dicitis, quòd Petrus *ſtimulis conſcientiæ agitatus ſe receperit.* Petrus dicit quòd P. Deſirant ipſi conſuluerit, ut propter Decretum apprehenſionis à Fiſcali per falſitates impetratum ſe reciperet. Non ſtant iſta ſimul.

58. Audiatur nunc ſenior Tourteau, qui Petrum illâ die 12. Martii ad dictum Conventum duxit. En verba declarationis, quam fecit die 22. Martii 1707. in Originali conſignata die 15. Novembris ejuſdem anni. *Infraſcriptus declaro in favorem juſtitiæ, quòd cùm ſpargeretur rumor, quòd ad onus mei filii Petri Nicolai obtentum eſſet Decretum apprehenſionis ad onus ipſius, ex eo quòd accuſabatur illum ſcripſiſſe Epiſtolam & Formulare contra Romanam Eccleſiam*, EGO JUSSERIM *ſe recipere ad Conventum RR. Patrum Carmelitarum Calceatorum, meque infraſcriptum ſæpiùs, & ſæpiſſimè eundem Petrum Nicolaum meum filium adiiſſe, & rogaſſe, & seriò monuiſſe, ut mihi omninò revelaret, & diceret veritatem, quid de re ipſa eſſet, & mihi declararet abſolutè illum, qui juſſiſſet ipſum ſcribere Epiſtolam & Formulare, de quibus accuſabatur. Firmiter ſemper reſpondit, quòd eandem Epiſtolam & Formulare ſcripſiſſet ſub dictamine Clariſſimi Domini van Eſpen.* Hi fuerunt veri ſtimuli conſcientiæ, quibus Petrus uſque ad 21. Martii agitatus fuit. Et conſequenter juramenti ſui veritatem ſæpiùs & ſæpiſſimè, etiam apud proprium ſuum Parentem per ſeptemdecim dies palam ſuſtinuit, tantùm abeſt ut *mox* à depoſitione ſtimulis conſcientiæ agitatus coram Patre ſuo fleverit.

59. Non ergo ipſe ſe ad Carmelitas recepit, ſtimulis conſcientiæ agitatus, prout vos fingitis; nec Pater Deſirant conſuluit, ut ſe reciperet, prout docuiſtis ipſum fingere; ſed Parens ejus *juſſit*, ut ſe reciperet, quia ſparſeratis rumorem, quòd ipſe tamquàm author Epiſtolæ & Formularis apprehendendus eſſet. Ab hujus terroris incuſſione incœpiſtis ut fugeret, aut ut aliud, quod poſteà fecit, faceret.

60. Nec ſoli Patri ſuo Petrus apud Carmelitas ſic locutus fuit, ſed omnibus ſine exceptione, cum quibus ibidem de negotio egit. Suprà oſtendimus, quòd die 12. Martii priorem ſuam declarationem contra Doctorem van Eſpen, non ſolùm verbis, ſed etiam ſcripto renovaverit, & confirmaverit in manibus Confeſſarii ſui Reverendi Patris Grauwels. Juvat etiam hic inſerere declarationem Venerabilis viri Domini Canonici Gallot,

Digitized by Google

Gallot, qui, Patre Deſirant inſcio, cum Petro ibidem egit, nec obiter, ſed ſtrenuè illum diſcuſſit. Verba ſunt : *Je ſouſſigné Prêtre, pour rendre témoignage à la verité, declare par cette preſente, que le dix-neuf de ceprefent mois de Mars, Fête de St. Joſeph, je ſuis allé ſur les trois à quatre heures après midy, au Convent des RR. Peres Carmes Chauſſés dits de Ste. Catherine, pour y faire mes prieres dans leur Egliſe, & qu'en ayant trouvé la porte fermée, je ſuis entré par leur Parloir, où j'ai trouvé le jeune Tourteau avec ſa Mere, lequel m'ayant ſalué, a quitté ſa Mere, laquelle s'en eſt allée, & il eſt entré avec moi dans les Cloîtres, où en nous promenant je pris occaſion de lui parler de la Lettre & du Formulaire, qui font à preſent tant de bruit ; & après avoir tourné de tous côtés pour lui faire declarer la verité du fait &c. Après avoir employé remontrances, prieres & menaces, pour l'obliger à découvrir ſon cœur, s'il y avoit de la fourberie de ſa part pour tâcher d'y remedier, & éviter les ſcandales horribles, qui en proviendroient. A quoi ledit Tourteau m'ayant répondu conſtamment, qu'il avoit denoncé la verité, & qu'il la ſoûtiendroit juſqu'à la mort ; je lui repliquai enfin qu'il étoit bien fol de s'attacher ſi fortement au Pere Deſirant, que ce Pere n'étoit pas pour faire ſa fortune, que lui ſeul en patiroit, & que s'il continuoit par ſes fourberies à épouſer les paſſions de ce Pere, & à ſoûtenir les fauſſetez qu'il lui avoit miſes en tête, je ne repondois pas de ſa vie : à quoi ledit Tourteau m'a de nouveau répondu, que le Pere Deſirant n'étoit pas l'autheur des choſes qu'il avoit denoncées, qu'il avoit dit la verité, & qu'il la ſoûtiendroit toûjours.* Hæc declaratio fuit annexa ad uberiorem reſponſionem n. 17.

§. VII.

Qualiter Adverſarii Petrum *in azylo conſtitutum die* 19. *Martii minis aggreſſi fuerint, ut juratam ſuam depoſitionem in judicio factam revocaret.*

61. PRimam inauditæ hujus violentiæ notitiam accepimus à ſeniore Tourteau, qui in ſupradicta declaratione ſua de 22. Martii ita pergit : *Quòd mea uxor nudius-tertiùs horâ nonâ matutinâ venerit ad me in Eccleſia Divi Michaëlis, narrando, quòd quando ipſa erat in diſceſſu à ſuo filio, viderit intrantes Monaſterium ſupradictum Dominos du Vivien & Vernuel. Et ego illâ die acceſſi poſt meridiem meum prædictum filium, & interrogavi ipſum, quid iſti Domini apud ipſum feciſſent, qui reſpondit, quòd petiiſſent, an ille perſiſteret, & quòd meus filius reſponderit, ego dixi veritatem. Actum ut ſuprà*, id eſt 22. Martii.

62. Quin etiam ipſe Petrus eâdem die 22. Martii in ſignum, quòd in

Digitized by Google

depoſita veritate perſiſteret, uni alteri dedit ſcriptam declarationem, cujus Originale in judicio conſignatum fuit die 15. Novembris, ſequentis tenoris: *Infraſcriptus teſtor, quòd D. Canonicus du Vivien & D. Verniel mihi dixerint 19. hujus, quòd ſi non darem aliam revocatoriam, quòd meipſum projicerem in magnam miſeriam & calamitates, & quòd deſuper reſponderim, me deſuper deliberaturum ſeriò, & perſiſto firmiter, eſſe Dominum van Eſpen, qui eſt Reus. Actum Lovanii hâc 22. Martii 1707.* Signatum erat. *P. N. Tourteau.*

63. Notandum, quòd D. Canonicus du Vivien ſit ille idem, ad quem Doctor van Eſpen Bruxellis exiſtens, miſit copiam famoſæ Epiſtolæ per Licentiatum Opſtraet evulgari cœptam die 22. Januarii 1707. Et eſt idem, qui eidem Doctori aderat die 4. Martii, quando Doctor Parmentier illum commonefecit, quòd originalis Epiſtola ſcripta eſſet manu Petri Nicolai, & invenit utrumque deſuper *valdè frigidum.*

64. Fatentur Adverſarii, quòd hi duo præfatâ die 19. Martii Petrum Nicolaum acceſſerint, & art. 753. agnoſcunt in terminis, Doctorem van Eſpen illis duobus *amiciſſimum eſſe.*

65. P. Deſirant in ſua uberiori reſponſione Adverſariis objecit, quòd duo illi Achates Petrum talibus minis aggreſſi fuerint, præfatamque Petri declarationem annexuit ſub n. 16.

66. Adverſarii in ſua Concluſione reſpondent art. 150. *Quòd verò articulis 20. & 49. reſponſi ulterioris ſuſpicatur, quaſi Petrus ab aliquo conductus ſit ad Reum fallendum, planè ridiculum eſt, præſertim ubi* ACTIONIS TAM INFAMIS *articulo 50. & ſequentibus, duos Presbyteros inſimulat, quos* PROBITAS EORUM PUBLICE' NOTA A TEMERARIIS ILLIS SUSPICIONIBUS SUFFICIENTER PURGAT, *nimirùm D. Canonicum du Vivien, & D. Jacobum Verniel.*

67. Non negamus, quin probitas, quamcunque habent, ſit publicè nota, prout etiam publicè notum eſt, quòd ſint amiciſſimi Doctoris van Eſpen, utì articulo 153. aſſerunt, necnon, quòd ſint de numero illorum, qui palam prædicant, non dari Janſeniſtas. Satis dixi.

68. Interim non audent inficias ire, quòd Petrum taliter aggreſſi fuerint. Aliud non volumus, aliud non diximus.

69. Pergunt Adverſarii art. 151. *Uti & ſola conſideratio, quòd Petrus jam facti pœnitens, & clementiam Magnificentiæ veſtræ implorans, eos indubiè nominaret, ſi ab ipſis in laqueum hunc inductus fuiſſet.*

70. Atqui Petrus eos nominavit in præcitata ſua declaratione de 22. Martii, quam nequidem in ſua deductione revocavit. Quid ergo plus requiritis? Vos illam declarationem vidiſtis: vidiſtis copiam: vidiſtis Originale, vidiſtis omnia; quid titubatis? Reſpondete ad illam, ſi poteſtis.

Digitized by Google

Petrus tandem ipſorum minis ſuccubuit, quòdque clementiam imploret, ex promiſſionibus ipſi poſt minas factis, procedit. Vultisnè, ut promiſſam clementiam petat, declarando, quòd in laqueum iuductus fuerit per illos, qui clementiæ ſpem fecerunt?

71. Pergunt articulo 152. *Deinde dicti Presbyteri producti in ſua recollectione 18. Junii 1707. & ſuper ea re interrogati, ambo ſe ſuper ipſa expurgarunt.*

72. Quidnam illâ die 18. Junii acciderit, ignoramus, quia acta videre non licuit. Ex præſenti articulo diſcimus, quòd ſtatâ lege laverint ſeſe mutuò, & hoc per vices. Prius lotus fuit Doctor van Eſpen, qui die 5. Martii ſtatim poſt juratam Petri depoſitionem vocatus, & mediante juramento ſic purgatus fuit, ut habilitatus fuerit ad dandum teſtimonium, ad dirigendam actionem, & ad componendam actam, in qua ſcripſit, quod voluit, ſibique contradixit, quantùm potuit, iterùm juravit, & legem poſuit, quòd de cauſa ſua non deberet diſceptari, ſed tantummodò in hoc judicio ventilari, uter magis Reus foret, an P. Deſirant, an Petrus Nicolaus Tourteau. Secundo loco abluti fuerunt præfati Domini du Vivien, & Verniel, etiam mediante ſimplici juramento, quod latet. Neque pluris indigebant, niſi forſan levi declaratiunculâ, quòd *eorum probitas ſit publicè nota.* Tres teſtes, qui non conveniunt inter ſe, prout Adverſarii faſſi ſunt in ſuo termino de 7. Julii, fuerunt pariter loti, ſed materia & forma adhuc ſervatur ignota. At verò Petrus Nicolaus eſt ſuperlotiſſimus. *Anteacta vita innocentia*, prout loquuntur art. 2. deductionis, tota quanta reputata eſt ad tantam juſtitiam, ut nè peccaſſe quidem videatur. Poſt variationes enim, poſt ſacrilegia confeſſa, poſt confeſſum perjurium, poſt minas, poſt promiſſiones, in Patronorum ſuorum poteſtate detentus, cœpit accuſare Patrem Deſirant, & in iſta accuſatione lautè tractatus perſtitit per novem vel decem menſes. En verba articuli 79. *Quòd jam conſtanti decem menſium vel circiter experientiâ, planè cognita & explorata ſit ejus in poſteriori ſua depoſitione veracitas.* O ludibrium juſtitiæ humanæ!

73. Non oportet autem ſic dimittere purgationem Dominorum du Vivien & Verniel. Examinandum enim eſt, an abluti non fuerint aquâ turbidâ. Verba citati articuli 152. erant: *Super ea re interrogati ambo ſe ſuper ipſa expurgarunt.*

74. Si percunctari liceat, ſcire velim, ſuper qua re interrogati fuerint. Sordes olfacio. Omne vetitum ſtudium adhibuiſtis, nè Pater Deſirant ullius interrogatorii notitiam haberet. Hoc malum eſt. Et prout ipſi ſæpiùs agnoſciti, ac ſignanter articulo 140. *Nemo malus eſt gratis.*

75. Dicite ergo, nuntiate nobis, ſuper qua re hos probos veſtros interrogaveritis. Interrogaſtisnè utrùm die 19. Martii acceſſerint Petrum

Digitized by Google

Nicolaum Tourteau, apud Carmelitas profugum, eique dixerint, *ſi non daret actam revocatoriam, quòd ſeipſum projiceret in magnam miſeriam & calamitates?* Hoc ſolum interrogandum erat, quia hoc ſolum ipſis objiciebatur.

76. Lucem porriget ſubſequens articulus veſter 153. *Denique duo illi dictum Tourteau numquàm induxiſſent ad pejerandum, contra Dominum van Eſpen illis amiciſſimum, ſed potiùs contra Reum*, id eſt, *Patrem Deſirant, ſi hunc per dictum Petrum perdere voluiſſent.*

77. Quid hoc ad rem, obſecro? Non eſt quæſtio, utrùm voluerint inducere Petrum ad pejerandum contra Dominum van Eſpen: ſed utrùm die 19. Martii 1707. Petrum acceſſerint, & minas intentârint? Hoc ſatis novimus, quòd Petrum potiùs excitaſſent ad pejerandum contra Patrem Deſirant, prout hìc in hoc articulo apertiſſimè profitemini, vos, qui illorum intentiones cognoſcere debetis, aut nemo. Et cùm hoc profiteamini, Lector judicet, quid de illorum intentione, & intentatione cogitandum ſit. Ergonè ſunt purgati ab objectione minarum, quia interrogati, num Petrum induxerint ad pejerandum contra Doctorem van Eſpen, reſponderunt & juraverunt, ſe non induxiſſe? O juſtitiæ humanæ non modò ludibrium, verùm etiam proſtibulum! Non enim dumtaxat eſt expendendum quid juraverint, ſed in quem finem hoc juramentum petitum, & impenſum fuerit. Non tantùm nomen Domini aſſumitur in vanum, dum falſum juratur, verùm etiam, dum juramentum in falſum & pravum finem dirigitur. Scriptum eſt: *Nec enim inſontem habebit Dominus Deus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei fruſtrà.* Eſt lex ſecunda Decalogi, eſt lex naturæ, quam, Auguſtino teſte, nè ipſa quidem delet iniquitas. Si ergo dicti probi viri veſtri nonniſi ſic loti fuerint, indigent lavari adhuc. Hoc enim manet, graves illas minas die 19. Martii per illos duos Doctori van Eſpen *amiciſſimos*, Petro, ut retractaret, injectas fuiſſe, & quòd Adverſarii illud negare auſi non fuerint.

78. Nihil audimus, niſi frigidum illud, *ambo ſe expurgarunt.* Videndum autem, nè hoc pacto etiam omnes falſi teſtes expurgentur, dummodò in judicio jurent, ſe vera dixiſſe. Hoc pacto quilibet iniquus accuſator expurgabitur, dummodò propitium cauſæ inſtructorem nanciſcatur, qui ipſum abſolvat mediante juramento calumniæ. Hoc Denique pacto quilibet falſarius expurgabitur, ſi rursùs falsò juret, ſe nihil falſi egiſſe. Ergonè *ambo ſe expurgarunt?* Explicate ſaltem expurgationis genus & modum. Fuitnè purgatio vulgaris, de qua Doctor van Eſpen part. 3. tit. 8. c. 4. n. 2. loquitur, quæ in aliquibus terræ plagis olim explorabatur per aquam frigidam, vel aquam calidam, aut ferrum candens? Fuitnè purga-

Digitized by Google

tio Canonica, de qua ibidem agit n. 41.? Ecce autem, quid de illa concludat in fine, n. 58. *Quin & Judices meritò in indicenda hac purgatione circumſpecti eſſe debent, nè eam facile indicendo ſacrilegii & perjurii participes efficiantur. Etenim cùm homines, qui magnorum criminum ſunt rei, auſi fuerint propter utilitatem aut voluptatem, quas in criminibus quæſiverunt, graviter impingere in legem æternam ejuſmodi crimina prohibentem, magnoperè timendum eſt, nè, ut ſupplicium & infamiam, quæ ob crimina commiſſa imminent, evadant, pejerare audeant. Facile eſt hinc videre, quàm ſæpè ſacrilegum ſit ab ejuſmodi criminoſis expetere, ut juramento ſe purgent, cùm, ſi non certum ſit, ſaltem admodum veriſimile, quòd pejerabunt, ſi crimen reverà commiſerint.* TEMERARIUM PROINDE EST CREDERE, QUÒD TALE CRIMEN NON COMMISERINT, QUIA JURANT SE NON COMMISISSE. Plura non dico: nec pluribus opus eſt. Hoc Janſeniſtæ docent, aliud practicant.

§. VIII.

De promiſſionibus & effectibus Petro *præſtitis in eundem finem.*

79. NIhil magis deridiculum, quàm quòd Adverſarii Petri converſionis epocham ſtatuant in diem 26. Martii 1707. En verba articuli 88. *Variavit quidem, donec reſipiſcens apud acta in ſuis reſponſionibus depoſitionem ſuam priorem ad onus Doctoris van Eſpen retractavit, & adversùs Reum, id eſt, Patrem Deſirant deponere cœpit.*

80. Nota, Lector, illud, *variavit quidem donec.* Numquid hæc inſignis praxis eſt, in teſte diſſimulare omnes anteriores variationes ſuas, donec tandem ei inciderit accuſare quem volumus? Eſtnè, hoc *reſipiſcere?* Ubinam ſumus, ubinam vivimus? Ubinam innocentia erit tuta, ſi tales ſycophantiæ in judicio obtineant, ut inſtructoribus cauſæ liceat tam perfrictâ fronte, etiam in Concluſione finali ſcribere ac ſuſtinere, quòd ſit licitum adhibere teſtem, qui priùs in judicio depoſuerat & juraverat contrarium, & poſteà tertiò variaverat. [Verba articuli 87. ſunt: *Tertiò variavit.*] Ac dein impendere dicta ultima poſt variationem triplicem, & contra contrarium juramentum data?

81. Jungamus ipſorum articulum 82. *Nunc autem à 26. Martii, quâ ſe recognoſcere & veritatem aperire cœpit adversùs Reum*, id eſt, *Patrem Deſirant.*

82. Nova contradictio! ſuprà art. 80. dicunt, *mox variavit.* Et paulò poſt; *Turbatus & dejectus ſtimulis conſcientiæ amarè flebat.* Et art. 81. *Mox iiſdem ſtimulis agitatus.* Quidnam igitur ipſis ſignificat particula *mox?* Mox apud me idem eſt, quòd *ſtatim.* Inter 5. Martii & 26. ejuſdem interceſ-

ferunt dies unus & viginti. Quomodò mox fecit, qui tantummodò die 26. *cœpit?* Et nè tunc cœpit quidem.

83. Fruſtrà repeterem depoſitiones ſuprà relatas, ex quibus conſtat primò: quòd Doctorem van Eſpen perrexerit gravare apud Advocatum van Schoubroeck: ſecundò, apud D. Canonicum Gallot: tertiò, apud Parentem ſuum, qui inſuper in citata depoſitione ſua de 22. Martii, quæ in judicio conſignata fuit die 15. Novembris, addidit: *Et ulteriùs ipſum monendo & interrogando, an forſan non illam Epiſtolam & Formulare ſcripſiſſet ſub dictamine aut ſuggeſtione Eximii Patris Deſirant, reſpondit ſemper quòd non, & quòd ipſe Eximius P. Deſirant eſſet innocens in iſto negotio, & eadem mihi adhuc declaravit heri die vigeſima-primâ Martii* 1707.: quartò, per propriam ſcripturam & ſignaturam de 22. ejuſdem menſis ſæpiùs reproductam.

84. Sed non fruſtrà addam, quòd die 27. ejuſdem Martii Doctori Parmentier in præſentia D. Aſſeſſoris dixerit, *quòd Eximius Pater Deſirant eſſet innocens*, prout idem Doctor juratò depoſuit ad art. 21. ſcedulæ contrariorum factorum.

85. Et tamen pridiè, id eſt, die 26. Martii, incœperat exonerare Doctorem van Eſpen, & gravare ſeipſum.

86. Itaque illa exoneratio fuit effectus minarum. Quòd autem Patrem Deſirant per novam variationem accuſare cœperit, is fuit effectus promiſſionum.

87. De minis egimus, ſed non ſatis diſtinctè expreſſimus. Primæ intentatæ fuerunt ſtatim poſt juratam ejus depoſitionem in eo ſitæ, quòd cùm faſſus eſſet, ſe Epiſtolam & Formularium ſcripſiſſe, objecerunt quòd ipſi onus probandi incumberet, Doctorem van Eſpen dictaſſe & ſubſignaſſe, aut aliàs ipſum pro authore habendum eſſe, & puniendum. Teſtari quidem poterat, ſed non probare, quia cum ſolo Doctore van Eſpen res acta fuerat, prout depoſuerat.

88. Secundæ minæ die 10. Martii evibratæ fuerunt, quando illum per aliquot horas detinuerunt apud Rectorem, prout fatentur in deductione art. 227. non habebant autem animum ipſum illic vel alibi detinendi, ſed tantummodò terrorem incutiendi, ut fugeret. Alioqui cùm jam cœpiſſent illum retinere, erat in ipſorum poteſtate detinendi ulteriùs, ſi voluiſſent. Sed nihil minùs.

89. Tertiæ minæ fuerunt, quòd poſtquàm dimiſerant, quem incœperant detinere, expediri fecerint Decretum, ipſum apprehendendi, & collocandi in carceribus Promotoris; & illud Decretum ſervabatur tam ſecretò, ut tota Univerſitas ſciret. Ad confirmanda quæ dixi, repetam verba ſenioris Tourteau: *Quòd cùm ſpargeretur rumor* [nota, Lector, ſpar-

Digitized by Google

gebatur *rumor*] *quòd ad onus filii mei Petri Nicolai obtentum eſſet Decretum apprehenſionis ..... ego juſſerim ſe recipere ad Conventum RR. Patrum Carmelitarum.*

90. Quartæ minæ fuerunt magis vivaces, Petro in faciem datæ per præfatos DD. du Vivien & Verniel, prout oſtenſum fuit.

91. Quatuor hæ minæ non profecerant. Ad promiſſiones itum eſt. Captaverunt occaſionem, quæ attentâ infirmitate humanâ, ſucceſſum promittebat inevitabilem. Notum erat, quòd Petrus viveret ex calamo. Tempore, quo apud Carmelitas ſtertebat, non habebat, quod ſcriberet. Erat itaque ad inopiam redactus. Uxor erat gravida, & exſpectabat partum. Patres Mendicantes refugis non præſtant victum, neque tenentur; eſſetque quodammodò invitare refugas, ſi præſtarent. Itaque arripuerunt Petrum per gulam. Stipulati ſunt, ut Parens ejus nomine filii peteret tranſlationem ad Patres Oratorios, ita tamen, ut etiam filius ſubſignaret, cum aſſecuratione, quòd illic eſſet habiturus lautam menſam & cætera, dummodò & cætera.

92. Ecce ſtipulationem, quæ feliciter devênit ad manus. Brevitatis causâ omittam primum Petri libellum Rectori oblatum, ad cujus calcem habetur: *Supplicans viſâ ſuperiori apoſtillâ, ſupplicat pro loco azyli, apud Reverendos Patres de Oratorio in hac Univerſitate. Hâc 27. Martii 1707.* Et erat ſignatum *N. Tourteau loco filii*: Et infrà habebatur etiam nomen filii *P. N. Tourteau.*

93. Præcipuum eſt, quòd quo tempore uterque Tourteau hanc tranſlationem petebat, D. Henricus Malcorps cum ſuis, ex altera parte ſtipulati fuerint cum Oratorii Superiore addicendo expenſas. Verba ſtipulationis ſunt: *Conditiones, ſub quibus Oratorium Lovanienſe paratum eſt recipere Tourteau. 1.; ut Magnificus D. Rector Univerſitatis ſcripto requirat, & in quantùm opus, mandet Superiori Oratorii, vel ejus vices gerenti, recipere dictum Tourteau, & in hoc inſtrumento ſimul fiat mentio litterarum Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi permittentis ut ad alium locum transferatur, vel copia authentica earumdem litterarum annectatur. 2., ut ſufficiens vadimonium ponatur pro expenſis menſæ, etiam ſcripto.*

94. Infrà habebatur: *Promittimus dictas conditiones curare exprimi in forma. Hâc 27. Martii 1707. De mandato Magnifici D. Rectoris* ſignatum erat *B. Hendricx Secret.*

95. Non erit inconcinnum reproducere hîc depoſitionem Venerandi Patris de Swert Oratorii Superioris. Is ad art. 313. ſcedulæ contrariorum factorum, reſpondit: *D. Fiſcalem Henricum Malcorps petiiſſe locum nomine Magnifici Domini.* Notandum, quòd Magnificus Dominus erat Medicinæ

Digitized by Google

Licentiatus Raeymaeckers, cujus nomine cuncta gerebantur per Aſſeſſorem D. Guilielmum Leunckens. Interim ubique comparet D. Henricus Malcorps. Non erat hoc officium Advocati Fiſcalis. Sed erat ſcilicet officium D. Henrici Malcorps.

96. Pergit P. de Swert. *Et poſt tres horas vel circiter, Tourteau adductus fuit per ſatellites. Non recordatur an præcisè petierit menſam Dominorum, ſolutionem verò præſtandam addixit D. Malcorps, uti & M. D. & D. Secretarius.*

97. Et ad art. 311. deponit, quòd *Petro Nicolao dederint cibum & potum eo modo, quo illum habent Patres in ſua Communitate.* Merebatur ſcilicet tam lautè tractari ultra ſortem & conditionem ſuam.

98. Solutio verò præſtita fuiſſe dicitur ad ratam 319. florenorum annuè. Quis non vellet ſervire hominibus tam beneficis? In aliis Tribunalibus, ſequeſtrati jubentur ſuas expenſas facere, vel ſi tam tenues ſint, ut non valeant, reducuntur ad aliquot aſſes de die. Et quidem ſolet Lovanii menſa Nobilium computari ad florenos 280. At verò D. Henricus Malcorps negotium ſic direxit, ut Candidatus ſuus nobiliter & ſplendidè tractatus fuerit, gravemque curam geſſit, nè illi quidquam deeſſet. Hæc illi, qui articulo 987. non erubeſcunt fingere, & Patri Deſirant vitio vertere, quòd Petro paucis diebus adſtitiſſet. En verba: *Eundem ibi exiſtentem fovit, etiam pro expenſis ipſius reſpondendo, uti fatetur ad art.* 124. *interrogatoriorum.* Cur autem verba fictæ hujus reſponſionis non proferunt? Nihil P. Deſirant ſimile dixit; ſicut enim Petro ex parte Conventûs iſtius fuit præſtitum, ita quoque pro nihilo reſponſum fuit. Quinimò, quia P. Deſirant ex cauſis nihil præſtandum credidit, hâc occaſione Petrus in neceſſitate poſitus in caſſes incidit, & eſcâ captus fuit.

99. Et interim Pater Deſirant proviſionaliter ſuſpendebatur à functionibus ſuis, ut omni ſubſiſtentiæ medio privaretur. Fuitque memorabile, quòd hoc Decretum à præfato D. Guilielmo Lunckens datum & inſinuatum fuerit, primo die Pentecoſtes. An ut ſanctificaretur feſtum illud, ipſi viderint.

100. Ut verò Petrus diſceret, in quorumnam tandem poteſtate poſitus eſſet, alia diligentia adhibita fuit. Procurator Generalis de ſupremi Brabantiæ Conſilii aſſenſu Lovanium venit, & quoſdam apparitores Regios in Oratorio collocavit, ad Petrum cuſtodiendum, atque hoc fuit in conſequentiam libelli ſupplicis, conſilio per Reverendum Patrem Martinum de Hondt Oratorii Presbyterum oblati. Habemus copiam ad manus.

101. Ex certa tamen relatione didicimus, quòd hæc cuſtodia non multùm

multùm turbaverit Petrum aut uxorem ejus. Quinimò variis dixerunt ſe ſecuros eſſe de verbis ſibi datis.

102. Itaque Petrus tam lautè tractatus & tam probè cuſtoditus, debuit canere ſecundùm notas, quæ ipſi proponebantur. Ex Concluſione finali diſcimus, quòd die 26. Martii fecerit aliquam depoſitionem. Item poſteà unam recollectionem. Ex deductione habemus, quòd fecerit aliquam reſponſionem perſonalem. Rursùs ex Concluſione finali, quòd ſcripſerit varias litteras ad Doctorem van Eſpen, Henricum Malcorps & alios. Præterea quaſdam ſcedulas. Ad hæc, ex dicta deductione colligimus, quòd habuerit inſpectionem ſcriptorum & reſponſionum Patris Deſirant, ubi Patri Deſirant pluries viâ juridicâ petenti denegata fuerunt omnia, etiam interrogatoria, ita ut nonniſi ex publicata Concluſione finali partis adverſæ intellexerit, quid Petrus fecerit.

103. Omittere non debeo comœdiam diei 1. Julii. Tunc etenim, prout patet ex actis illius diei, D. Henricus Malcorps juſſit procedi ad recollectionem depoſitionum, quas Petrus & uxor ejus fecerant. Verba actorum ſunt: *Super ſuis reſpectivè depoſitionibus datis 7 & 28 Martii, primâ & ſecundâ Aprilis noviſſimi, necnon ſuper aliis interrogatoriis ex officio ipſis proponendis.*

104. Fuerant autem ipſis tam multa propoſita, ut in judicio ſibi mutuò contradixerint, ideoque Adverſarii pro ſanatorio petiverunt in termino de 7. Julii, ut confrontarentur inter ſe, prout ſæpiùs dictum fuit. Confrontatio fuit ipſis indulta. Quid enim denegaſſent ſibi invicem? Sed ob ignotas cauſas, non eſt executioni mandata. Invenerunt alios modos, quibus hi contradictorii teſtes loti, lauti, atque lavati fuerunt, & ſuper nivem dealbati, ad inſtar cacabi per ollam nigram perpurgati.

105. Obiter obſervandum, quòd D Henricus Malcorps dictâ die primâ Julii non invenerit conſultum, ut Petrus recolligeretur ſuper depoſitione ſua, quam ſolam juratò fecerat die quintâ Martii. Verba actæ ſunt clara: *Super ſuis reſpectivè depoſitionibus datis 7. & 28. Martii, primâ & ſecundâ Aprilis noviſſimi.* Omittitur depoſitio jurata de quinta Martii. Et tamen hæc ſola jurata fuerat.

106. Fortaſſis magnus Practicus dicturus eſſet, quòd illa Petri depoſitio de quinta Martii, ſatis comprehenſa fuerit in poſterioribus, in quantùm illa retractabatur in his.

107. Quantùm verò hæc reſponſio exorbitaret, per ſe patet. Nam prima illa depoſitio de 5. Martii fuit ſola jurata. Nulla ex depoſitionibus, ſeu revocationibus, ſivè variationibus poſterioribus jurata fuit. Si res ſincerè agebatur, oportebat incipere ab illa jurata.

Digitized by Google

108. Ex Concluſione finali diſcimus, cur id factum non fuerit. Ex nova ſcilicet fraude. Cùm neſcio, quæ regula ſit, quòd non attendantur depoſitiones, niſi recollectæ fuerint; idcircò ſolam juratam Petri depoſitionem in recolligendarum catalogo non poſuit, ut poſſet in Concluſione finali art. 86. dicere: *In his etiam attendere dignetur Magnificentia veſtra, quòd prior accuſatio quam retractavit, tantùm facta fuerit in informationibus, quæ minùs ſolemnes ſunt, & minùs efficaces; ſecunda verò in recollectione.*

109. Ego verò cum omnibus Chriſtianis ſuſtineo, quòd unica depoſitio jurata, qualis fuit ſola prima, quàm Petrus die 5. Martii fecit, plus ſolemnitatis habuerit, & fidem mereatur, quàm omnes poſteriores retractationes, quarum nulla jurata extitit. Si unumquodque diſſolvitur per quæ componitur; non poteſt illa Petri jurata depoſitio deſtrui per ſimplicem revocationem poſteriorem. Omnia jura clamant, quòd prima depoſitio, ſi jurata fuerit, valeat, & quòd poſteriores habendæ ſint pro ſubornatis atque extortis. Hæc eſt præſumptio juris. Quantò magis, ubi poſteriores juratæ non ſunt? Et maximè, ubi de intentatis minis, de promiſſionibus & earum effectibus; & de tot ac tantis machinationibus adhibitis, ut veniret, atque maneret ſub poteſtate partis, tam ineluctabilia argumenta producta fuerunt: adeo ut perquàm ridiculum ſit, de taliter angariato, ſeducto & violentato jactare, prout faciunt art. 84. *Et quod ſpecialem attentionem meretur, jam ferè per decem menſes in nullo retractavit, aut variavit.* Quid miri, cùm toto illo tempore non tam fuerit in poteſtate Judicis, quàm ſub arbitrio partis, quo non obſtante, innumeræ contradictiones & variationes à nobis oſtenſæ fuerunt.

110. Quidquid ergo Petrus ſine juramento depoſuit, ſecundùm Canones & Leges, habebitur pro informi, nullius ponderis, perindè ac ſi factum non eſſet, imò pejori loco, quàm ſi factum non fuiſſet; cùm præſumi non poſſit, quòd verus innocens, innocentiam vellet talibus artificiis tueri. Stat ergo, & apud omnes æquos rerum æſtimatores ſtabit prima Petri depoſitio jurata, donec aliis argumentis elidatur. Nec invidebo Doctori van Eſpen, ſi cauſam ſuam, quæ numquàm ventilata fuit, (ſtudioſè enim cavit, nè fieret; & per D. Henrici Malcorps ſolertiam effecit, ut prætenſa ejus innocentia non probaretur, ſed ſupponeretur) ſi cauſam, inquam, ſuam pro ſuo honore, pro fama & conſcientia ſic poſſit elucidare, ut probi omnes videant bonum diem. Viderit autem, nè illi ad hoc opus ſit, modificare juratam ſuam actam de 17. Aprilis, & pro tutiori, venire quaſi in poteſtate faciendi miracula.

111. Conſtat inſuper, quòd Petro addicta fuerit reparatio perjurii, ſivè reſtitutio in integrum, quam conſequenter petiit per libellum ſup-

Digitized by Google

plicem, Rectori Magnifico directum, & poſteà per Procuratorem Quirini Dominorum Aſſeſſorum junctæ oblatum, ad quem Pater Deſirant paucis reſpondit, hoc idem eſſe, ac ſi virgo peteret reparationem poſt lapſum.

112. Neque Pater Deſirant irregularem hanc poſtulationem conſideravit tanquàm Petri. Multùm quoque Petrus errat, ſi putet, hujus redintegrationis conceptum illi in ejus gratiam ſuggeſtum fuiſſe. Minimè gentium. Per novum laxitatis commentum tentatum fuit, an flagrans atque rutilans juramentum extingui quoquomodò non poſſet; hinc illæ preces.

113. Penultima promiſſio etiam ab effectibus patet, indemnitatis & abolitionis. Indemnitas eſt ipſi præſtita: pro abolitione curri dicitur. Licèt per Sententiam damnatus fuerit exilio perpetuo, & quòd deberet ſtare in pegmate, tempore quo inſtrumenta comburerentur, & licèt ab illa Sententia non appellaverit; attamen fuit hæc, & manet ſuppreſſa; ſola ejus deductio per Adverſarios typis mandata fuit. D. Guilielmus Leunckens alterâ, poſt latam Sententiam die, Bruxellis Lovanium profectus eſt: Petrus fuit liberatus ex carcere, priuſquàm illi Sententia inſinuaretur; reſtitutus eſt azylo apud Carmelitas Calceatos, dimiſsâ cuſtodiâ, quæ per Procuratorem Generalem cum tanta ſollicitudine adhibita fuerat; & Petrus aufugit, atque inter Thenas & Lovanium fugiens occurrit D. Conſiliario *de Blye*, qui unus ex quinque Aſſeſſoribus fuerat. Econtrà verò Patri Deſirant omne azylum denegatum eſt, & per maximam præcipitantiam atque violentiam deportatus fuit. Tot crimina in uno facinore, ut neſciam, an cum Poëta Seneca exclamare non liceat: *Tam lentus audis ſcelera, tam lentus vides?*

§. IX.

De reconciliatione Doctoris van Eſpen *cum* Petro Nicolao Tourteau, *& de præſumptione juris inde reſultante.*

114. INter Doctorem van Eſpen, & Petrum Nicolaum Tourteau extitiſſe opera publicæ inimicitiæ, ſivè contrarietatis maximæ, ex ſuperioribus abundè conſtat. Non ago de iis, quæ interiùs in mente ſenſerunt; ſed quæ exteriùs apparuerunt. De exterioribus judicat Eccleſia.

115. Petrus Doctorem van Eſpen accuſaverat apud Confeſſarium ſuum, Patrem Mathiam Grauwels, tamquàm ſeductorem, tamquàm conſpiratorem adverſùs Sanctam Sedem, & fidem Catholicam, tamquàm extortorem iniqui juramenti de non revelando, & dictatorem atque ſubſcriptorem famoſæ Epiſtolæ de 10. Januarii 1707. De accuſationibus,

Digitized by Google

quas idem Petrus fecit apud Patrem Deſirant; non loquemur nunc, nè Adverſariis demus anſam cavillandi, quòd hæc foret neſcio quædam petitio principii.

116. Petrus inſuper die 5. Martii coram Rectore Univerſitatis & Aſſiſtentibus ejus depoſuerat, & juramento firmaverat, quòd Doctor van Eſpen ei Epiſtolam dictaſſet, & quòd vidiſſet ſubſignantem.

117. Vice verſâ Doctor van Eſpen depoſuit & probavit Petrum in anteacta vita ſua falſarium fuiſſe, & inſtituta fuit actio criminalis contra Petrum, tamquàm falſarium.

118. Utrimque res pervenerat ad extremitates. Ecce autem derepentè eodem Martio Doctor van Eſpen cum Petro in gratiam redit. Petrus revocat quæ depoſuerat, & ſeipſum declarat ſacrilegum & perjurum. Petro datur menſa opipara, ultra ſortem & conditionem ſuam. Petrus ſcribit Doctori litteras. Hæ litteræ tamquàm oracula impenduntur in judicio. Petrus mutat depoſitiones & variat quotieſcunque placuerit, ut exoneret Doctorem, & gravet Doctoris Adverſarium Patrem Deſirant. Laboratur pro Petro ut obtineat relivium à perjurio. Laudatur ab *anteacta vita innocentia*, & per aperta ſcripta, is qui accuſatus ſivè reconventus fuerat, defenditur, & excuſatur ut à præſentibus exceſſibus abſolvatur, & cùm abſolvi non poſſet, præſtatur equidem ut elabatur.

119. Summa inimicitia in ſummam gratiam converſa eſt, tempore litis, idque inter accuſatorem & accuſatum: Et hæc omnia viderunt Inquiſitores, ſivè cauſæ Inſtructores, feceruntque, quæ fecerunt.

120. Fallor, aut inexſpectata, & extraordinaria iſta reconciliatio examen meretur. Pullulaveritnè ex radice charitatis atque juſtitiæ, an ex colluſione?

121. Sumus in materia Juris, non poſſumus tutiùs procedere, quàm conſulendo Jus Canonicum in Decretalibus titulo *de colluſione detegenda* En regulam Gregorii Magni capitulo ſecundo expreſſam: *Crimina ſemel audita Gregorius indiſcuſſa nullo modo prætereat, etiamſi accuſatus cum accuſatore in gratiam rediiſſet.*

122. Cauſa verò erat juſtiſſima in regulis prudentiæ fundata. Si namque accuſatus ſciret ſe innocentem eſſe, vel ſi putaret crimen eſſe tam occultum, ut probari non poſſet; humanitùs loquendo, famam atque honorem ſtricto juris ordine defenderet, præſertim ubi ad juratam depoſitionem contra ipſum perventum fuiſſet. Et quando in ſimili caſu accuſator retractaſſet; ſi accuſatus eſſet innocens, more quidem Chriſtiano condonaret, & ex magnanimitate veniam daret, ſed caveret à familiaritate; non publicè defenderet, non excuſaret, non foveret, non denique

Digitized by Google

palam ſuſtineret aliquam ei in eodem judicio fidem dandam eſſe.

123. Si Canones conſulimus, id quod in omnibus iſtis eſt minimum, colluſionis præſumptionem de jure annuntiat. En capitulum *ſcripta* ✠ *de colluſione detegenda*. Sunt verba Gregorii Magni. *Scripta fraternitatis veſtræ relegentes agnovimus, quòd hi qui contra Hadrianum Epiſcopum aliqua dixerant, modò cum eodem* IN AMICITIAM CONVENISSENT. *Et infrà. Quia verò nunciati facinoris qualitas, nos vehementer impellit, ut ea, quæ audivimus, nullatenùs impedire debeamus*, PRÆSERTIM, CÙM ACCUSATORES ET ACCUSATUM INTER SE FECISSE GRATIAM JUDICAVERITIS: *Hoc neceſſe eſt ſubtiliùs perſcrutari, ne fortè non ex charitate, ſed ex præmio, eorum ſit concordia comparata.*

124. Ex verbis, *præſertim cùm accuſatores & accuſatum inter ſe feciſſe gratiam judicaveritis*, Authores unanimiter inferunt, quòd ipſamet reconciliatio inter accuſatores & accuſatum præſumptionem pariat, ferè ſicut Spiritus Sanctus per Evangeliſtam Lucam inſinuavit in verbis: *Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die; nam anteà inimici erant ad invicem.* Cap. 23. v. 12.

125. Nec poſſit ſe Doctor van Eſpen defendere per authoritatem illorum, qui eum tam facilè admiſerunt ad ſe purgandum juramento tali quali, taliter qualiter præſtito, cujus ſola ſuppreſſio novam præſumptionem parit. Ut etenim taceam illorum Inſtructorum conſilia in variis hujus Apologiæ locis revincta, hoc ſolum novæ colluſionis præſumptionem juris & de jure parit, quòd ſe non aliter prætensè purgare potuerit, & ipſi eum aliter non voluerint.

126. En verba capituli *in tantùm*, eodem titulo. Sunt verba Gregorii noni. *In tantùm clamor, qui aſcendit contra Acherontinum Archiepiſcopum invaleſcit, quòd diſſimulare ipſum ulteriùs ſine ſcandalo non valemus, nec ſine periculo tolerare. Et infrà. Licèt autem Sedes Apoſtolica frequentibus clamoribus excitata inquiſitionem quorumdam exceſſuum ſuorum duxerit committendam*, PROPTER TERGIVERSATIONEM TAMEN IPSIUS, UT DICITUR, CUM INQUISITORIBUS AC EXAMINATORIBUS SUPRADICTIS, *non ſolùm prædicti exceſſus remanſerunt hactenùs incorrupti, verùm etiam pejora prioribus committere non expavit. Et infrà. Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenùs* SI DE HUJUSMODI COLLUSIONE AC CORRUPTIONE CONSTITERIT, *ex integro ſuper præmiſſis & aliis, alioquin ſuper novis dumtaxat inquiratis, quæ videritis inquirenda.*

127. Hæc ex Jure Canonico. Cùm verò Clariſſimus D. Zegerus Bernardus van Eſpen ſit Doctor utriuſque Juris, oportet illi etiam Jus Civile ob oculos ponere. En verba legis primæ ff. de prævaricat. *Præva-*

Digitized by Google

ricator eſt quaſi varicator, qui diverſam partem adjuvat proditâ causâ ſuâ.

128. Claris verbis hic deſcribitur Petrus Nicolaus, qui primò ſub juramento Doctorem van Eſpen accuſaverat, & poſteà ſine juramento illum excuſavit, & ſe perjurum dicens, cauſam ſuam infamiter prodidit.

129. Pergit lex: *Quod nomen, labeo à varia tractatione tractum ait. Nam qui prævaricatur, ex utraque parte conſiſtit, quinimò ex altera.* Exemplum in Petro, qui contra alteram partem priùs juravit.

130. Ut res hæc Theologis fiat clarior, interſerendum; quòd *varicator* in Jure Civili, ſit idem quòd *variator*, quando variatio facta eſt in judicio. De quo videri poteſt Doctor Angelicus.

131. Pergit lex: *Is autem prævaricator propriè dicitur, qui publico judicio accuſaverit.* Hæc de Petro Nicolao Tourteau.

132. Judicet autem Lector, cuinam applicari poſſit lex ultima eodem tit. *In omnibus cauſis, præterquàm in ſanguine, qui delatorem corrupit, ex Senatûs conſulto pro victo habetur.*

133. Conturbat me legis exceptio, *præterquàm in ſanguine.* An enim ideo fortaſſis Adverſarii cum tanto ſtrepitu finxerunt, & publicaverunt, hîc de fortunis ſuis, de ſuis libertatibus, de capite atque vita ſua actum fuiſſe; ut liberè ſuſtinerent, licuiſſe ſibi delatorem Petrum Nicolaum corrumpere?

134. Nam lex prima ff. *De bonis eorum, qui ante Sentent.* dicit in terminis: *In capitalibus criminibus à Principibus decretum eſt, non nocere ei, qui Adverſarium corrupit; ſed in his demum, quæ pœnam mortis continent: nam ignoſcendum cenſuerunt ei, qui ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemptum voluit.*

135. Cùm verò ſatis ſuperque oſtenſum fuerit, hunc de cauſa ſanguinis rumorem gratis ſparſum fuiſſe, nullumque fuiſſe ſanguinem petitum, niſi Patris Deſirant: hinc tota præſentis prævaricationis ratio ad ordinariam legis formam reducenda eſt, & cum Brunnemanno tenendum: *Publico judicio prævaricationis causâ ſi quis convictus ſit, afficitur eâdem pœnâ, quâ reus afficeretur, ſi non ob prævaricationem abſolutus eſſet, & fiebat infamis.* In l. 4. hoc tit.

136. Et quod ad Petrum Nicolaum attinet, qui teſtimonium ejus adversùs Patrem Deſirant poſt prævaricationem impenderunt, legant legem 5. eodem tit. *Accuſator in prævaricatione convictus, poſteà ex lege non accuſat.*

137. Abſit autem, ut Pater Deſirant ullas leges adductas velit, ut alteruter horum puniatur. Parcatur ipſis, & oretur pro eis. Satis erit, ſi publico conſtet, quòd ſycophantiis adhibenda non ſit fides. De cætero ſint incaſtigabiles, per ipſum licet, dummodò nocere deſinant. Habeant acceſſum, ubi voluerint & potuerint, dummodò cognoſcantur.

Digitized by Google

§. X.

De Libris per Petrum *ſurreptis , nimirùm* Franciſco Zypæo , *& duobus exemplaribus* Deductio Rationum , *in Cauſa Seminariorum.*

138. LIcèt D. Henricus Malcorps primam ſuam actionem inſtituerit contra Petrum Nicolaum Tourteau, ipſique in hunc finem objecerit libellum gravaminum, qui ſtudioſiſſimè nunc ſupprimitur; attamen idem Petrus poſteà meritus eſt tantam gratiam invenire in oculis ejus, ut in Concluſione finali ſuum ei grave patrocinium præſtet, præſertim articulo 742. *Hæc Petri depoſitio de tradito ſibi per Reum*, id eſt, *Patrem Deſirant volumine Zypæi, firmatur & verificatur per conſignationem hujus voluminis factam in judicio per Petrum.*

139. Firmatio ſtraminea, & verificatio vitrea. Petrus conſignat Librum, ergo Pater Deſirant illi hunc Librum tradidit, quod eſt unum; atque id in tam ſceleratum finem, quod eſt alterum. Si tales conſequentiæ obtineant, tum nihil eſt facilius, quàm perdere quemcumque honeſtum virum.

140. Proſequitur art. 743. *Et quidem illud volumen fuiſſe bibliothecæ PP. Auguſtinianorum probat nota primo folio inſcripta: quæ licèt fuerit deleta, tamen ſufficienter videtur chartâ lumini oppoſitâ.*

141. Eſtis tam infelices in dicenda veritate, ut nè quidem vera poſſitis probare. Volumen illud conſignaſtis poſteà Bruxellis, & Pater Deſirant inſpexit, ſtatimque declaravit veritatem, illud ſcilicet in bibliotheca ſua fuiſſe, non tamquàm bibliothecæ Auguſtinianorum Lovanienſium, ſed ex alia occaſione. Volumen, de quo quæſtio, adhuc eſt Bruxellis. Ite Lovanii ad Bibliothecarium Patrum Auguſtinianorum, & invenietis, quod dico; volumen Zypæi, quod ad ipſos pertinet, adhuc de facto extat in ipſorum bibliotheca, & eſt alterius ligaturæ. Vos verò aſſueti veritatem quærere per conjecturas, nè quidem invenitis illam ubi eſt. Illa nota fuit deleta, neſcio per quem. Et licèt videatur, dum chartæ lumen apponitur, inde tamen non ſequitur, quòd pertineat ad aliquam Auguſtinianorum bibliothecam. Omnes Libri, qui ad ſimiles bibliothecas pertinent ſtatim ita ſignantur. At ſæpè contingit, ut poſteà divendantur, præſertim, ubi extant duplicata. Et tunc illa nota deletur. Hoc eſt per ſe clarum. Licèt autem falſæ veſtræ argumentationes ſatis pateant, non vult tamen Pater Deſirant negare quod verum eſt. Agnoſcit ſponte ſuâ, & perquàm

Digitized by Google

libenter, quòd idem numero volumen fuerit in ſua bibliotheca, verumtamen ex alia occaſione.

142. Audiamus proſecutionem art. 744. Neque Reus, id eſt, Pater Deſirant, *diffitetur hanc notam volumini huic inſuiſſe.*

143. Videtur veritas apud vos eſſe, ſicut ignis apud glaciem. Numquàm cum Patre Deſirant de illo volumine, vel de illa nota egiſtis. Quânam ergo impudentiâ audetis in veſtra Concluſione finali dicere, quòd Pater Deſirant illud non diffiteatur, niſi habueritis ſecretum pactum cum cauſæ Inſtructoribus [de Judicibus non loquor] quòd omnia vobis liceret? Concluſio finalis fuerat dudum in judicio lecta, priuſquàm Pater Deſirant voluminis inſpectionem habuit.

144. Audiamus totum hunc articulum. *Ipſumque volumen eſſe iſtius bibliothecæ.*

145. Nec eſt, nec umquàm fuit. Catalogum conſulite, ille exactus eſt.

145. Nihilominùs confidenter aſſerunt, quòd Pater Deſirant illud non diſſiteatur. Cogita Lector, quid judicandum de aliis fictionibus.

147. *Sed dicere non veretur, Petrum illud ſurripuiſſe ex ſua bibliotheca*, inquiunt ibidem.

148. Nunquàm hoc dixit. Nihil aliud dixit, quàm quòd faciens reviſionem bibliothecæ ſuæ, invenerit deeſſe Libros tres, quædam Biblia, Deciſiones Stoëmanni, & quemdam Librum Zypæi. Et quando Bruxellis conſignatum Zypæi volumen inſpexit, agnovit ex ligatura & forma, dixitque illud ad ſe pertinere, ſed neſcire, quisnam aliquas notas in frontiſpicio deleviſſet.

149. Articulo 745. elevant diaphragma, & excreant hæc verba: *Rurſus novum & inſigne mendacium!*

150. Auſcultemus nunc probationibus, quibus innititur Petri juſtificatio. Verba articuli 746 *Petrus imprimis illud ſurripuiſſe non potuit, poſtquàm ad Conventum Carmelitarum fugit: & conſequenter poſtquàm contra Reum*, id eſt, *Patrem Deſirant, deponere cœpit; quandoquidem ab eo tempore ſemper fuerit detentus, neque umquàm bibliothecam intraverit.*

151. Probationes exſpectaveram: ſophiſmata invenio. Legamus articulum ſubſequentem, id eſt, 747. *Si autem ſurripiendi, ſivè furandi animum habuiſſet, quando familiariter apud Reum, & in ejus quarterio verſabatur; nequaquam hoc volumen Zypæi [quod ab alio volumine ſeparatum, nullius penè pretii eſt] ſurripuiſſet; ſed Librum alium pluris valentem, aut ſupellectilem aliquam pretioſiorem auferre ſtuduiſſet.*

152. Hinc ſequeretur, quòd nullus eſſet Reus furti, niſi abſtuliſſet id, quod in auferibilibus pretioſiſſimum eſſet. Non mihi videtur hæc argumentatio concludere.

153. Agi-

Digitized by Google

153. Agitis articulo 328. de faſciculo per Petrum allato die 27. Januarii, in quo incluſa erant duo impreſſa exemplaria *Deductionis Rationum* in Cauſa Seminariorum. En verba veſtra : *In hoc enim faſciculo inventa ſunt, primò Epiſtola de 13. Januarii, ſecundò Formularium in menſe Junio anni 1706. & Liber Reſolutionum, cum duobus impreſſis intitulatis*: DEDUCTIO RATIONUM. Omnia exemplaria hujus *Deductionis Rationum*, fuerunt ſuppreſſa ob rationes, & illorum exacta cuſtodia demandata fuerat veſtro Domino Licentiato Guilielmo Leunckens. Accuſatis Petrum, ipſumque eò reduxiſtis, ut in ſua deductione articulo 15. confiteatur ſe illum faſciculum conſarcinaſſe. Poſteà quidem eundem inducitis variantem, & articulo 162. dicentem : *Curavit tunc prædictus Eximius Pater fieri parvum faſciculum, in quo præfata copiæ fuerunt incluſa cum alia Epiſtola, cujus materiam etiam ſubminiſtraverat.*

154. De duobus verò iſtis exemplaribus manet altum ſilentium. Nec ullus audet dicere, quòd Pater Deſirant latentia exemplaria includi feciſſet. Eritne jam nobis licitum argumentari hoc modo: Iſta exemplaria fuerunt apud D. Licentiatum Leunckens: Petrus in dicti Licentiati ædibus fuerat familiaris, & varia pro ipſo ſcribebat; & duo exemplaria incluſit faſciculo in menſe Januario, quando familiariter apud ipſum verſabatur; nec eſt apparens, quòd duo inutilia exemplaria ſurripuiſſet, ſed Librum alium pluris valentem, aut ſupellectilem aliquam pretioſiorem auferre ſtuduiſſet; ergo D. Licentiatus Leunckens dedit ei hæc duo exemplaria, ut faſciculo includeret?

155. Et quidem licèt dictus D. Licentiatus Leunckens non ignoret quæ fecerit, attamen Pater Deſirant veritatem amans recto tramite inceſſit, & in ſcedula contrariorum factorum poſuit in facto articulum 344. *Quòd Petrus Nicolaus Tourteau aliquando ſcripſerit apud D. Leunckens in loco, in quo jacebant exemplaria cujuſdam ſcripti contra Seminaria, quæ poſteà inventa ſunt diminuta.*

156. Niſi ergo jam velitis etiam D. Licentiatum Leunckens in colluſionis cum Petro ſuſpicionem trahere, debetis confiteri, quòd capax fuerit ſurripere Libros vilioris pretii, neglectâ ſupellectile pretioſiori.

157. Hoc nimis abſonum eſt, velle ſurreptionem negare, ſub prætextu, quòd ſurreptor potuiſſet pretioſiora auferre.

158. Dicunt articulo 751. *Ad hæc incredibile planè eſt, quòd Petrus, qui hactenus Juri, præſertim Canonico non ſtuduerat, tum ſcivisſet talia in reſponſis Zypæi de reſtrictione mentali haberi.*

159. Ubi de credibilibus agitur, duo hic credibilia occurrunt. Primò, quòd Petrus, qui cum Patre, & pro Patre ſuo tamquàm Procuratore ſe-

Digitized by Google

piùs frequentabat Rotulas tam Rectoris, quàm Conſervatoris, ſæpiùs audiverit Zypæum citari, cujus authoritas in Eccleſiaſticis hiſce Tribunalibus paſſim citatur. Cùmque ſe accingeret, ut & ipſe Procurator fieret, credibile eſt, quòd fortuitò hunc Librum extra ordinem videns (erat enim in bibliotheca Patris Deſirant, in quadam capſula ſeparata, cum variis Libris ſimilis ſpeciei) illum vel excurioſitate, vel ad uſum ſuum, vel in neſcio, quem finem aſportaverit, fortaſſis etiam cum animo reſtituendi, aut forſan, ſicuti ex cubiculo D. Licentiati Leunckens aſportaverat duo exemplaria *Deductionis Rationum*, quemadmodum ſuprà probatum eſt.

160. Alterum credibile incœpimus attingere, nimirùm nihil eſſe credibilius, quàm quòd nemo meliùs, quàm Doctor van Eſpen ſciret, quid in Zypæo de reſtrictione mentali, ex doctrina Leſſii contineretur. Non enim Doctor ille tantummodò ſpecialiter Juri Canonico ſtudet, & in ſuis Thomaſſinatis voluminibus, quibus titulum dedit: *Jus Eccleſiaſticum Univerſum*, promiſcuè Zypæum citat, verùm etiam ipſe ſolus materiam de reſtrictionibus mentalibus, plus reliquis omnibus, pertractavit, & Leſſium in hoc articulo ſolus, plus omnibus impugnavit.

§. XI.

Ex citatis Zypæi textibus, & aliis factis oſtenditur, quiſnam de jure præſumendus ſit accuſati perjurii author.

161. PErcurramus tandem objectos Zypæi textus, & perſcrutemur, an in famoſo hoc Scriptore, umbra vel ſpecies reperiatur illorum, quæ tam liberè garriunt.

162. Verba primi textûs ex reſponſo primo de Viſitatione referuntur in deductione articulis 220. & ſequentibus.

163. En verba Zypæi, prout citantur art. 220. *Quòd ſubditi non debeant patefacere criminoſos occultos, qui nullâ talis criminis infamiâ laborant, ut communis eſt ſententia Doctorum, D. Thomæ, & aliorum ibidem citatorum.*

164. Atqui hæc reverà eſt doctrina Divi Thomæ & aliorum, & faviſſet Doctori van Eſpen, niſi per evulgationem copiæ de 22. Januarii fieri cœptæ famam excitaſſet. Quidnam igitur inde deduci poteſt ad ſtabiliendam doctrinam de prætenſo falſo juramento, de quo quæſtio; quandoquidem Petrus jurando non ſuſtinuerit ſe non debere revelare, ſed reipsà revelaverit.

165. Articulus 221. proſequitur citando verba Zypæi. *Ratio eſt, quia id, de quo adhuc nulla eſt fama, cenſetur occultum, dum viâ inquiſitionis proceditur.*

Digitized by Google

166. Zypæus loquitur de inquiſitione generali, & tradit communem ſententiam. Velletnè forſan Doctor van Eſpen, qui Concluſionem finalem compoſuiſſe dicitur, aut D. Henricus Malcorps, qui eandem ſignavit, vellentnè, inquam, unumquemque obligatum eſſe in conſcientia, ut revelet omnia, quæ de alicujus exceſſibus novit?

167. Articulus 222. pergit in citatione. *Atqui Judicis poteſtas non ſe extendit ad elicienda occulta, maxima enim inde incommoda in Republica ſequerentur.*

168. Hic textus poterat favere ſoli Doctori van Eſpen, ad perſuadendum Petro, quòd non debuiſſet famoſæ Epiſtolæ de 10. Januarii dictatorem & ſubſignatorem in judicio revelare, cùm res ſupponeretur ſecretò peracta fuiſſe in præfati Doctoris bibliotheca, & quod magis eſt, Petrus confeſſus fuerat, ſe ſecretum promiſiſſe atque juraſſe. Nullo modo poterat hic textus Petrum inducere, ut falsò accuſaret innocentem. Neque Petrus die 5. Martii erat diſpoſitus ad ſimilia. Fuerat præviè minis monitus, ut caveret innoxios involvere, prout ſuprà oſtendimus.

169. Articulus 223. jungit citationem hanc: *Itaque etiamſi ſub juramento, vel ſub pœna excommunicationis præcipiat, ut dicas veritatem de eo, quod nôſti, tamen non tenêris.*

170. Si hæc doctrina vera ſit, nullatenùs inde eruitur, quòd Petrus potuiſſet accuſare innocentem, ſed quòd potuiſſet tacere Doctorem van Eſpen Epiſtolam dictaſſe, atque ſignaſſe, ſupponendo, quòd res ſecreta eſſet.

171. Art. 224. finit citationes: *Sed potes cum reſtrictione mentali dicere, te neſcire quidquam, intelligendo tacitè, te neſcire eo modo, ut tenearis pateſacere.*

172. Hic nulla iterùm apparentia, quòd Petrus ex illo textu potuiſſet apprehendere, ſibi licitum eſſe innocentem falsò accuſare. Senſus obvius & naturalis ſaltat in oculos, quòd ad ſummum potuiſſet tacere, & dicere, ſe neſcire quòd Doctor van Eſpen illam Epiſtolam dictaverit, atque ſignaverit. Ipſe verò èccontra depoſuit ſe ſcire, audiviſſe, & vidiſſe.

173. Nondum videtis, quòd omnes homines videant, quòd vos ſciveritis Petrum Zypæi Librum habere? Nondum videtis, quòd omnes homines videant, vos hoſce citatos Zypæi textus citaſſe, atque citare? Nondum videtis, quòd hi textus nihil aliud innuant, quàm quòd Petrus in conſcientia ſua potuiſſet ac debuiſſet etiam ſub juramento negare, quòd Doctor van Eſpen famoſam Epiſtolam dictaſſet atque ſignaſſet, & hoc ſub prætextu, quòd res ſecretò peracta fuiſſet? Et quod hæc Zypæi doctrina pendeat à ſententia, quam ipſemet Doctor van Eſpen cum ſuo Zypæo tenet, ſcilicet non poſſe inſtitui informationem particularem, contra

particularem perſonam, niſi præceſſerit infamia? En verba ejus: *Jure communi inſpecto ac ſignanter Decreto Concilii Lateranenſis c. 24. ✠ de accuſat. Communiter tradunt Canoniſtæ, non poſſe inſtitui hanc informationem ſpecialem contra particularem perſonam, niſi præcedat publica diffamatio. Sicut enim, (ait Concilium) accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio; ſic & inquiſitionem* CLAMOSA INSINUATIO *prævenire*, part. 3. tit. 8. cap. 1. n. 29.

174. Ut autem Doctorem van Eſpen ſuis propriis armis redigamus, proferemus authenticum documentum ex eodem ipſius Jure Eccleſiaſtico depromptum, ubi non tantùm præſentem Zypæi textum adducit, verùm etiam laudat & approbat. En verba, parte 1. tit. 17. cap. 4. n. 4. *Itaque Epiſcopi atque Viſitatores ..... neque circa dubia, & altioremindaginem requirentia, ſed circa notoria potiſſimùm verſari debent*; UTI BENE NOTAT ET PROBAT ZYPÆUS IN JURE NOVISSIMO TIT. DE ACCUSAT. NUM. 9. Eat nunc, & erubeſcat ſi poteſt, tollatque opinionem quæ ex illo ejus documento reſultat, quòd non bonâ fide nunc Zypæi ſententiam per latus Petri ſui impugnet, & quòd ipſemet Petro hunc textum ſibi pridem notum oſtenderit, vel oſtendi curaverit, ut malâ fide vexaret Patrem Deſirant, qui anteà numquàm illum Zypæi textum viderat. Ita rursùs homo detegitur.

175. Nondum videtis reſplendentem juris præſumptionem, quòd Petrum tamquàm Novitium Procuratorem aggreſſi fueritis per limpidos Zypæi textus, apud Tribunalium Eccleſiaſticorum Procuratores æſtimatiſſimos, ut ei perſuaderetis, quòd die 5. Martii peccaverit accuſando Doctorem van Eſpen, eò quòd per hoc juramentum revelaverit illius factum occultum, & quòd prætexeritis, hunc Doctorem *nullâ talis criminis infamiâ laboraſſe*, dixeritisque, quòd *hæc ſit communis ſententia Doctorum, D. Thomæ & aliorum ibidem citatorum*; & quòd ei tunc inde perſuaſeritis, quòd illud Doctoris van Eſpen factum debuerit cenſeri occultum, ad quod eliciendum Judicis authoritas non ſe extendebat, ita ut nec ſub juramento, nec ſub pœna excommunicationis debuerit revelare veritatem, ſed dicere, *ſe neſcire quidquam, intelligendo tacitè, ſe neſcire eo modo, ut teneretur patefacere*; & denique, quòd eundem Petrum taliter per Zypæi textus reduxeritis, ut per modum reſtitutionis repararet quod fecerat, id eſt, retractaret? Et quis ſcit, an ipſe Doctor van Eſpen dum ſe juramento purgavit, non etiam in illum ſenſum juraverit? Legatur Liber ejus, cui titulus: *Jus Eccleſiaſticum Univerſum*; Zypæi authoritas apud ipſum pondus & inſtar habet.

176. Secundi textus, quos in deductione art. 235. & ſequentibus ex ejuſdem Zypæi Libro 5. de Schiſmaticis adducitis, vos ſimiliter confun-

Digitized by Google

dunt. Proferam illos conſequenter: *Porrò ùt tempus tacendi, ita etiam loquendi eſt. Et propterea in reatum incidit, qui novit conſilia agitari adversùs Principem, aut Rempublicam, nec ea defert. L. Quiſquis ff. id quod Cod. ad Leg. Jul. Majeſtatis. Adeoque ad proportionem, qui ſcit periculum eſſe, ne quid de dignitate Reipublica, jure ac privilegiis minuatur, & tacet, lædit Rempublicam: qui videt incendium excitari, nec ad extinguendum vicinos provocat: qui aggerem perrumpi, nec ad ripam muniendam proclamat, innoxius non habetur: qui videt ſocium injuriâ affici, nec prohibet cùm poteſt, tam dicitur eſſe in vitio, quàm qui facit. Quarè adversùs communes hominum tempeſtatumvè injurias, etiam edictis Principum permiſſum eſt, ære campano convocare populum ad obviam eundum publico malo.*

177. Iterùm quæro, an vos non pudeat tam innocuos textus adduxiſſe? Quidnam, obſecro, vel per imaginationem inde exſculpi potuit, ad accuſandum innocentem?

178. Articulo verò 240. & 241. voſmetipſos totaliter dejicitis, ubi per novam contradictionem de Patre Deſirant fingitis, quòd *conſequenter, ſicut prædictus Eximius Pater Reo communicaverat varias hiſtorias de prætenſo Janſeniſmo, & de perſonis de eo prætensè ſuſpectis, perſuaſit tali modo Reo*, id eſt Petro, *nam linguam propterea ſatis facundam habebat, ut effectivè Reus crediderit omnia eſſe vera, & ſic ſe debere perſiſtere in ſuis accuſationibus, ab ipſo tamen Eximio Patre Deſirant fictis & fabricatis.*

179. Dum talia legimus, nihil ſupereſt, niſi ut verbis Plauti utamur: *Ellebori jugere non poterit hic morbus curarier.*

180. Ecce enim Petrus certò ſciviſſet, omnia ab Eximio Patre Deſirant ficta & fabricata fuiſſe, & ſe illarum fictionum & fabricationum vivum inſtrumentum exiſtere, & nihilominùs audiendo varias hiſtorias de prætenſo Janſeniſmo, & de perſonis de eo prætensè ſuſpectis, & *effectivè credidiſſet omnia vera eſſe.* Eſtnè hoc per omnem humanam potentiam practicabile, ut aliquis ſciens ſe rem quampiam unà cum alio finxiſſe, ſimul *effectivè credat, omnia vera eſſe?* Si effectivè crediderit omnia vera eſſe, prout dicitis, ergo nihil ſcivit fictum eſſe, prout fingitis. Unica tunc quæſtio erat, utrùm Petrus audiviſſet Doctorem illam Epiſtolam dictantem, & vidiſſet ſubſignantem. Si Petrus *effectivè crediderit*, hoc verum eſſe, igitur certus erat, nec ſe, nec Patrem Deſirant illud finxiſſe.

Digitized by Google

CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

Confutatio vigeſimi-quarti gravaminis : *quòd prædictus Reus in hac Univerſitate eminentem gradum obtineat, & formandæ juventuti præpoſitus ſit, & inde crimen ejus plurimùm augeatur.*

1. ADverſarii uſque in finem perſeveraverunt in proponendis gravaminibus vago modo, terminis generalibus, & cum tanta confuſione, ut neſciretur, quid præcisè ad ſingulum articulum reſpondendum eſſet. Pater Deſirant reſpondit, *agnoſcit gradum*, *negat crimen*, *& petit Reverentiam*, nimirùm eminenti ſuo gradui debitam. Quàm indignè enim ſtrictæ Facultatis Doctor & ſenior Regens [nimirùm Reſidens] tractatus fuerit, ex anterioribus liquet. Pro diſtinctione rem iterùm in Paragraphos diſtribuemus.

§. I.

De aliis Adverſariorum criminationibus circa affectum erga Gallos & Hollandos.

2. NEc potuerunt Adverſarii diſſimulare veram odii cauſam, quo erga ipſum jam pridem feruntur. Quòd ſcilicet, ubi illos hactenùs ſatis apertè impugnaſſet, & à Supremis Poteſtatibus varias Cathedras obtinuiſſet; & formandæ juventuti præpoſitus eſſet, totus in eo fuerit, ut debito modo irrigaret doctrinas antiquitùs plantatas, reſectis novitatibus, quæ Adverſariorum operâ indies pullulabant ſicut fungi. Hæc unica cauſa fuit quòd jam pridem contra illum clamaverint, *quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.* Sap. 2. v. 12.

3. Concluſerunt itaque per verbum *circumveniamus*, ibidem. Non ſunt præcisè hoc termino uſi, invenerunt enim hâc vice voces magis energicas: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert vvorden*, id eſt, *at præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt*: inter Epiſtolas Henrici Graſper.

4. In hunc finem bis uſi fuerunt circumſtantiis temporis, occaſione revolutionum, quæ in funeſtiſſima Patria per inſtabiles bellorum vices emerſerunt. Sub Carolo ſecundo, Rege Clementiſſimo, glorioſæ memo-

Digitized by Google

riæ; nihil valuerunt. Sub Philippo quinto incœperunt: ſtatim enim ut Galli has plagas tenuerunt anno 1701. recurrerunt ad Patronos illic ſuos, & Patrem Deſirant tamquàm nimis impensè Auſtriacum, & Hollandis plus juſto affectum traduxerunt.

5. Per id temporis P. Deſirant in ſua Lectione Hiſtorica explicabat revolutionem Belgii, quæ paulò ante finem ſæculi decimi-ſexti accidit, & illâ occaſione agebat de Principe Auriaco, qui Delphis anno 1584. occiſus fuit, & merè relativè proferebat elogia, quæ illi fuerant conceſſa poſt mortem. Gentem quoque Batavicam celebravit, hærens in purè civilibus: Eorum prudentiam extulit, & in rebus agendis moderationem, necnon potentiam concordiâ partam, juxta dictum quod ex Salluſtio deprompſerunt: *Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ dilabuntur*; formamque regiminis aliquando comparavit Priſcis Romanis, quibus Democratia placuit. In his omnibus nihil niſi quod moderatum Hiſtoricum decet, offendi potuiſſet.

6. Offenſus tamen fuiſſe dicitur quidam Officialis Gallorum, qui de Principe Auriaco ultimo, qui Rex Anglorum fuit, ſermonem factum putans, neſcio quas querelas depoſuit in officina Ægidii Denique, & hinc principium denuntiationis ſecretæ. Alia ex Lectionibus anterioribus congeſſerunt, æquè innocenter dicta, & in malam partem interpretati ſunt. Lovanium miſſus eſt D. Advocatus Fiſcalis Charliers, cognatus germanus famoſi Deſervitoris Stæ. Catharinæ Bruxellis; & neſcio quas informationes præparatorias accepit, & Pater Deſirant, licèt petiiſſet audiri, attamen inauditus atque indefenſus Trudonopolim relegatus, omnibusque Cathedris exutus fuit.

7. Juſtificavit ſe, & per luculenta teſtimonia oſtendit, nihil ſe contra Gallos dixiſſe, ſed inſtar impartialis Hiſtorici, deſcripſiſſe res, prout acciderant, referendo ſimpliciter quænam utrimque facta & dicta fuiſſent; & quòd, caſibus recurrentibus, non omiſiſſet Gallicæ Gentis gloriam ſine invidia commendare, & ſua quoque *Ludovico Magno* encomia tribuere. Atque poſt quinque menſes omnibus reſtitutus fuit cum honore.

8. Hic eſt verus caſus compendio relatus, quem Adverſarii in ſua Concluſione finali nimis invidiosè objecerunt, ſed clam, utì dixi, & contra inauditum atque indefenſum. En verba articuli 773. *Exemplum inſigne prudentiæ ſuæ non ita pridem hic dedit Reus*, id eſt *Pater Deſirant, dum Mareſchallo de Bouffers hic Lovanii cum toto ſuo Comitatu reſidente, in Lectione ſua publica, & quidem pluribus diſtinctis vicibus, plura contra Perſonam Regis Galliæ, ejusque circa res bellicas gloriam effutire non eſt veritus, non obſtante præſentiâ plurium de prima Nobilitate Galliæ, qui quàm Regis ſui gloriæ ſint ſtudioſi, vel*

Digitized by Google

pueri nôrunt: ut vel ſtupidiſſimus quiſque videre poſſet, quid ei tunc immineret; quod & mox evenit, ſcilicet exilium è Patria.

9. Exilii meminerunt; honorificam reſtitutionem tacent. Falſæ accuſationis circumſtantias, *& quidem diſtinctis vicibus*, prout loquuntur, tam firmiter enuntiant, ac ſi non parvam in illa partem habuiſſent. Pœnam inaudito atque indefenſo inflictam, ſed poſteà debitè reparatam cum plauſu enarrant, qui infrà articulo 841. de ſimili pœna ſuis poſteà, inſcio Patre Deſirant inflicta, tam fœdè lamentantur: *Quis ſcit an famoſa Decreta*, vulgò, LETTRES DE CACHET *contra ſæpe nominatum Dominum Paſtorem* [id eſt, Deſervitorem Stæ. Catharinæ Bruxellis] *Doctorem Hennebel, Licentiatum Opſtraet, alioſque* [hi *alii* hactenùs latent] *ſimilibus ſceleſtis & clancularii machinationibus* AB ALTIORIBUS POTESTATIBUS *tunc non ſint impetrata.* Scilicet id quod contra Patrem Deſirant inauditum atque indefenſum anno 1701. obtentum fuerat, habetur ùt juſtiſſimum; quæ verò poſteà contra illos emerſerunt, *ſceleſtis & clancularii machinationibus* impetrata dicuntur. Pater Deſirant omnium primus hoc artificii genere invaſus fuit, & hoc laudatur. Idem exemplum ad alios tranſlatum extitit, & ferociter proſcinditur. Ferè, ſicut Proverbium Hiſpanicum habet, *Juſtitia ſi: pero no para mi.*

10. Quin etiam ſtatim poſt primum Patris Deſirant exilium conſilia ſua prodiderunt per libellum quemdam ab Auguſtino Kergré, ſivè Gerberonio editum, cui titulus: *L'Etat preſent*, in quo unicum contra Patrem Deſirant indignationis argumentum exaggerant, quòd nimis fervidè ſcripſiſſet contra Propoſitiones Gallicas, & ſignanter de authoritate Pontificis in temporalia, cùm tamen nemo ipſo de hac re moderatiùs ſcripſerit, ſubſiſtendo in verbis, *Deciſio dedecet modeſtiam noſtram.* Et quod attinet ad Theſes Theologicas, quas ſub Doctore *d'Aubremont* pro acquirendo gradu licentiæ ſuſtinere juſſus fuerat, ut oſtenderet modernos Gallos in illa parte à ſuis Majoribus recedere; citando in hunc finem verba quædam Wilhelmi Archiepiſcopi Senonenſis, quæ verba invidioſiſſimè ibidem objecerunt, quaſi fuiſſent Patris Deſirant, & ſubdolè omiſerunt ſequentia, *ita Wilhelmus Archiepiſcopus Senonenſis.*

11. Agebat libellus ille de ſtatu tunc præſenti Facultatis Theologicæ, quem breviter exponi convenit. Moris eſt ſecundùm Statuta, ut ſtrictæ Facultatis Regentes die 30. Septembris, S. HIERONYMO ſacrâ, per electionem ſuppleant, ſi quem locum in Octoviratûs iſtius Collegio vacare contigerit. Doctor *Ledrou* Porphyrienſis Epiſcopus aberat. Doctor Steyaert obierat die 17. Aprilis 1701. & conſequenter locus ejus ſupplendus fuerat. Reliqui Electores erant ſex. Ex illis ab una parte ſtabant Doctores

ctores *Harney*, *Deſirant* & *Daemen*. Ab alia verò parte Doctores *Lovinus*, *Charneux* & *Renardi*. Decanus erat Doctor *Daemen*, qui juxta eadem Statuta tamquàm Decanus non poterat habere niſi votum deciſivum in caſu paritatis. Igitur pars adverſa erat ſecura de tribus ſuffragiis contra duo. Quo caſu ſuſtinuiſſent, quòd Doctor *Daemen* debuiſſet accedere ad pluralitatem, atque hoc pacto fuiſſent habituri duas tertias, quæ ad illam electionem requiruntur. At verò Doctor de Charneux etiam è vivis diſceſſit die 9. Auguſti, & per hoc pars prima fuiſſet ſine dubio ſuperior. Cùm etenim Decani renovatio deberet fieri die 31. Auguſti; fuiſſet in illius partis poteſtate eligere Decanum vel Doctorem *Lovinum*, vel Doctorem *Renardi*; & conſequenter in inſtanti feſto S. Hieronymi, extitiſſent ab illa parte tres ſuffragantes contra unum.

12. Statim itaque poſt mortem Doctoris *de Charneux* contra Patrem *Deſirant* actum fuit, & is die 19. ejuſdem Auguſti relegatus fuit, prout diximus, atque hoc mediante, res ad ſtatum, quem Adverſarii concupiverant, redit.

13. Pater Deſirant reſtitutus fuit in Februario 1702. & Adverſariorum conſilia rurſùs titubârunt. Aliqui ex ipſis in exilium acti fuerunt, ſed hoc factum non dedignantur præfato articulo 841. deſcribere, tamquàm *ſceleſtis & clancularii machinationibus ab Altioribus Poteſtatibus extortum*. Id eſt, *Juſticia ſi, pero no parami*, ùt ſtatim dicebamus.

14. Pugna Kamelienſis data fuit primâ die Pentecoſtes anni 1706. id eſt 23. Maii. Et licèt ab illo tempore Pater Deſirant nullam umquàm Epiſtolam ſeu directè, ſeu indirectè in Gallias ſcripſerit, aut ſcribi curaverit; attamen ſtatim Adverſarii proclamaverunt ipſum ſuſpectum, ut per illius amotionem reſtituerent rem.

15. Viâ facti die 19. Auguſti 1706. incœperunt reſumere litem *D. Leonardi Gantii*, quam Doctor *van Eſpen* cum *D. Henrico Malcorps* contra Patrem Deſirant palam direxerant jam inde ab anno 1690., idque pro ſtipendio Lectionis Hiſtoricæ. Hæc verò agebantur in favorem *D. Franciſci Ladderſons*, quem Patris *Deſirant* amici, quibus fideliſſimè ſerviverat, dicto *D. Leonardo Gantio* ſubſtituerant in Lectionem Latinam, non obſtantibus enixis Patris *Deſirant* precibus, qui ſatis eis prædicebat nihil boni ex hac ſubſtitutione ſperandum fore.

16. Paulò poſt Doctor Hennebel in arenam deſcendit, prætenditque locum aliquem in ſtricta Facultate. In ſpeciem aggreſſus fuerat Doctorem *Martin*; poſtquàm verò præſens lis adverſùs Patrem *Deſirant* inſtituta fuit virtute litterarum quas manutenentiæ vocant, à Concilio Brabantiæ impetratarum, accepit poſſeſſionem, non exprimendo cujus locum occu-

Digitized by Google

paret. Nunc verò poſt ſententiam adverſùs Patrem *Deſirant* latam, res inter illos ſic eſt compoſita, ut teneat locum Patris *Deſirant*.

17. Ex quibus patet totam hanc machinationem rursùs inſtitutam fuiſſe, ut invaderentur Cathedræ, quas Pater ſub Carolo ſecundo, legitimis ac juſtis titulis acquiſiverat. Neque obſcurè Adverſarii, in mediis contradictionibus ſuis, conſilia produnt, quibus tota hæc accuſatio ſuſcepta fuit. Motivum enim præcipuum, cur pœnas poſcant, articulo 1128. exprimunt. *Et ſanè luculentam pœnam expectat Belgicum univerſum, præcipuè Univerſitas noſtra Lovanienſis, quæ technis non diſſimilibus tanto tempore agitata fuit*, ET VIRIS PRÆCLARISSIMIS ORBATA. Id eſt, Pater Deſirant exeat, & *viri iſti præclariſſimi* intrent. *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monck gecanonneert worden. At præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt.*

§. II.

De præcipuis & gravioribus articulis in Concluſione finali objectis, ſuper quibus P. Deſirant *non fuit auditus.*

18. PEr præcipuos articulos intelligo quinque horrendas calumnias in Concluſione finali capite primo impertinenter relatas. 1. in exotico teſtimonio de auditu cujuſdam N. N. magis cogniti quàm optare dicitur, deponentis, ſe à quodam Patre Provinciali audiviſſe, quòd Pater Deſirant eſſet iſtius ingenii, ut pro ſuo intereſſe venderet, & traderet Ordinem ſuum, Facultatem Theologicam, Summum Pontificem, & Religionem Catholicam

19. 2. De ficta invaſione Lectionis Hiſtoricæ.

20. 3. De prætenſa intruſione in Facultatem Theologicam.

21. 4. De ementita hæreditate ſeu legato 30000. florenorum.

22. 5. De imaginaria Superiorum Ordinis ſui accuſatione apud Comitem de Souternon.

23. Super nullo ex his articulis Patrem Deſirant citatum, auditumvè fuiſſe, patet vel ex libello gravaminum retro dictam Concluſionem finalem impreſſo, qui ſolus ei communicatus fuit, & in quo nullum ex prædictis articulis reperiri, ex inſpectione liquet. Ideoque nec ipſi in mentem incidit ad illos reſpondere, quippe quos numquàm viderat, nec niſi legendo hanc Concluſionem finalem, impreſſam dudum poſt Sententiam latam, vidit.

24. Hæc quidem Sententia nullius ex præfatis articulis meminit, quantùm verò nocuerint, ex quorumdam declaratione didicimus; con-

Digitized by Google

duxerunt enim ad inculcandam ſiniſtram de innocente & intentionibus ejus ſuſpicionem, apud illos etiam, quorum ſi mens æqua fuiſſet, debuiſſent rejicere illos, vel efficere ut communicarentur parti, prout de jure; quemadmodum etiam pro eo, quòd Patri Deſirant de clandeſtinis ſuis accuſatoribus dicebatur ad aurem: *Veſtri magis nocent quàm exteri*, conveniſſet potiùs ut injunctum fuiſſet illis, publicè gravamina, quæ malè inſufflabant, chartæ committere, vel tacere, quatenùs Pater Deſirant deſuper audiretur, vel à tergo non gravaretur. Sed vana eſt hæc querela, omnibus enim modis executioni mandandum erat Leidenſe effatum de quo ſuprà: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert vvorden*, id eſt, *ſed præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt*.

25. Victima offerenda erat, & oblata fuit: quinque tradiderunt eam, nondum ſunt ſatiati, præſertim Thales Mileſius, qui convivium extruens, omnem ſermonem ſæpiùs intermiſſum, in innocentis & abſentis perniciem toties reſumebat, ut in menſa non videretur ingeminare aliud, quàm *da mihi caput Joannis in diſco*.

26. Rem ſimillimam compendio exprimit Synodus Alexandrina in cauſa S. Athanaſii: *Tota enim illorum accuſatrix Epiſtola, nihil aliud niſi necem ſpectat, aut necem moliuntur, ſi ipſis liceat, aut ſaltem exules facere, quod & impetraverunt ab Religioſiſſimo Cæſarum Patre, qui iras ipſorum offenſaſque, quum ſupplicium capitale poſceretur, exilio damnatorum explevit. Iſta opera Ethnicorum ſunt, & non vel tenuiter Chriſtianorum.* Pag. 193. art. 1.

27. *Nondum*, inquit, *ſatiati ſunt* ibidem. Nam poſt obtentam publicatamque Sententiam, nova criminum figmenta ſpargunt, imprimuntque ſub flagitioſo titulo *Concluſionis finalis*. Placet rem ipſam citatæ Alexandrinæ Synodi verbis retexere: *Neque priores in illum injuriæ ipſorum animis ſufficiunt, ſed nova & atrociora ab illis accumulata volunt; homines ſcilicet admodum manſueti, & moribus æquis, vel quod veriùs eſt, improbi, & perquàm acerbi, qui terroribus & minis potiùs, quàm pietate & æquitate, quod Sacerdotes decet, ad pœnas deproperant.* Pag. 192. D. 2.

Digitized by Google

§. III.

Neceſſaria reprobatio D. FRANCISCI MARTIN, *& brevis reſponſio ad præfatos quinque articulos, in Concluſione finali impreſſos, ſuper quibus P.* Deſirant *nec directè, nec indirectè auditus fuit.*

28. SAnctus Athanaſius in Apologia de fuga ſua calumniatores conveniens dixerat: *Ad convitia igitur eorum & calumnias, quamquàm multa, & quæ ab illis utpotè ſibi malè conſciis negari non poſſunt, ad ſcribendum ſuppetant; non tamen animum inducam, ut quidquam aliud adverſùs eos dicam, niſi Apoſtoli verbum,* MENDACIUM ESSE EX DIABOLO, & CONVITIATORES REGNUM DEI POSSESSUROS NON ESSE. Pag. 163 B. 2.

29. Synodus verò Alexandrina ſtrinxit calamum acriorem, dixitque: *Jam cùm omnia mentiantur, nihilque, niſi calumnias adferant, nec in illorum litteris quicquam ſit veri; quàm multiplex putas in hoc conatu ſcelus, & quàm ſcelerati illi haberi debeant? Rem igitur aggrediemur, eorumque calumniis occurremus.* Pag. 193. cap. 1.

30 Exordiemur ab ipſorum *Coryphæo*, ſeu primi-pilo, homine Græco-Latino, cujus *martyriam*, ſeu teſtificationem ſingularem, art. 107. produxerunt primo loco, ſuppreſſo tamen *martyris* ſivè teſtis nomine, prout paginâ undecimâ videre eſt, ubi ignoti nominis loco expreſſa habentur *grammata* N. N. Eſt autem hæc pagina ſciſſa, & ex certa relatione didicimus *apocryphum martyrem* ſivè teſtem, pudoris atque conſcientiæ ſtimulis agitatum, junctis manibus [aliqui addunt, & flexis poplitibus] inſtitiſſe, ut *onoma*, ſeu nomen ſuum, quod in pagina expreſſum fuerat, expungeretur. Dicunt hominem propter beneficium quod illorum cauſæ adferre intenderat, exauditum, paginamque ſciſſam & reimpreſſam fuiſſe. Unum tamen prioris impreſſionis Exemplar Gandavi apparuiſſe novimus, in quo *to onoma* expreſſum eſt, FRANCICUS MARTIN. Is eſt Græcæ Linguæ *Categetes*, ſivè Præceptor, ex hoc titulo amat ubique *Helladem* cum Latio conjungere, id eſt, *Helleniſmum* ſivè Græciſmum ſobriæ Latinitati romano charactere immiſcere, & per *acoluthias*, ſivè ſequelas ſuas, ſeipſum *catagelaſtum* ſivè deridiculum facere. Eſt etiam S. T. D. quod mireris; Majoris Collegii Theologorum *Hipodidaſcalus*, ſivè ſub-Inſtructor, ſeu potiùs ſub-Regens, qui virum multiplicibus retractationibus *periboëtum*, id eſt celebrem, & infinitis, quæ honoris causâ tacebun-

Digitized by Google

tur, exceptionibus ſubjectum nôrunt, non capiunt quidnam ipſi in ſinciput (quod non ego, ſed Adverſarii negant ſanum eſſe) inciderit; nec dubitant ad minimam *narthecium*, ſivè ferulam, æquè facilis futurus ſit ad revocandum, quàm ad fingendum fuerat. *Paradigmata* ſivè Exempla adducunt quàm plurima, ab ipſiſmet Adverſariis ei ſæpiùs tum intra, tum extra judicium objecta. Teſtis, inquiunt, pius ac zeloſus Paſtor Bierbacenſis, cui dictus *Franciſcus Martin* ſine ullo fundamento vel ſpecie, horrendam fœdiſſimamque *diabolem*, ſivè calumniam, ſcripto typis publicis mandato impegerat. Vocatus autem in judicium, ſcripto revocare coactus eſt, necnon reparare honorem, & ſolvere *ta analomata*, ſivè expenſas litis, coram Magnifico Domino motæ. Nolumus hîc memorare quaſnam idem *Franciſcus Martin* partes habuerit in falſa accuſatione anno 1701. contra Patrem Deſirant apud Gallos per Adverſarios attentatâ, quando dictus Franciſcus æſtuabat *philotomiâ*, ſivè ambitione intrandi Corpus ſtrictæ Facultatis Theologicæ, & ibidem occupandi locum Patris Deſirant, prout etiam tunc per aliquot dies fruſtrà occupavit. Ad rem præſentem ſufficit obſervare, quòd Doctor *Joannes Libertus Hennebel* circa finem anni 1706. *Franciſcum Martin* coram Concilio Statûs, & poſteà coram Concilio Brabantiæ aggreſſus fuerat, ut eum ex alio loco quem in Octoviratûs Corpore poſt acceperat, detruderet; licèt præfatus Doctor Hennebel tacuerit, aut forſan ignoraverit robuſtiſſimum argumentum quod intento ejus forſan potuiſſet favere. Fuit etiam ab eodem Doctore *Hennebel* contra præfatum *Franciſcum Martin*, coram Univerſitatis Rectore inſtituta actio injuriarum valdè notabilis. An *Franciſcus* timuerit; ideoque rebus ſuis opportunum crediderit, ſeſe rursùs Adverſariis jungere, ut quantùm poſſet, tantùm auderet iniquæ criminationi contra Patrem ſubornatæ concurrere, ab effectibus colligendum eſt. Non enim tantummodò memorabilis *Franciſcus*, homo incertæ doctrinæ, cum Adverſariis in illa die amicus factus eſt, verùm etiam rem ita ſcivit cum præfato Doctore *Hennebel* componere, ut hic Doctor occupet locum Patris *Deſirant*, & *Franciſcus Martin* maneat in poſſeſſione. Dignus eſt ſcilicet operarius mercede ſuâ, qui uſque ad tale *martyrium* ſivè teſtimonium, *Janſeniſtarum martyr*, ſivè teſtis factus eſt. Vir Græco-Latinus Græco-Latinè deſcribendus eſt, ut Græco-Latina facta ejus Græco-Latinè intelligantur, ferè ſicut S. Hieronymus Ruffinum de Græcæ atque Latinæ Linguæ peritia gloriantem eleganter repreſſit his verbis: *Scimus te bilinguem eſſe, ita quidem ut Græci te Latinum, Latini Græcum putent.* Hoc autem difficilè intelligimus, quânam fide, atque honeſtate Adverſarii, qui geſtiunt appellari innocentiſſimi, quaſi cuncta ex ſimplicitate Chriſtiana gerentes, tale, talis

hominis teſtimonium impendere non erubuerint, in materia tali, nimirùm an & quidnam aliquis Provincialis in lite, prout in teſtimonio dicitur, contra Patrem Deſirant anno 1699. conſtitutus, adverſùs Patrem Deſirant à tergo, non de aliquo Patris Deſirant facto, ſed vago modo, de neſcio quonam malo genio ejus in cholera effutiiſſet. Juxta omnem ſanam Theologiam, juxta omnem æquam Juriſprudentiam nemo magis quàm Adverſarii falſum hoc teſtimonium ſupprimere debuiſſet; nè illis reſponderetur, quòd deberent ante omnia recordari ſe dicto *Franciſco Martin* pluries objeciſſe verba conterranei ejus, Doctoris *Joannis Sullivane*, eodem præcisè anno 1699. in lecto mortis pronuntiata, *ſe non poſſe dolere quòd nefarias quaſdam dicti* FRANCISCI MARTIN *litteras detexiſſet, eò quòd nimis compertum haberet, quàm pernicioſæ indolis ille ſuus conterraneus foret.* Quidnam, obſecro, eſſet naturalius, quàm ſi Adverſariis reponeretur, nihil ergo in præſenti cauſa *Franciſci Martin* teſtimonium valere, utpotè quòd juxta illos ipſos præſumi debeat, ex *pernicioſa indole*, quam perperam & ſine ulla veritate aut fundamento Patri Deſirant imponit, profectum eſſe? Quid? Quòd iidem Adverſarii inſuper eidem *Franciſco Martin* objecerint, quòd alius Doctor, nomine Franciſcus N. de illo dixerit: *Franciſcus Martin aut dormit, aut mentitur.* Voluntnè Adverſarii ut Pater Deſirant ipſorum more ſic argumentetur ad hominem, atqui *Franciſcus Martin* præſens teſtimonium non dedit dormiendo, ergo dedit mentiendo? Fruſtrà in articulo 69. & 70. Concluſionis ſuæ finalis perſiſterent, ubi ſuum *Franciſcum* nituntur ſalvare ſub prætextu quòd Pater Deſirant eum, *in locum ſtrictæ Facultatis cooptârit.* Nam ipſe *Franciſcus Martin*, cui Adverſarii hâc ſaltem vice fidem debent, id apertè negat; ac ſe marte proprio, jure ſuo, & ignotis meritis, omnium expectationem ſuperantibus, hanc ſibi ſpartam vindicaſſe contendit. Tam luculenter Adverſarii ſeſe ipſos dejiciunt. Neque ut *Franciſcum Martin* peremptoriè reprobemus, hiſce Adverſariorum argumentis opus habemus, prout neque cujuſdam amici conſilio, qui ſuaſit ut Lectores rogaremus, quatenùs ubi occaſio ferret, fixo obtutu intuerentur tripudiantes *Franciſci* oculos; eorumque curſus, atque gyros obſervarent: Enimverò minimos Phyſiognomiæ cognitores, ex illis ſolis eſſe comperturos, hunc *Franciſcum* non eſſe ferendis teſtimoniis capacem.

31. Habemus enim quæ ſufficiunt, ex ipſis teſtimonii, quod dedit, viſceribus deprompta. Nam primò, *Franciſcus* dedit illud ſuâ ſponte, non rogatus, prout ex actis liquet. Tale autem teſtimonium ipſo jure & facto rejiciendum eſſe, Menochius aliique conteſtantur. Secundò, *Franciſcus* in hac materia unicus & ſingularis teſtis, & talis teſtis eſt. Teſtem autem

Digitized by Google

ſingularem nihil probare, apud omnes receptiſſimum eſt, cùm ſcriptum ſit, *in ore duorum vel trium ſtabit omne verbum.* Nec obſtat, quòd etiam Doctor Zegerus Bernardus van Eipen, & Petrus Nicolaus Tourteau aliqua teſtati fuerint. Egerunt enim de alia materia, & aliis circumſtantiis, ita ut conteſtes dici non poſſint, ſuntque ſufficienter reprobati; ille toto capite decimo quinto, hic in Apologia per totum: Rem omnem compendio exprimit Alex. 3. cap. *veniens* ✕ de teſtibus: *Nos tuam ſententiam commendamus, eò quòd ille qui eodem erat infectus crimine contra eum teſtificari non poſſet; nullique de ſe confeſſo, adversùs alium in eodem crimine ſit credendum, nec unius teſtimonium ad condemnationem ſufficiat alicujus.* Ita ut Patri Deſirant verè dicere liceat, *inſurrexerunt in me tres teſtes ſingulares iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.* Egregia enimverò teſtium trias, *Franciſcus Martin, Petrus Nicolaus Tourteau, & Zegerus Bernardus van Eſpen!* Facta loquuntur. Tertiò, *Franciſcus* eſt teſtis *de auditu tantùm*, quippe qui ſimpliciter referat, ſe tale quid ab annis octo ex ore cujuſdam Provincialis audiviſſe. Teſtimonia verò de auditu, in omni jure repelluntur. Juxta Innoc. 3. cap. *tam litteris veſtris* ✕ *de teſtibus: intelleximus nihil eſſe contra Lucanum electum ſufficienter oſtenſum, niſi de* AUDITU TANTÙM *& fama, cùm ſuper aliis, ſi qua fortè videantur eſſe probata, teſtes ſint vel ſoli, vel tales qui non potuerunt illa legitimè comprobare.* Quartò, teſtimonium *Franciſci Martin* ſeipſum falſificat in præcipuis circumſtantiis. Dicit enim has difficultates inter Patrem Deſirant ex una, & iſtum Provincialem ex altera partibus, præſente Doctore Steyaert circa cubiculum *& hortum* motas fuiſſe. Atqui Doctor Steyaert obiit 17. Aprilis 1701., cunctiſque Patribus Auguſtinianis Belgicis notum eſt, quòd præfato Doctore vivente, nihil de illo horto dictum vel cogitatum extiterit. Hic enim non hortus, ſed hortulus quinquaginta-octo dumtaxat pedibus amplus, tantummodò cœpit extrui anno 1703. de prævia omnium Superiorum licentia, etiam ſcripto datâ, cujus Originale habemus ad manum. Quoniam verò *Franciſcus Martin* hunc hortulum ſine ulla juſta cauſa, cum ſummo Domeſticorum, & extraneorum diverſarum Religionum ſcandalo nondum reparato vidit deſtructum, ubi tamen variis Religioſis aliis minoris ſphæræ ſui reſpectivè hortuli in eadem Provincia relicti fuerunt; voluit aliquid de horto garrire, & cùm non eſſet in homine veritas, malè ipſius epocham conſtituit in anno 1699. Quintò, id quod *Franciſcus* refert, ſuperat omnem fidem, & non tam Patri Deſirant, qui injuriam accepiſſet, quàm aſſerto Provinciali, qui in cholera poſitus eam intuliſſet, injurius eſt. En verba: Quòd P. Provincialis Doctori Steyartio, in præſentia *Franciſci* anno 1699. dixiſſet, *Patrem Deſirantium eo eſſe ingenio, quòd pro ſua fortuna augenda, pro-*

prioque intereſſe, venderet, traderet, & præfatum R. Steyaert, & totam Facultatem Theologicam; imò & ſuum Ordinem Eremitarum Sancti Auguſtini, & Summum Pontificem, & Religionem Catholicam. Art. 107. Poſtquàm ſcilicet P. Deſirant hæc feciſſet, numquid præclarè tunc & providè fortunam ſuam & intereſſe auxiſſet? Quis non videat ſycophantiam? Miror quòd eâdem operâ non addiderit Patrem Deſirant habere pacta cum dæmone. Et quaſi verò, ubi aliquis contra alium in lite poſitus neſcio quæ ſcommata evomuiſſet, ei qui hæc audiviſſet, liceret ea poſt octo annos referre, & in judicio deponere; aliiſque tutum & integrum foret tam fluxam, atque caducam depoſitionem non modò perperàm à tergo impendere, verùm etiam merè ad diffamandum publicis typis dare. Velletnè *Henricus Malcorps* ea imprimi quæ de ipſo dicta ſunt, & etiamnum dicuntur à diverſis? Vellentnè alii id fieri ſibi? Quidquid ſit, ſi falſum, ſi calumnioſum, atque horrendum illud dictum ex ore PATRIS GUILIELMI WYNANTS, qui tunc Provincialis erat, reverà, quod abſit, nec creditur, emanaſſet; nihil hoc Patri Deſirantio præjudicaret, utpotè exorbitans, ſine ullo fundamento & veritate, repugnans notæ indoli Patris Deſirant, totique vitæ ejus, injuſtum, & charitatis Chriſtianæ everſivum, in cholera, ùt ſupponitur, tempore neſcio quarum ſimultatum, evibratum, & conſequenter dicenti magis, quàm illi de quo dictum fuiſſet noxium. Sextò, in præſenti *Franciſci* relatione nullum factum exprimitur ullo ſenſu perceptibile, ſed ridiculo & vano modo de interna animi indole vetitum teſtimonium datur. Omnia verò jura, requirere teſtimonia de factis ſpecificis tamquàm ab illo contra quem teſtimonium fertur perpetratis, & aliquo teſtantis ſenſu perceptis, notiſſimum eſt. Videri de his poſſunt Maſcar. Menoch. Math. & alii. Septimò, caret veritate, & veriſimilitudine, quòd Doctor Steyaert *Franciſcum Martin* miſiſſet, *ut prædicta referret Eximio Patri Deſirantio.* Erat enim Pater Deſirantius Doctori Steyartio carus & familiaris magis quàm iſte *Franciſcus*; & procul dubio Doctor Steyaert talia & tanta per ſeipſum retuliſſet; quod tamen numquàm fecit, licèt omnes Lovanii nôrint, quòd P. Deſirant ſoleret ei indies adeſſe. Octavo, fallit *Franciſcus*, ubi dicit ſe Patrem Deſirant deſuper conveniſſe, & dixiſſe, *ſi ſibi conſcius eſſet ingenii tam nefarii & ſceleſti, indignus eſſet conſortio honeſtorum virorum, ſin autem innocens eſſet, forti animo ferret tam tetram deſcriptionem.* Numquàm illud accidit. Neque P. Deſirant is erat, qui talia à *Franciſco* audiret, neque *Franciſcus* tunc talis erat, qui talia Patri Deſirantio dicere auſus fuiſſet; ut enim per illius ſuffragium perveniret ad locum aliquem ſtrictæ Facultatis, adulabatur ei uſque ad contemptum ſui. Hiſce mediantibus jacent articuli 106. 107. 108. Plura dabimus, ſi *Franciſcus* quidquam audeat negare.

32. Ig-

Digitized by Google

32. Ignoſce, Lector benevole, quòd *Franciſcus Martin*, vir extraordinarius, per tempus extraordinarium, ſtylo extraordinario excipi debuerit: quos calumniis inceſſivit, ſtatim ſolet honoris causâ, ad placandum, appellare *cariſſimos* atque *dilectos*. Non calumnias, ſed veritates audivit. Compellabo hominem ſuis phraſibus & monebo. DILECTE ET CARISSIME MI FRANCISCE, vide ut impoſterum ſis prudens & verax. Nam & novas querelas accipio, illaſque graves, de eructatis per te rursùs calumniis die 28. Februarii elapſi, contra præclariſſimos viros ſuper omnia tua merita poſitos, idque in publico congreſſu totius Univerſitatis. Nova tibi rursùs injuriarum dica ideo dicta fuit. Vide nè id Bedellus Colonienſis audiat; & nè quadraginta-quinque Baccalaurei redeant, contendentes inſtantiam ſuam fundatam fuiſſe. DILECTE, hoc fac & vives. Morum tuorum inſtructorem elige qui frugi ſit. Huic auſculta, & inclytam, atque orthodoxam tuam Gentem Hibernicam Hibernus non dehoneſtabis.

33. Secunda criminatio exhibetur art. 109. de ſtipendio Lectionis, quod non Profeſſori Latino, ſed Regio Hiſtorico deberi tam clarè in judicio oſtenſum fuit, ut P. Deſirant in menſe Januario 1707. ultimus ſcripſerit, nec pars adverſa potuerit reſpondere, præſertim ad Regeſta Collegii Buſlidiani, ubi reperitur declaratio Ericii Puteani, à Præſide & Profeſſoribus ſubſcripta, ex qua patet, non tantùm ſtipendium Regium & Statuum Brabantiæ Profeſſori Regio deberi, verùm etiam ipſum ſtipendium Lectionis Latinæ in perſona Ericii Puteani, per dictos Proviſores, *Principum Decreto accedente* Lectioni Regiæ unitum fuiſſe.

34. Tertia criminatio exprimitur art. 110. de obtento loco in Facultate Theologica: ad quem cùm acceſſerit approbatio Principis, conſenſûs omnium Collegarum, nullo excepto, & Decretum Romani Pontificis, hæc calumnia ſufficienter rejecta eſt.

35. Quarta criminatio continetur art. 101. ubi innocens Sacerdos ſine ulla probatione appellatur *hæredipeta ſub prætextu Religionis*. Cùm tamen tam hæredes, quàm omnes, quibus res defuncti Domini *de Steldershove* notæ ſunt, probè ſciant, quòd Pater Deſirant numquàm fuerit ipſius Confeſſarius, nec quidquam cum illo de Religione tractaverit. Confeſſarius enim, qui & ipſi uſque ad mortem adſtitit, fuit Pater Procurator Ordinis Carmelitarum ad Stam. Catharinam Lovanii. Fatendum eſt tamen, quòd P. Deſirant non ſollicitando, ſed poſt varias recuſationes, acceptando octavam partem eorum, quæ titulo gratitudinis, per donationem remuneratoriam pluries ſpontè oblata fuerant, de conſenſu Superioris ſui in ſcriptis dato, acceperit honeſtam memoriam, & tamquàm primarius

Digitized by Google

teſtamenti executor ſimul cum duobus Advocatis ſinceram curam geſſerit, ut hæreditas deveniret ad legitimos hæredes, quemadmodum cum effectu devenit, prout omnes hæredes ſine hæſitatione ſignarunt, & gratias egerunt.

36. *Ex demortui exuviis, præter plurima gemmati operis immenſum pondus argenti & auri tam ſignati quàm fabrefacti*, ita ut, *qui moderatiùs loquuntur, ad* 30000. *florenorum noſtratium illud aſcendere faciant*, inquit moderatiſſimus Henricus Malcorps præſenti articulo 111. Eſt calumnia, & impoſtura. Ad argentea enim, quod attinet [aurea nulla fuerunt] horum valor non aſcendebat ad 4000. flor. illorumque pars circiter dimidia diſtributa fuit defuncti hæredibus, & amicis: atque ex divenditis ſecreta juſſa peracta fuerunt, ſic ut Patri Deſirant vix ſexcentorum florenorum utilitas acceſſerit, prout illis conſtat, quorum intereſſe putatur. *Præter plurima gemmati operis*, inquit, ibidem. Nullam verò gemmam umquàm vidit P. Deſirant. Nam defunctus præfatus cunctas gemmas æſtimatas ad valorum 12000. flor. anno 1701. per contractum antenuptialem donaverat, & tradiderat uxori ſuæ, illæque aſſervantur Bruxellis ab Ampliſſimo Domino Conſiliario Colins, tamquàm tutore Domicellæ de Vrocy pupillæ, cui debentur virtute præfati contractûs, prout ipſe Henricus Malcorps ſcit, & intellexit ex Ægidio Denique, qui præfatæ uxoris negotiorum erat conſcius, nec illa potuit ignorare. Sed nempè fictæ illæ divitiæ allegandæ, atque ſpargendæ fuerunt in alios fines, ut ſcilicet P. Deſirant traderetur deprædandus.

37. Criminatio quinta art. 112. procedit pariter ſine ulla probatione. *Publica fama fert*, inquit. Quaſi verò neſciamus Henricum Malcorps cum ſuis, ſolitos famas excitare quas voluerint. Primarios Ordinis ſui Patres coram Comite de Souternon traduxiſſe, *tamquàm qui conſpiraſſent cum hoſtibus in traditionem hujus civitatis*, inquit. P. Deſirant coram hoc Comite nihil depoſuit. Coram ſolo Fiſco Regio, interrogatus dixit, & ſignavit, ſe neminem ex ſuis Confratribus noviſſe capacem, qui cum iſtius temporis inimicis correſponderet, vel de ulla traditione, aut proditione tractaret. Teſtis ſit ipſe Fiſcus. Vivit. Occaſio depoſitionis erat, quòd ſurrepti fuiſſent aliqui ſacci farinæ Regiæ, datumque mandatum ut ad ingreſſum militum in Conventum, pulſaretur campana Eccleſiæ, & quòd aliqui Officiales retulerant, quoſdam indiſcretiùs locutos fuiſſe. Unum ex his Officialibus probè novit Expertiſſimus D. *Thomas*, vir integræ fidei, qui tamen huic rei non ſe immiſcuit. Taceri non debet, quòd Pater Deſirant ſæpiùs tum verbo, tum ſcripto ſuam in hac parte innocentiam obteſtatus fuerit, & rogaverit cauſam inſtitui. Aliud verò reſponſum non

Digitized by Google

obtinuit, quàm ſcandaloſam deſtructionem ſuprafati hortuli, quem de prævia licentia Superiorum in ſcriptis data extruxerat, uſuſque fuerat, ſicut varii in eadem Provincia Religioſi, uſque in hunc diem innocentibus deliciis ſine querela utuntur. Et contra ſolum hortulum illum Patris Deſirant violenta illa executio facta eſt, abſque eo quòd præviè vel moneretur, vel citaretur, vel audiretur, multò minùs defenderetur. Hæc certa vindicta pro mera ſuſpicione.

38. Hactenùs de quinque calumniis ſuper quibus P. Deſirant nec citatus, nec auditus, multò minùs monitus fuit. Et talia permittuntur imprimi. Et talia impunè, ſine ulla probationis ſpecie permiſſa fuerunt poni in Concluſione finali, ut crudeliſſimi famæ atque honoris Sacerdotalis Maſtyges, poſſent art. 113. præſentis accuſationis atrocitatem excuſare, & art. 114. eminentem Patris Deſirant gradum, characterem Doctoralem, Sacerdotalem & Religioſum contemnere, & parvi habere quòd eſſet ſtrictæ Facultatis Theologicæ ſenior Reſidens, eundemque art. 115. *de peſſima mente* criminari ſine documentis, & art. 116. impudentiſſimè comparare infelici Apoſtolo, *qui proditor extitit Magiſtri ſui Chriſti.* Talia ſcommata taliter à talibus objecta retuliſſe, refutaſſe eſt.

§. IV.

Quòd Adverſarii ſciverint ſe omni ſpecie probationis legitimæ deſtitutos eſſe, & ideo ex profeſſo totam cauſam direxerint tanquàm judicandam ex ſuſpicione.

39. ADverſarii non ignari quod fecerant, & ſatis conſcii, quòd nullam ſubornatæ ſuæ accuſationis haberent probationem legitimam, in ipſo accuſationis limine, debilitatem aperuêre ſuam, ubi articulis 19. 20. 21. 22. 23. contenderunt præſentem cauſam *per indicia & præſumptiones* probandam, atque decidendam eſſe. Pro qua re adduxerunt Maſcardum, Menochium, Farinac. Boſſ. Giurb. van Leeuwen & Gomez., quos nihilominùs fatentur agere de caſibus ſecretis, *in quibus ratione loci & temporis difficulter teſtes adhiberi poſſunt.* Art. 23., ubi tamen præſens caſus tam publicus fuit, ut P. Deſirant de ſingulis articulis teſtes produxerit.

40. Articulo 24 exclamant: *Quàm hæc ſunt affinia delictis de quibus hîc quæſtio! Machinationes illæ diabolicæ apud Clariſſimum D. van Eſpen* &c. Bona verba, quæſo, Clariſſime Domine van Eſpen. Cum hominibus agis, non cum diabolis. Prava contra Sanctam Sedem conamina perſequi humanum & propè divinum putes. Hanc verò per triginta, & quod excur-

rit annos ex deſtinata opera impugnaſſe, tam diabolicum, ut ejuſmodi homines non intelligentes quod ſcriptum eſt: *Et porta inferi non prævalebunt adversùs eam*, juxta Apoſtolum ſoleant tradi ſathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat.

41. Cæterùm ubinam nominati Authores aſſerant, delicta de quibus hîc quæſtio, relatis caſibus affinia eſſe, & per indicia & præſumptiones probari poſſe, aut debere, nec oſtendis, nec oſtenſurus es in æternum.

42. Miſera profectò innocentium ſors, ſi malignis & inveteratis accuſatoribus pateat debilis illa probandi licentia; cùm vix ullus poſſit excogitari accuſationis caſus, in quo iniquus criminator exquiſitis artibus non inveniat circumſtantias aliquas, quas veluti indicia objiciat, exemplo caſtiſſimi Joſephi, quem laſciva mulier falsò accuſavit, accuſationiſque indicium nequiter fundavit in relicto pallio; necnon pudiciſſimi Hippolyti, quem inceſtuoſa noverca fuit criminata ex indicio relicti gladii.

43. Deſtituti ergo probationibus legitimis, obtruſerunt indicia, quæ fundaverunt in factis, quorum circumſtantias tam artificiosè celaverunt, ut P. Deſirant compulſus ſe defendere cæco modo, non potuerit eas cognoſcere, ut adduceret probationes luce meridianâ clariores, quas, licèt in hac cauſa accuſato non neceſſàrias, habebat tamen ad manum.

44. Quod verò maximè eſt notandum, ipſa ſcedula, quam vocant ſententiam, tota quanta, ſoli ſuſpicioni innititur, & pœnam maximam, Viro Eccleſiaſtico, Sacerdoti, Doctori ac Religioſo infligit ex ſuſpicione.

45. Verba ſunt: *Habenteſque citatum tamquàm ſuſpectum, quòd concurrerit ſimul cum prænominato Tourteau, ad fabricandas præſcriptas Litteras, Formularia, & Reſolutiones.* Et infrà: *Habentes eum ulteriùs ſuſpectum, quod tribus diverſis vicibus induxerit præfatum Tourteau, ut interciperet ex domo curſoria ſupraſcriptos tres parvos faſciculos litterarum ſcriptarum per prænominatum Henricum Graſper.*

46. Nec refert quòd in eadem ſcedula bis pronuntietur *convictus*: ea namque de quibus convictus dicitur, ſunt in ſe indifferentia, & prout acciderunt, tam inculpabilia, ut ſi præfatæ ſuſpiciones ſeponantur, non vituperium, ſed laudem, non pœnam, ſed præmium meruiſſe debuerit.

47. Tantummodò enim dicitur convictus, quòd *priorum litterarum copias fieri curaverit, & miſerit ad Altiores Poteſtates, necnon quòd poſteriores litteras ſic interceptas apud ſe retinuerit, illiſque uſus fuerit*, & in his conſtituitur prætenſa *mala fides*.

48. Atqui ſi falſa & infundata eſt utraque præcedens ſuſpicio, prout reverà eſt falſiſſima & minimè fundata, tunc manifeſtum eſt, quòd facta, de quibus convictus dicitur, ſint innocentiſſima.

Digitized by Google

49. Igitur quidquid ex dicta ſcedula poteſt redundare in præjudicium Patris Deſirant, fundatur in mera ſuſpicione, quæ apud ipſos promulgatores fuit tam tenuis, ut eam ſimpliciter appellaverint ſuſpicionem, nec potuerint dicere ſuſpicionem vehementem, multò minùs neceſſariam.

50. Fac enim verum eſſe, prout eſt, quòd P. Deſirant priorum litterarum fictionem ignoraverit, prout ignoravit, & adhuc ignorat; quid, obſecro, mali in eo, quòd curaverit illarum copias fieri, miſeritque ad Altiores Poteſtates, nimirùm Eccleſiaſticas, id eſt, Judices ordinarios, ſecretò informando, quid ageretur, cum expreſſione quòd examinabatur veritas, eâ diligentiâ, quâ in re tanta adhiberi non poſſet major?

51. Fac etiam verum eſſe, quòd Petrus Nicolaus veras Henrici Graſper litteras die 16. Februarii 1707. attulerit, aſſerens ſe illas intercepiſſe ex ordinatione Rectoris Univerſitatis, ut detegeretur conſpiratio contra Religionem Catholicam, & Statum Eccleſiaſticum, quemadmodum verum eſt, quòd dictus Petrus illas ſic attulerit coram uno teſte, qui hoc depoſuit in judicio. Quid rursùs, obſecro, mali, quòd P. Deſirant illas veras Henrici Graſper litteras retinuerit, donec adveniret præfatus Rector, quem ipſo momento, quo litteras illas ſic receperat, rogari fecit, ut ad ſe podagrâ laborantem veniret, & inſtantias ſuas pluries, tum per dictum Petrum Nicolaum, tum per Egregium Doctorem Theologum, tum per prudentem Advocatum iteravit, donec ipſe Rector advenit, cui P. Deſirant cuncta declaravit, oſtendit & explicavit die 23. & 25. Februarii ejuſdem, prout conſtat ex actis?

52. Patet igitur quòd Adverſariorum machinatio ſita fuerit in mero ſophiſmate. Nimirùm ſupponere, quòd mera ſuſpicio ſufficeret ad condemnandum; & tunc ſuſpicioni facta innocentia conjungere, eamdemque incruſtare *malâ fide* ex ſuſpicione reſultante, & hoc medio innocentem perdere.

53. *Quàm hac ſunt affinia delictis, de quibus quæſtio*, exclamant Adverſarii articulo 24.

54. Ego verò ingemino, *quàm hac ſunt affinia delictis, de quibus quæſtio: in cauſa Joſephi, atque Hippolyti!*

55. Joſephus erat convictus, & confeſſus, ſe reliquiſſe pallium, Hippolytus gladium. Utrobique libidinoſæ mulieris nondum de anterioribus falſitatibus & perjuriis convictæ aſſertio fundaverat ſuſpicionem: & uterque innocens fuit damnatus judicio, quod omne genus humanum reputat fuiſſe injuſtiſſimum.

56. P. Deſirant faſſus & convictus eſt, quòd priorum litterarum curaverit fieri copias, & miſerit ad Altiores Poteſtates Eccleſiaſticas cum cir-

Digitized by Google

cumſtantiis ſuprà expreſſis, necnon quòd aliquibus diebus, donec adveniret Univerſitatis Rector, detinuerit veras litteras Henrici Graſper. Superjicitur ſuſpicio, quòd P. Deſirant concurrerit ad falſificationem priorum, & ad interceptionem poſteriorum. Hæc verò ſuſpicio fundatur in aſſertione non uxoris Putypharis, aut Reginæ Phedræ, ſed miſerabilis Petri Nicolai Tourteau, convicti & confeſſi anteriores falſificationes, ſacrilegia, & perjuria, etiam tamquàm in præſenti judicio perpetrata, ut taceantur quatuor variationes ab eodem in hoc judicio agnitæ.

57. Talem ſententiam habendam eſſe inappellabilem, quis Schyta, quis Barbarus ſuſtinebit?

58. *Revertimini in idipſum*, inquiebat Daniel in ſimili judicio; teſteſque diſtinctim interrogans, invênit variantes: Unus enim ſub ſcino, alter factum dicebat ſub prino: Et innocens Suſanna abſoluta eſt.

59. Tantùm verò abeſt, ut notorius falſator Petrus, qui per quinque annos continuos, in falſificationibus ſuis, *Doctori* van Eſpen, non verò Patri Deſirant cognitis inſorduerat, qui in hoc judicio faſſus fuerat ſe poſt perpetrata ſacrilegia perjuraſſe, qui quater variaverat, aliaque fecerat, propter quæ apud nullum cordatum virum fidem inveniret: tantùm, inquam, abeſt, ut fuerit examinatus, an ſub prino, vel ſcino res contigiſſet, quin ècontra fuerit primò adactus minis, ut variaret; poſteà illectus promiſſis, ut accuſaret; dein pinguiter alimentatus, nè revocaret; poſteà ex carcere liberatus, nè Sententiæ, quæ in ipſum taliter qualiter lata fuerat, pœnas daret.

60. *Revertimini in idipſum*, & videte quo loco apud vos ſtet ſuſpicio, vos, qui Epiſcopos, vos qui Sedem Apoſtolicam apud omnes ſæculi Poteſtates criminati eſtis, ac tot & tantas tragœdias excitaſtis, & etiamnum excitatis, quòd pro Janſeniſmi ſuſpicione paucula pateremini, cùm tamen ſemper & ubique vobis offerretur, & præſto eſſet remedium, per ſinceram Formularii Alexandrini ſubſcriptionem, tollendi, evertendique eam, quæ vobis movebatur, ſuſpicionem, non fundatam in aſſertione notorii & publici falſificatoris, ſacrilegi, perjuri, & quartò variantis, ſed in dictis, ſcriptis, & factis veſtris, quemadmodum vobis toties objectum, & nihil umquàm ſolidi à vobis reſponſum fuit.

61. Epiſcopos ſcilicet, ipſumque Summum Pontificem apud ſæculares Poteſtates accuſatis, quòd propter Janſeniſmi ſuſpicionem à vobis exigatur dicti Formularii ſubſcriptio; nunc autem Doctorem Catholicum apud Judices criminamini ex ſuſpicione, contenditiſque, eundem ex ſuſpicione damnandum eſſe. O viros innocentiſſimos atque integerrimos, procedentes ex ſolita ſua, quam jactant, ſimplicitate Chriſtiana!

Digitized by Google

62. Quidquid igitur Adverſarii ab art. 25. uſque ad 38. de ſuſpicionibus hallucinantur, brevi diſtinctione refellitur. Fatemur ſiquidem cum Authoribus ibidem citatis, indicia & præſumptiones in judicio eſſe *ad probandum receptibiles*; ſed cum Authoribus iiſdem, aliiſque ſuſtinere pergimus, nullam in criminalibus probationem eſſe ad condemnandum ſufficientem, niſi *luce meridianâ clariorem*. L. ult. *ſciant* Cod. de probationibus.

63. Ita ut, ſivè teſtimonia, ſivè inſtrumenta, ſivè indicia, ſi hæreant in ſuſpicionibus, nullo modo ad condemnandum ſufficiant. *Sed nec de ſuſpicionibus quemquam damnari oportere, Divus Trajanus aſſidio ſevero reſcripſit.* L. *abſentem* ff. de pœnis.

64. Jura enim in criminalibus exigunt criminum notitiam certam, non dubiam, quia abhorrent ab illa judicii forma, quâ poſſent involvi innocentes.

65. Quocircà Capitularia Caroli Magni l. 7. c. 186. Judices monent nè reum putent, qui eſt accuſatus, ſed qui eſt convictus. Nihil enim eſſe in mundo periculoſius, atque injuſtius, quàm judicium exercere ſuper conjecturis. Hominibusque ſciendum, quòd ubi plenè probationes deficiunt, resque hæret in ſuſpicionibus, ſignum eſſe, quòd Deus recuſaverit eis plenam impacti criminis notitiam dare, nolueritque illos in hac causâ Judices eſſe, deciſionemque ſuo ſibi reſervaverit arbitrio.

66. Agmen claudat Doctor Angelicus 2. 2. q. 60. art. 3. O. CÙM ALIQUIS JUDEX EX SUSPICIONE PROCEDIT AD ALIQUEM CONDEMNANDUM, HOC DIRECTE' AD INJUSTITIAM PERTINET, UNDE' EST PECCATUM MORTALE.

67. Atqui non modò præſens accuſatio, ſed & ipſa ſcedula quam vocant ſententiam, data eſt in ſuſpicione, & articuli, de quibus dicitur extare convictio, ſecluſâ ſuſpicione, quæ infundata eſt, ſunt per ſe liciti, & bonæ fidei ſubjecti. Formetur ergo legitima conſequentia.

68. Unicum hîc addendum, quòd in caſu Hæreſis, ſuſpicio effectum ſpecialem pariat. Cùm enim fidei hoc ſingulare ſit, quòd in ſuſpicione Hæreſis neminem deceat eſſe patientem; hinc juri quidem naturæ, divino, atque humano repugnat, quemquam damnari ex ſuſpicione, ideòque non tantùm talis Judex reſtitutioni, verùm etiam toti quodammodò generi humano obnoxius eſſet, quia rationabilis creaturæ primarium & ſolemniſſimum jus eſt, nè cogatur ſubire pœnam certam, per Sententiam ex mente dubia proficiſcentem; attamen in caſu Hæreſis lex injungit, ut ſuſpectus ſe purget per legitimam declarationem.

69. Neque ſuſpectus poſſit de hac lege conqueri, hæc enim declara-

Digitized by Google

tio non eſt gravamen, ſed opus laudabile, pium atque honeſtum; quod qui recuſat tempore præſcripto facere, hoc ipſo de obſtinatione convictus eſt, & hoc factum pertinax, per præſumptionem juris & de jure [ita enim in jure expreſſum eſt] habetur pro hæretico. Verba legis ſunt: *Qui autem inventi fuerint* SOLA SUSPICIONE NOTABILES, *niſi* AD MANDATUM ECCLESIÆ, *juxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ propriam innocentiam* CONGRUA PURGATIONE MONSTRAVERINT, *tamquàm* INFAMES ET BANNITI *ab omnibus habeantur; ita quidem ut ſi ſic per annum permanſerint, ex tunc omnes tamquàm hæreticos condemnamus.* L. *Gazaros*, Cod. de Hæret. & Manich.

70. Hinc patet æquitas & ordo formulariorum in quibuſvis Hæreſum occaſionibus à Romana Eccleſia præſcribi ſolitorum. Inde verò conſequentiam facere, quòd in aliis cauſis liceat ex ſuſpicione damnare, ita exorbitat à jure, tantamque innocentiæ ſtragem totique generi humano labem indicit, ut nullum ferrum aut flamma, ad deteſtabilem illam praxim eliminandam, ſufficeret, ſi uſpiam invaluiſſet. Nullus enim tutus foret; & quilibet factioni ſuccumberet, ſi quæ in Republica malè emerſiſſet. Viri probi omni momento probris atque ſuppliciis eſſent expoſiti, prout Tyrannorum temporibus accidit; & in alienis miſeriis innocuis luxuriarentur hoſtes naturæ, peſtes patriæ, & dedecora generis humani.

71. Quod verò magis abſonum eſt, & Adverſariorum memoriam apud Poſteros reddet magis inviſam: non tantummodò in ſua Concluſione finali ſuſtinuerunt quòd ſuſpicio ad condemnandum Patrem Deſirant ſufficeret; ſed & ibidem aſſeruerunt, quòd omnes convictiones & confeſſiones quas Petrus Nicolaus Tourteau in judicio, de anterioribus falſitatibus ſuis, de ſacrilegiis, de perjuriis, aliiſque criminibus tamquàm à ſe ſolo & principaliter perpetratis fecerat, deberent reputari pro ſuſpicionibus, à quibus Petrus poſſet relevari.

72. En verba articuli 128. *Ut autem hac indiciorum & argumentorum vis & robur magis eluceſcat, dignetur Magnificentia veſtra animadvertere, nullum* IN SUSPICIONEM *horum criminum vocari, niſi Petrum Nicolaum Tourteau, & ipſum Reum ſivè Patrem Deſirant, atque alterutrum ipſorum certò eſſe omnium illorum authorem: ita ut argumenta & indicia,* QUÆ PRÆSUMPTIONEM A DICTO PETRO AMOLIUNTUR, *eam in Reum conjiciant, ipſumque gravent, & authorem probent.*

73. Et poſtquàm per triginta & ampliùs articulos conati fuerint ſuſpicionem à ſuo Petro convicto & confeſſo amoliri, tandem articulo 167. concludunt: *Hæc argumenta & indicia,* TAMETSI FORSAN SINGULA NON EVINCANT, *Reum eſſe totius hujus fabulæ primarium authorem;*

tamen

Digitized by Google

tamen ſi omnia ſimul conjungantur, non eſt dubium quin ex illis adverſùs Reum PROBATIO SUFFICIENS *exurgat.*

74. Ex quibus duo ſequuntur; primum quidem quòd accuſandi libido in tantùm excreverit, ut Petrum, quem primò fuerant deteſtati, habuerantque ùt convictum atque confeſſum, turpi contradictione retraxerint ad claſſem ſuſpectorum; ſecundum verò, quòd eodem uſi fuerint veluti unico inſtrumento, ad fundandam ſuſpicionem contra Sacerdotem, illamque reputandam pro convictione ſufficienti.

75. Hæc facta Janſeniſtarum, qui fingunt ſe non exiſtere, ut talia impunè facientes, nihil feciſſe videantur.

76. Videamus nunc ipſorum doctrinam, ut mundus intelligat, an non ſint meritò in aliquibus comparandi eis de quibus Chriſtus Dominus dixit: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.*

77. En verba Doctoris van Eſpen parte 3. tit. 8. c. 3. n. 24. *Proceſſu plenè inſtructo, Judicis eſt proceſſum diligenter examinare & diſcutere, num probationes contra Reum ſint ſufficientes ad condemnationem: cùmque in cauſis criminalibus majus præjudicium & periculum ſoleat verſari, quàm in civilibus, etiam* OMNIA HÎC ACCURATIÙS PERPENDENDA SUNT.

78. Et num. 25. *Et quidem in cauſis criminalibus, præſertim ſi agatur de crimine atroci & capitali, vel quod pœnâ corporis plectendum eſt, requiri* NON TANTÙM PLENAM PROBATIONEM, SED INDUBITATAM, ET LUCE MERIDIANA CLARIOREM, *communiter tradunt Doctores & Practici argumento l. fin. cod. de Probationibus.*

79. Et num. 26. *Hinc plures contendunt* EX INDICIIS ET PRÆSUMPTIONE *ad condemnationem in criminalibus, ubi de pœna corporali infligenda agitur,* PROCEDI NON OPORTERE; *uti videre eſt apud Damhouderum in praxi rerum criminalium cap. 54. & Julium Clarum in Practica criminali q. 21. 22. & 60. & 63.*

80. Hæc etiam extendit ad præſumptionem juris & de jure, licèt eſſet violentiſſima. En verba: LICET PRÆSUMPTIO JURIS ET DE JURE SIT VIOLENTISSIMA, *nec facilè per contrarias probationes elidatur, tamen verè & propriè non eſt veritas, cùm verſetur circa dubium; & in claris locus non ſit conjecturis vel præſumptioni, quæ ex conjecturis deſumitur.* Ibid. tit. 7. cap. 5. n. 23.

81. Hæc Rigoriſtæ docuerunt, iſta Laxones practicaverunt. Conciliari non poſſunt niſi forſan per Leidenſe Decretum de 7. Februarii, *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden,* id eſt, *at præcipue in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt.* Amor enim tuendi damnatam Sectam, quam P. Delirant ſatis diu & a-

criter, pro Sedis Apoſtolicæ honoribus certans impugnaverat, converſus fuerat in ardorem, & hunc ardorem conditio præſentis temporis ſic inflammaverat, ut exuſtæ fuerint omnes cogitationes pietatis; lex & juſtitia, charitas & modeſtia calcata pedibus, cunctaque ſanda & infanda impenſa in deploratum obſequium vindictæ, quam eleganter deſcribit Seneca in perſona Medææ.

Quidquid potes, Medæa, quidquid non potes:
Sit ratio, ſit natura, ſit dirus furor;
Numquàm meus ceſſabit in pœnas amor.

§. V.

Quòd P. Deſirant *in nullo articulo habuerit legitimam defenſionem quoad modum & formam judicii, in inſtructione cauſæ.*

82. TOtam accuſationis machinam fuiſſe opus tumultuarium, quale nullum unquàm in Republica Chriſtiana obſervatum extitit, ex ſequentibus ulteriùs patebit. Nec mirum, Decretum enim Leidenſe ordine tumultuario, & phraſibus militaribus conceptum fuerat die 7. Februarii 1707. prout ex litteris Graſperianis liquet: *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert vvorden.* Id eſt, *ſed præcipuè tormentis bellicis in Auguſtinianum Monachum explodendum eſt.*

83. Decretum hoc à Janſeniſtis conditum, per Janſeniſtas fuiſſe executioni mandandum ex omnibus circumſtantiis eruitur.

84. Cauſa inſtituebatur coram Tribunali Rectoris Univerſitatis, quod omnibus conſentientibus eſt Eccleſiaſticum, ideoque P. Deſirant procedebat juxta formam Juris Canonici. At verò Adverſarii ex una parte ſimulabant, quòd cauſam ùt Eccleſiaſticam haberent, & judicanda eſſet ùt talis; ex altera verò parte inſtruebant eam juxta regulas civiles, eo ſtylo, qui Bruxellis à 20. & quod excurrit, annis, invaluiſſe dicitur.

85. Secretum in eo verſabatur, quòd jam tunc ſcirent cauſam judicandam eſſe Bruxellis per Aſſeſſores ſeu Judices ſæculares, qui juxta ſtylum Bruxellenſem jus dicturi eſſent. Et hoc pacto Pater Deſirant magno ſuo malo relinquebatur in errore, quem cognoverant ſoli Adverſarii, quibus ſolis noti erant libelli ſupplices Bruxellis à Procuratore generali exhibiti, & à D. Advocato Fiſcali *Charliers* ſignati, quorum copiæ ſerò pervenerunt ad manus Patris Deſirant.

86. Scripti fuerunt idiomate Brabantico. Primus libellus incipit: *Aen den Coninck in ſynen Souverainen Raede geordonneert in Brabant. Verthoont den Raedt ende Procureur generael, dat hy belaſt gevveeſt ſynde by brieven vanden*

Digitized by Google

Raede van Stait gecommitteert tot te generaele regeringe deſer Nederlanden, van den 7. deſer, te doen het devoir van ſyn officie over den inhoudt van de Requeſte aldaer van vvegens PATER DE HONDT, *ende den Directeur generael vande Poſterye François Jaupain gepreſenteert &c.* Id eſt, *Regi in ſuo Concilio ſupremo in Brabantia conſtituto, exponit Conſiliarius & Procurator generalis, quòd cùm ipſi per Concilii Statûs ad generale hujus Belgii regimen commiſſi litteras de ſeptima hujus injunctum eſſet, ut ex officio ſuo procederet ſuper tenore libelli ſupplicis ibidem ex parte* PATRIS DE HONDT, *& rei curſoria Præfecti generalis Franciſci Jaupain, oblati* &c. Signatum erat *A. F. Charliers.* Et idem eſt de libello ſecundo.

87. Ex utroque libello tandem diſcimus, quòd Adverſarii eodem tempore Patrem Deſirant, ſub diverſorum actorum nominibus in eadem cauſa aggreſſi fuerint coram tribus Tribunalibus publicis, ut taceantur duo alia ſecretiora, de quibus ſuo loco & tempore. Notandum interim quòd tria & duo faciant quinque.

88. Ex iiſdem libellis cognoſcimus, quòd Adverſarii jam tunc à die 7 Maii 1707. ſciverint cauſam hanc commiſſam Judici ſæculari, prout diſpoſuerant aliquibus diebus antè per ſuum *P. Martinum de Hondt* Presbyterum Oratorii Berulliani, qui primam illic inſtantiam fecerat.

89. Iidem Adverſarii eodem tempore curaverunt Patrem Deſirant coram Univerſitatis Rectore citari, nimirùm die 29. Aprilis 1707. & ſub graviſſimis minis coactus fuit ibidem ad centenas, & centenas interrogationes die 30. Aprilis, necnon die 2. & 4. Maii reſpondere; atque libellus gravaminum fuit ei tantummodò poſteà propoſitus die 9. ejuſdem Maii, quemadmodum ex actis liquet.

90. Ex præfato ſecundo libello, ſignato *A. F. Charliers*, colligitur, quòd non obſtante præfato Decreto die ſeptimâ Maii dato, cauſam de induſtria permiſerint initrui coram Univerſitatis Rectore, idque uſque ad 28. Auguſti, quando ſecundus hic libellus fuit Bruxellis exhibitus, obtentumque novum Decretum à Concilio Brabantiæ, quo tam Rectori, quàm Aſſeſſori ejus interdicebatur, nè ullum in cauſa Decretum, aut Sententiam ferret, ſub pœna nullitatis, & mulctæ mille florenorum, idque donec Concilium Statûs deliberaſſet.

91. Die verò quintâ Octobris ejuſdem anni 1707. emanavit Decretum aliud ex parte dicti Concilii Statûs, quo Rector Univerſitatis authorizabatur ponere duos Aſſeſſores, qui ſimul cum tribus Conſiliariis à Cancellario Brabantiæ deſignandis, interveniente ſupradicto D. Advocato Fiſcali *Charliers*, cauſam & incidentias ejus, poſtquàm coram dicto Rectore Lovanii perinſtructæ fuiſſent, Bruxellis deciderent, an

nomine Rectoris vel alio, id in Decreto non explicabatur.

92. D. Alardus Vandenſteen Dordracenſis, peregrino modo in Rectorem electus, Aſſeſſores deſignaverat DD. Guilielmum Leunckens, & Corſelium; D. Cancellarius verò Conſiliarios Heymbeeck, Chriſtyn & Eelkens.

93. Licèt autem omnia Jura, Canones atque Leges, & illud ipſum Decretum Concilii Statûs expreſſis terminis ordinaſſet, ut tam cauſa principalis, quàm incidentales priùs coram præfato Rectore perinſtruerentur, attamen, nec dictus Rector *Alardus Vandenſteen*, nec dictus Aſſeſſor *Guilielmus Leunckens*, licèt ſæpiùs requiſiti, paſſi fuerunt, ut ullum iota vel apex in cauſis ſcriberetur. Quodque gravius eſt, idem D. Aſſeſſor *Leunckens* ex quinque cauſarum incidentalium nondum perinſtructarum chartis colligavit, quas voluit, atque die 2. Novembris ejuſdem anni 1707. ſeſe Bruxellas contulit, non facto priùs deſuper per partium Procuratores inventario, prout juris & ſtyli, nec monito Patre Deſirant, vel Procuratore ejus.

94. Rumor erat per Univerſitatem, quòd eâdem die 2. Novembris Bruxellis proceſſuri eſſent ad lecturam. P. Deſirant reputabat id pro fabula: fieri enim non poſſe, ut lectura inchoaretur ante inſpectionem inventarii à Procuratoribus hinc inde ſignati. Et quòd ex inſpectione ſcripturarum ſatis videri poſſet, quòd præfatæ cauſæ nondum perinſtructæ fuiſſent. Erravit autem ignorans tunc, quidnam concluſum eſſet. Eâdem enim die ſine inventario prævio, ad lecturam cauſarum non perinſtructarum omninò proceſſum fuit.

95. Nè verò poſſit P. Deſirant culpari, quòd non ſatis vigilaverit, inſeretur hic de verbo ad verbum acta proteſtationis, ſuſpectationis, & appellationis, quam eâdem die ſecundâ Novembris 1707. in debito modo & forma injecit, & eſt tenoris ſequentis.

96. „ Anno 1707., die ſecundâ Novembris, per Procuratorem ſuum „ *van Leeuvve* declarant infraſcripti Eximius *Pater Bernardus Deſirant ſac.* „ *Th. Doctor &c. & R. Pater Franciſcus d'Herbe*, quòd juxta Decretum „ Concilii Statûs de quinta Octobris elapſi, Magnificus D. Rector fuit „ authorizatus *à faire parinſtruire pardevant lui la cauſe mentionnée en icelle* „ *Requête avec les débats en reſultés & à reſulter, & le tout étant en état d'être* „ *jugé, ledit premier Suppliant ſera obligé d'envoier deux Aſſeſſeurs dans cette* „ *Ville, avec les pieces de ladite cauſe.*

97. „ Quæ cauſa cùm ſit declarantium, incœperunt informare Mag- „ nificum D. Alardum Vandenſteen p. t. Rectorem, eique oſtendere, „ quòd ad ponendam cauſam principalem in ſtatu, uterque deberet præ-

„ viè producere quoſdam teſtes, & ſignanter Conſultiſſimum *D. Guilielmum Leunckens* ſuper iis quæ acciderunt, antequàm eſſet in hac cauſa „ Aſſeſſor, & item, quòd reſtaret facienda reprobatio teſtium contra de„ clarantes productorum, ac deinde Concluſio finalis; idque non obſtan„ tibus quibuſdam Decretis ſecluſoriis per dictum *Guilielmum Leunckens*, „ tamquàm Aſſeſſorem contra primum declarantem latis, à quibus fue„ rat tempeſtivè appellatum ad quinque Judices, idque in menſe Augu„ ſti elapſi.

98. „ Cùmque declarantes peterent qualiter præfato Magnifico Do„ mino placeret cauſam & incidentia perinſtruere, remiſit eos ad præfa„ tum *D. Leunckens*, qui reſpondit ſe neſcire mentem Magnifici Domini, „ & uterque etiam dixit, ſeu dici fecit, cuncta differenda propter neceſ„ ſarias diſtributiones præſidii militaris.

99. „ Quoniam verò declarantes cum ſummo ſtupore intelligant præ„ fatos Magnificum Dominum, & D. Guilielmum Leunckens ſecretò „ perſuaſiſſe Miniſtris Regiis, dictam cauſam principalem & incidentia „ eſſe in ſtatu, & idem Magnificus Dominus deſignaverit Aſſeſſorem „ præfatum D. Leunckens (& aliquem alium) qui cum præfatis actis Bru„ xellas vadat, ut judicentur, idque non obſtante, quòd nec declarantes „ ſint moniti, nec per Procuratores partium factum ſit inventarium, „ prout moris & ſtyli, neque ex parte Domini Rectoris vel Aſſeſſoris „ ejus facta ſit ulla diligentia ad cauſam finaliter inſtruendam, non ob„ ſtante quòd præfatum Decretum manifeſtè ſupponat cauſam perin„ ſtruendam eſſe, cum incidentibus natis & naſcendis.

100. „ Hinc declarantes, nè judicentur indefenſi, & ut impediant ſub„ &-obreptionis effectum ex non vera ſuppoſitione, quòd cauſa ſit in ſtatu, „ ſecuturum; ad neceſſarium juris remedium convolantes, contra præfata „ omnia proteſtantur, & appellant ad quinque Judices, vel Commiſſa„ rios Regios, vel utroſque conjunctim, PROUT SUPERIORIBUS „ VIDEBITUR, inſuper recuſantes & ſuſpectantes perſonas præfato„ rum Dominorum Alardi Vandenſteen & Guilielmi Leunckens.

101. „ Pro cauſis utrique communibus allegant gravamina, hactenùs „ deducta tamquàm nova, & noviter detecta. Pro ſpecialibus verò, quòd „ ex una parte nomen Domini *Alardi Vandenſteen* ſæpiùs inveniatur in fa„ moſo Libro Reſolutionum, qui facit partem hujus litis, ita ut dubitari „ non poſſit, quin ipſe D. Alardus Vandenſteen [ſub correctione] ſit ea„ tenùs pars in cauſa; necnon quòd idem D. Alardus Vandenſteen die „ 22. Junii elapſi horâ nonâ matutinâ fuerit productus ùt teſtis contra „ primum declarantem.

Digitized by Google

102. „ Ex altera verò parte, quòd primus declarans in menſe Auguſti
„ elapſi fuerit coactus appellare à quibuſdam Domini *Guilielmi Leunckens*
„ Decretis, ad quinque Judices (coram quibus appellatio inducta & ad-
„ miſſa eſt) cum exhibitione libelli gravaminum per præfata Decreta il-
„ latorum, cum reflexione, quòd qui ſemel gravavit, cenſeatur ſemper
„ gravaturus in eadem cauſa, & quòd dictus Dominus Leunkens ſæpiùs
„ fuerit rogatus dare teſtimonium veritatis de iis quæ acciderunt circa in-
„ terceptionem & retentionem litterarum Domini Graſper; quod teſti-
„ monium ſemper diſtulit, & tandem dare promiſit, & prout patet in a-
„ ctis, adhuc recenter petita eſt dies & hora ad productionem teſtium re-
„ liquorum, inter quos ipſe Dominus *Leunckens*, juxta ſcedam factorum
„ per ſecundum declarantem in Auguſto elapſo exhibitam, & aliam ſce-
„ dam per primum declarantem traditam præfato Magnifico Domino,
„ ita ut neuter poſſit ignorantiam prætexere. Propter quæ & alia ſuo tem-
„ pore deducenda declarantes ſalvâ reverentiâ, præfatam proteſtationem
„ & appellationem iterantes recuſant & ſuſpectant, ùt dictum eſt; deſi-
„ gnantes in quantùm opus ex ſua parte pro Arbitris Dominos quinque
„ Judices, vel Dominos Commiſſarios Regios, vel utroſque conjunctim,
„ PROUT SUPERIORIBUS VIDEBITUR, petentes, ut & ipſi Do-
„ mini ſuſpectati ex ſua quoque parte Arbitros deſignare dignentur, ſpe-
„ cialiter verò proteſtantur declarantes de nullitate conſtitutionis præfati
„ Domini Aſſeſſoris in hac cauſa, omniumque inde ſecutorum, & ſecutu-
„ rorum, & quòd ante omnia juxta præfatum Decretum cauſa principalis
„ debeat perinſtrui, cum incidentibus natis & naſcendis, ut ponantur in
„ ſtatu non violento, ſed naturali, idque non coram perſona recuſata, &
„ ſuſpectata, ſed coram officio Rectoris, ſivè illis, qui eundem in caſi-
„ bus appellationis, recuſationis, vel ſuſpectationis repræſentant, prout
„ juris & ſtyli, conſtituentes præfatum Procuratorem van Leeuwe ad
„ præmiſſa inſinuanda Domino Rectori Magnifico *Alardo Vandenſteen*, &
„ Domino *Guilielmo Leunckens*, & ad facienda, quæ in hac præſenti acta
„ continentur. Actum Lovanii die & anno ùt ſuprà, & ſignatum erat
„ Fr. Bernardus Deſirant, S. Th. D. &c. Fr. Franciſcus d'Herbe.

103. „ Die Mercurii 2. Novembris 1707 van Leeuwe nomine prin-
„ cipalis ſui exhibet ſcedam proteſtationis, appellationis, recuſationis, &
„ ſuſpectationis, dicens & faciens prout in eadem, proteſtans de nullitate
„ omnium actorum & agendorum, prout in ea, ſuſtinens & declarans,
„ ſe ad hanc exhibitionem fieri videndam, curaſſe citari Procuratorem
„ *Quirini* in hanc horam medii tertiæ pomeridianæ per apparitorem *van*
„ *Langendonck*, ùt retulit ſe feciſſe ad perſonam ancillæ in abſentia ipſius

Digitized by Google

„ Procuratoris Quirini, præſente *Neve* Amanuenſi Procuratoris *Quirini*, „ qui ob ejus abſentiam, ſine præjudicio quocumque petit præfatæ ſce- „ dulæ copiam. „

104. Miſitque P. Deſirant eâdem die Bruxellas expreſſum cum mandato ut idem inſtrumentum ibidem D. Aſſeſſori *Leunckens* inſinuaretur per Notarium publicum, prout etiam factum fuit die 3. Novembris.

105. Hiſce non obſtantibus ad lecturam proceſſum eſt. *D. Leunckens* intervênit, & Pater Deſirant die quartâ & quintâ Novembris ejuſdem in omnibus incidentibus condemnatus fuit, cum expenſis, quas univerſim fecerunt aſcendere circiter ad 1000. fl.

106. Lector judica.

§. V.

De præfatis quinque incidentiis, in quo conſtiterint?

107. QUoniam verò res hæ ſunt tam extraordinariæ, ut difficillimam fidem inventuræ ſint apud Poſteros; operæ pretium erit incidentia ſingula per compendium recenſere, ut quid circa modum & formam per Adverſarios peccatum fuerit, clariùs innoteſcat.

108. Suſtinuerat P. Deſirant ſibi juxta Capitulum *qualiter & quando* X. de accuſationibus, *non ſolùm nomina, ſed etiam dicta teſtium communicanda eſſe.* Oſtenderat id eſſe tam naturale, ut etiam Gentiles Romani hoc obſervandum putaverint, prout Interpretes colligunt ex Evangelio, ubi Pilatus Salvatorem interrogat; *Non audis quanta adverſus te dicunt teſtimonia?* Oſtendebat illud ipſum decretum fuiſſe in Edicto anni 1611. per Archiduces Albertum & Iſabellam articulo 10. Et licèt plures Fiſcales inſtitiſſent pro hujus Decreti revocatione; Archiduces tamen illud confirmaſſe pro iis locis, in quibus uſus obtinuerat. Oſtenderat P. Deſirant ex Wameſii Conſilio 106. quòd ille uſus ſemper viguiſſet in Univerſitate Lovanienſi, & propter præcipitantiam ſuprà relatam, non potuit exhibere actam originalem ſignatam à Doctore *Maes*, ex qua limpidiſſimè conſtat, non ſolùm nomina, ſed etiam dicta teſtium communicata fuiſſe in cauſa homicidii perpetrati in perſonam cujuſdam *Logge*. Et quantùm ad ea loca, ubi mos obtinuerat, dicta teſtium non communicari, produxerat famoſum Anſelmum ad hoc edictum, oſtendentem juris & praxis eſſe, ut idipſum præſtetur ſaltem æquivalenter, dando ſcilicet dicta ipſa, ſine diſtinctis teſtium nominibus, ut accuſatus habeat liberum, apertumque campum defenſionis, nè Andabatarum more cogatur velatâ facie, ſeu clauſis oculis pugnare, alioqui *ſi accuſaſſe ſufficiat, quis tutus erit?* præſertim

ubi accederet potentia Fiſci partialis, de quo videri poteſt Carolus l'Oiſeau liv. 1. ch. 14. n. 18. 21. 22. & ſeqq. Accedit quòd Doctor van Eſpen eandem ſententiam teneat in *Jure Eccleſiaſtico Univerſo*, ubi & Anſelmum adducit, laudat & probat.

109. Nihilominùs P. Deſirant in hoc incidenti condemnatus fuit cum expenſis, modo ſuprà expreſſo.

110. Illiusque condemnationis effectus fuit triſtiſſimus, quòd depoſita fuerint gravamina atrociſſima, ſuper quibus Pater Deſirant nec monitus fuit, nec citatus, nec auditus, prout oſtenſum fuit.

111. Et quod eſt gravius, modique & formæ violationem & violentiam in hac parte aggravat, non tantùm P. Deſirant conſequi non potuit dicta teſtium, ſaltem quoad ſubſtantiam, ſed nequidem copiam centenorum, & centenorum interrogatoriorum, ad quæ coactus fuit reſpondere die 30. Aprilis, 2. & 4. Maii, univerſim plus quàm per viginti quatuor horas.

112. Quæ denegatio non tantùm repugnat juri naturali, divino atque humano, ſed etiam Edicto Principis de anno 1570.

113. Longè autem graviſſimum eſt, quòd nequidem potuerit obtinere copiam articulorum ſuper quibus teſtes examinati fuerunt.

114. Et quidem ex actis conſtat, quòd fuerint dictis teſtibus propoſita diverſa interrogatoria, diverſis diebus iterata. Ita enim acti habent ſub die Sabbathi 18. Junii 1707. *Quirini cum D. Advocato Fiſcali producit Reverendum D. Franciſcum Vivien, quem in formâ probante petit audiri, examinari, ac recolligi ſuper ſuis depoſitionibus 7. 12. & 15. Martii noviſſimè reſpectivè datis, necnon* SUPER NOVIS INTERROGATORIIS *ipſi proponendis.* Similia habentur in iiſdem actis ſub eodem die reſpectu Domini *Verniel*; item ſub die prima Julii reſpectu *Claræ Leemans*; item ſub die 5. reſpectu *Petri Tourteau*; necnon ſub die 6. Julii reſpectu *Joannis Geeraerts.*

115. Hoc loco memorandum puto, quòd præterea P. Deſirant numquàm potuerit obtinere diſtinctam articulationem gravaminum ſibi objectorum, ſed ſemper fuerit tentus ſuſpenſus in æquivocatione & generalitate articulorum, prout in præfatorum libello gravaminum vago modo exprimuntur. Et quando ſeu ſcripto, ſeu verbo conquerebatur, tum aliquando ab uno vel altero per modum gratiæ ſpecialis, ad inſtar ænigmatis monebatur, quòd poſſet fieri reflexio ad talem, vel talem circumſtantiam; ita tamen ut non tam ad ſe legitimè defendendum, quàm ad indebitè divinandum remitti videretur. Hæc tot & tanta in una cauſa.

116. Secundum incidens, in quo Pater Deſirant eâdem præcipitantiâ per ſuſpectatum Aſſeſſorem *Loemckens* commiſſâ damnatus fuit, reſpicit appel-

Digitized by Google

appellationem, quam injecerat à Decretis dicti Aſſeſſoris ad quinque Judices Lovanienſes; fuitque hoc incidens pariter deciſum, licèt nec coram dictis quinque Judicibus, nec coram novis Aſſeſſoribus fuiſſet perinſtructum, nec deſuper inventarium factum.

117. Tertium incidens, quoad modum & formam, ortum duxerat ex confeſſione Adverſariorum, qui in actis ſub die 7. Julii 1707. per organum Procuratoris ſui *Quirini* de teſtibus à ſe productis dixerant: *Attento quòd* TESTES ALIQUI IN DICTIS SUIS DISCREPENT, ET DISCONVENIANT, *prout etiam maximè diſcordant cum dictis & allegatis Reorum, hinc petit, ut Magnificentia veſtra per Decretum ſuum mandare dignetur, ut D. Actor* EOSDEM TESTES TAM INTER SE, *quàm cum Reis faciat* CONFRONTARI.

118. Pro eo enim quòd Adverſarii teſtes à ſolo actore productos, ſibi mutuò contradicentes rejeciſſent, juxta communem Doctorum ſententiam, quòd *quando unus teſtium contradicit alteri, tunc invicem ſe elidunt, & neutri creditur*. Joan. Petr. Surd. Deciſ. 326. n. 96. Alex. in conſ. 20. col. 2. vol. A. poſt Joan. Andr. & alios in cap. *in noſtra* de teſtibus. Latè Rol. in conſ. 93. n. 11. vol. 4.

119. Econtrà ſuſtinebant eos debere *confrontari inter ſe*, ut ſcilicet reducerentur ad concordiam; non advertentes, quòd hæc confrontatio quidem juxta Damhouderum interdum practicetur inter teſtem ab actore productum, & teſtem productum ab opponente, quando agitur de eadem circumſtantia facti: minimè verò inter teſtes ejuſdem partis, dum contradicendo ſibi, contradicunt etiam parti quæ illos produxit, prout optimè obſervat dictus Joan. Petrus Surdus Deciſ. 326. n. 97. in verbis: *Imò licèt aliquando licita ſit concordia inter teſtes contrarios, vel diſcordes, tamen quando teſtis contradicit parti, tunc nulli concordia locus eſt.* Innoc. *qui hoc dicit ſummè notandum* in cap. *cùm contingat* in princ. de jurejurando Barth. in l. 25. *creditum* num. 2. ff. *ſi certum* Pet. ubi eum ſequuntur Caſt. & Fulgo & dicit Jaſ. n. 11. *quòd hoc ſolet commendari in practica.* Dec. num. 16. Gravett. conſil. 171. n. 10.

120. Quod confirmatur ex praxi Danielis, qui Suſannæ innocentiam ſatis habuit probatam, ex teſtium diſcordantia, dum unus ſub prino, alter ſub ſcino facinus admiſſum fuiſſe mentitus eſt. Nec quidquam fuiſſet facilius, quàm illos per confrontationem in ſceleratam concordiam trahere, dum ſecundus audiens, quòd primus dixiſſet ſub prino, nè ſibi & ſocio per diſcordiam noceret, affirmaſſet idem, & ſe per inadvertentiam aut lapſum memoriæ, ſcinum nominaſſe, novâ perfidiâ depoſuiſſet. Idem, quod abſit, potuiſſet præſtitiſſe Pilatus cum duobus noviſſimis teſtibus,

Digitized by Google

quorum fidem Spiritus Sanctus per Evangeliſtam Marcum pleniſſimè reprobat, quia *non erant convenientia teſtimonia.*

121. Similiter P. Deſirant contendebat non eſſe permittendam confrontationem inter ſe, & *Petrum Nicolaum Tourteau*, quia hic per confeſſas falſitates, ſacrilegia & perjurium, ita ſe reddiderat ad teſtificandum inhabilem, ut poſteriora dicta ejus non ſolùm nihil probarent, ſed neque ex aliis indiciis ſuppleri poſſent, prout doctiſſimè oſtendit Joan. Petrus Surd. Dec. 135. n. 8. *Redditur enim in totum inhabilis*, inquit, *& repellitur etiam, quando veritas aliter haberi non poteſt.* Menoch. conſ. 43. num. 37. *Atque ubi ejus dicto concurrerent aliqua conjectura, illa tamen non ſupplerent tot defectus, quibus ille laborat*, inquit Surdus ibidem.

122. Super hac igitur confrontatione facienda natum eſt incidens tertium, in quo P. Deſirant eodem modo quo ſuprà, condemnatus fuit.

123. Fuit etiam eodem modo condemnatus in incidenti quarto, de ſuſpectatione, quam P. Deſirant injecerat contra D. Henricum Malcorps, qui ſimul agebat Procuratorem, Advocatum, Fiſcalem, & Commiſſarium. In hunc finem objecerat varia gravamina, tum intrinſeca, tum extrinſeca; nimirùm inimicitiam, intereſſe privatum, affectionem in cauſam, denique defectum integritatis ad tale officium requiſitæ, exhibendo articulos, quos in hunc finem probandos ſuſceperat. Nec potuerat obtinere communicationem reſponſionis, quam dictus Malcorps ad hæc objecta fecerat, prout patet ex actis, quæ hæſerunt in ſequenti inſtantia. *Magnifico D. Rectori exponit reverenter Ex. P. Deſirant, quòd D. Henricus Malcorps ſuſpectatus poſt varias ſeptimanas tergiverſans, & continuas moras trahens, tandem in cauſa ſuſpectationis & recuſationis exhibuerit ſcedam clauſam. Cùm verò ſit contra omnem ſtylum & praxim, ut cauſa quæcumque ponatur in ſtatu per unicum reſponſum Reſcribentis; hinc Exponens ad Magnificentiam veſtram convertitur, ſupplicans ut ſibi præfatum ſcriptum aperiendum communicari facere dignetur ad replicandum, aut aliàs prout juris.* Nihil verò obtineri potuit.

124. Quintum incidens reſpiciebat proviſionale Decretum Patri Deſirant primâ die Pentecoſtes per apparitorem communicatum, quo, ſub prætextu citationis perſonalis, ſuſpenſus fuerat à functionibus Academicis: in quo etiam eodem modo condemnatus fuit.

125. Modeſtia vetat hîc allegare aliud, quàm quòd ex dictis ſatis pateat, quòd P. Deſirant ſpoliatus fuerit legitimis defenſionibus, quoad modum & formam; & quòd præter rationes particulares, quæ ſingulum incidens reſpiciunt, inveniatur hæc communis, nullam ſcilicet cauſam fuiſſe perinſtructam, nullum per Procuratores partium præviè factum

inventarium, ut taceatur, quòd irregularitas in incidentibus commiſſa, influxerit in cauſam principalem, prout per ſe patet, & eventus monſtravit.

§. VII.

Quòd præſens condemnatio decreta fuerit ante præſcita delicta & quòd idem P. Deſirant *inauditus & indefenſus, fuerit ſpoliatus facultatibus exercendi functiones Academicas, idq; ad ſimplex duorum Advocatorum dictum, juri divino atque humano contrarium.*

126. CONditio præſentis temporis Romano-Catholicis tam eſt infeſta, ut multa ſint quæ prohibeant apertiùs loqui. Confidimus tamen fore ut Lector benevolus ex iis quæ cautè & moderatè expreſſa ſunt, pro ſua prudentia colligat, quænam ſint ea quæ jubentur tacere, nè dum innocentiam vindicamus, videamur velle plagas infligere illis qui vulneraverunt, ſemperque ad nova vulnera parati ſunt.

127. Ex dictis, inquam, ſatis patet, quòd præſens Patris Deſirant condemnatio decreta fuerit independenter à prævifis demeritis, verba Leidenſis Decreti de 7. Februarii 1707. ſunt: *Maer byſonderlyck moet op den-Auguſtyner Monick gecanonneert vvorden*, id eſt, *at præcipue in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt.*

128. Fatalis hujus Decreti cauſam fuiſſe, non quæ Adverſarii in præſenti lite finxerunt, ſed quæ jam pridem in iratis, & vindictæ cupidis pectoribus geſtaverant, idque in eum finem, ut pelli facerent, quem novitiis ſuis placitis maximè adverſantem credebant, ſatis oſtendimus.

129. Non quòd P. Deſirant exiſtimet ſe plus reliquis poſſe, aut aliquo ex Collegis ſuis doctiorem, vel aptiorem eſſe; minimè gentium. Hoc dolet, de hoc lamentatur, quòd Adverſarii ipſum in illius perniciem malè à reliquis diſtinxerint tamquàm plus nocere valentem, & idcircò præ aliis invadendum, quaſi expediret, *ut unus .... & non tota gens pereat.* Joan. 11. v. 50.

130. Quòd Adverſarii infelicem hanc de Patre Deſirant ideam formaverint, abundè conſtat ex nupero Licentiati Joannis Opſtraet libello, ASSERTIO OPUSCULI, *cui titulus, de quæſtione facti Janſenii* &c. ubi pag. VIII. de Patre Deſirant ita loquitur: *Authoritate Deſirantii, tanti viri, Doctoris Theologi, & in Facultate Theologica Lovanienſi, cujus os & ingenium erat, nuper Regentis, quin & non ita pridem ab Epiſcopis Belgii ad Sanctam Se-*

dem contra Belgas Theologos Legati ſeductum te diceres? non magis innoxium faceret authoritas Deſirantii, quàm Deſirantium innoxium fecit authoritas hominis viliſſimi, in crimine ſocii, cujus aſtutiâ tantus Doctor deceptum ſeſe fingebat. Quid ergo? Metuo vehementer, nè qui Deſirantium ſecutus es calumniantem, exulantem etiam ſequi Sententiâ Regiâ & Academicâ compelleretis.

131. Hæc quidem expreſſio, ſi litteram ſpectes, laudem aliquam videbitur & encomium reſonare; ſi verò intentionem; manifeſtè eò tendit ut glorientur ſe percuſſiſſe illum, quem reputabant præcipuum; quamquàm P. Deſirant libenter agnoſcat, Adverſariis accidiſſe, quod Mutio Scevolæ, qui putans ferire Regem Porſenam, in Porſenæ Miniſtrum dextram errantem extendit.

132. Si Franciſco Martin credimus, is qui Adverſariis maximè nocuerat, is qui de rebus Janſenianis plus reliquis informatus erat, is cujus virtus, poteſtas atque ingenium magis omnibus formidanda fuerant, is erat *Franciſcus Martin*, prout ipſemet de ſeipſo pluribus teſtatus fuit. Quis enimverò eſſet in orbe terrarum prudentior, quis ſapientior, ſi chariſmatibus dotatus foret, quæ de ſe dictus Franciſcus prædicat?

133. Res autem non ſunt geſtæ ſecundùm arbitrium viri, qui *pollens memoriâ expectat judicium*; ſed juxta Decretum quod Adverſarii ex alia opinione conceperant. *Franciſcus Martin* pro illo tempore in gratiam rediit, & pro tanto beneficio, ſpontanei teſtimonii [de quo ſuprà §. 3.] tributum præſtitit, & mediante hoc homagio in clientelam aſſumptus fuit.

134. In Patrem Deſirant autem tota ira deferbuit. *Tolle, tolle*, dixerunt. *Date mihi materiam*, reſpondit, quem nominare non audeo. Materia fabricata fuit, acciditque ferè quod S. Athanaſius refert: *Cætera quæ facta ſunt, quamquàm fortaſſè incredibilia, & tam tetra, ut ſenſum audientis obſtupefaciant, tamen vel eò narranda exiſtimo, ut tua Chriſtianiſſima cura & pietas in Deum certò intelligat criminationes mei calumniaſque non alio fine inſtitutas eſſe, quàm ut nobis ab Eccleſia expulſis, ſuam hæreſim in Eccleſias immitterent.* Apologia 1. ad Conſtantium Imp. pag. 161.

135. Quantùm verò Adverſarii in ea quam de Patris Deſirant capacitate formaſſe viſi ſunt opinione erraverint, meliores, ſpero, effectus docebunt, aliis doctioribus atque prudentioribus contra illos, pro bono publico executuris, quod ipſe non potuerat: quantùmque, ut Patrem Deſirant ex illa opinione perderent, à juſtitiæ & charitatis tramite receſſerint, etiam demonſtrabitur ex modo & forma, quibus ad inanem duorum Advocatorum relationem, eundem inauditum, atque indefenſum, facultatibus exercendi functiones Academicas ſpoliaverunt.

Digitized by Google

136. Itaque Decretum perdendi Patrem Deſirant Lugduni Batavorum formatum fuerat die 7. Februarii 1707. poſtquàm ſcilicet Adverſariis innotuerat quòd Petrus Nicolaus Tourteau ad Patrem Deſirant tulerat famoſam Epiſtolam de 10. Januarii, Librumque Reſolutionum, & alia de quibus ſuprà. Idem Petrus die 16. ejuſdem Februarii varias Henrici Graiper litteras cum aliis incluſis detexerat, aperuerat, eidemque Patri quaſi ex ordinatione Rectoris oſtenderat, & in una ex dictis incluſis monſtraverat præfatum Leidenſe Decretum, *Maer byſonderlyck.*

137. Conſilia protracta fuerunt uſque ad 20. circiter menſis Aprilis ſubſequentis, quando D. Aſſeſſor Leunckens ſimul cum D. Henrico Malcorps Bruxellas profecti ſunt, ut ibidem Advocatos conſulerent, quaſi in Univerſitate Lovanienſi, ubi Advocati prima ſua principia hauriunt, non fuiſſent ſatis periti, qui meliùs, prudentiùſque fuiſſent conſulti. Ut enim taceam quòd ad utriuſque Juris Doctores ex omnibus Europæ Regionibus referri ſoleant, quæ alibi difficillima cenſentur, & quòd juxta Conſuetudines Patriæ, ex eorumdem gremio vocari debeant ad ſolemnes reviſiones, quæ nonniſi in cauſis maximis intentantur; at inſuper hoc memorandum, quòd divinâ opitulante gratiâ, Lovanienſis Univerſitas hodiè tam copioſis & tam eruditis Juris utriuſque Doctoribus ornata ſit, quàm extiterint à ſæculo, ut proinde non ex neceſſitate, vel ulla rationabili convenientia, ſed ex nimiùm ſuſpectis intentionibus talis recurſus ad tales, per tales inſtitutus fuerit.

138. Erat ſcilicet cauſa Doctoris van Eſpen, cujus ingenium, moreſque præclariſſimis viris nimis perſpecta erant, præſertim ex quo per avaras immodeſtias ſuas, homo nullius ſtricti Collegii, utrumque hoc Collegium longis multiplicibuſque vexis, ac litibus, quamquàm fruſtrà fatigaverat.

139. Utinam equidem præfatus D. Leunckens dignatus fuiſſet expendere, ſe non Judicem pedaneum, ſed Juris utriuſque Licentiatum eſſe, ſeque non gregarii Capitis, ſed Per-Illuſtris Inclytæ Univerſitatis Rectoris Aſſeſſorem eſſe, quem, quod abundabat domi, non decebat peregrè quærere, cum tantæ Academiæ dedecore, ut præcipua illius Capita, duorum communium Advocatorum arbitrio ſtare vel cadere deberent.

140. Faciant iſta Magiſtratus Pagani & Ruſticani, non Academici. Atque dum iſta Pagani & Ruſticani facient, ſaltem Advocati conſulti in ſua ſuggeſtione quam vulgò *adviſamentum* vocant, cauſas ſeu motiva exprimant, propter quæ cenſeant ſic vel ſic judicandum eſſe, ut conſtet nec cæco impetu, nec perdito mentis affectu, id eſt, nec per imperitiam, nec per malitiam ita judicatum fuiſſe.

Digitized by Google

141. En autem præfatorum duorum Advocatorum verba, ab Adverſariis cuidam ſcripturæ annexa : *Viſo libello ſupplice præſentato Magnifico D. Rectori ex parte D. Joannis van Cutſem, J. U. L. Academiæ Lovanienſis Promotoris nomine officii actoris & inquirentis, necnon viſis informationibus captis ex parte dicti officii circa famoſam Epiſtolam de* 10. *Januarii noviſſimè, & alia inde ſecuta. Infraſcripti Advocati Concilii Brabantiæ omnibus maturè perpenſis, ſunt opinionis quòd Magnificus D. Rector poſſet ad onus Eximii Patris Deſirant decernere Decretum ſequeſtrationis perſonæ dicti Eximii Patris, & ejus effectuum ac ſcripturarum ſub debito inventario; ita deliberatum Bruxellis* 20. *Aprilis* 1707. *Signatum* de la Chambre & Bauwens.

142. Nihil equidem excogitari poſſet magis frigidum, nihil magis deploratum. *Sunt opinionis quòd Magnificus Dominus poſſet*, inquiunt. Et cur poſſet? Hoc hæret in calamo. Ita ſcilicet de viri in honore poſiti ſalute, & fortuna luditur. Nondum fuerat P. Deſirant auditus, & condemnatur. Illa enim Advocatorum cunctatio Bruxellis ſcribillata fuerat die 20. Aprilis; prima verò citatio perſonalis tantummodò decreta Lovanii die 29. ejuſdem.

143. Sed nempè Advocati fuerunt *opinionis*, & ex opinione Advocatorum, quæ de jure & ex natura, quæ omni opinioni intrinſeca eſt, formidinem de oppoſito annexam habet, Licentiatus Leunckens formavit judicium certum, & ad diffamantem citationem perſonalem viâ facti proceſſit : Plus fecit, quaſi citationi perſonali ineſſet virtualis ſuſpenſio ab omnibus officii quod citatus gerit, exercitiis, ipſum pariter viâ facti à functionibus Academicis ſuſpendit, & ſuſpenſionis tabulæ inſinuatæ fuerunt primâ die Pentecoſtes.

144. Atque ita inſtante præfato *D. Henrico Malcorps*, P. Deſirant omnibus ſubſiſtendi mediis à *D. Leunckens* ſpoliatus fuit, eodem tempore quo idem *D. Leunckens* ad inſtantiam ejuſdem *Malcorps* decreverat ut *ſuus Petrus Nicolaus Tourteau* apud Oratorios pinguiter aleretur, idque expenſis Univerſitatis, quæ cum effectu præſtitæ fuerunt ad ratam 319. florenorum annuè. Hæc geſta ſcilicet impartialium.

145. Atque hæc omnia ſuper debiliſſimo fundamento opinionis duorum Advocatorum, qui Patrem Deſirant nec viderant, nec audiverant, nec ullam opinionis ſuæ cauſam, ſeu rationem ediderant, facta ſunt. Quidnam, & de quo hic Pater Deſirant primùm conqueratur? An de Advocatis? Illi reſpondent, nos tantummodò diximus quòd eſſemus iſtius *opinionis*. An de D. Licentiato *Leunckens*? Is reſpondit hoc fuiſſe judicium Advocatorum. Hoc eſt, dabant ei alapas, & rogabant, *prophetiza, quis te percuſſit?*

Digitized by Google

146. Triſte artificium! ſub prætextu citationis perſonalis inauditum perdere, damnare indefenſum, & nè locum quidem & tempus dare, ut innocens ab illis qui fragilem illam opinionem mox in judicium formatam tulerant, audiatur; & hoc pacto omnia jura, tam divina quàm humana, de judicii & forma ſaluberrimè conſtituta, uno lethali ictu peſſumdare, dejicere, difformare.

147. Felices Romani, quorum Tribunalia, licèt ab imperitis iſtis & malevolis paſſim proſcindantur, ſimilibus exceſſibus, concuſſionibus, fraudibus atque dolis carere noſcuntur. Illic enim, præſertim in ſacro Auditorio Rotæ, poſtquàm partes debitè informaverunt in voce, jubentur ſuper facto ſcribere, & eodem tempore mutua ſibi ſcripta communicare, & poſteà ſuper jure, factâ ſimiliter utriuſque motivi communicatione, nè cavillationibus, captionibus, & ejuſmodi artificiis locus detur; & in criminalibus etiam ſic communicantur dicta teſtium [in ſolo caſu hæreſis nomina tacentur] ut Reus habeat plenum campum juſtitiæ, non enim illic Judices affectu ducuntur, ſed veritatis amore; nec Fiſcorum malevolentiæ indulgetur, ut ſub ementito prætextu curandi ne teſtes à Reo patiantur, teſtium dicta ſic abſcondantur, ut innocens cæco modo pugnans, neceſſariis defenſionis mediis deſtituatur.

148. Quàm enim ſubornati fictique ſint ejuſmodi prætextus, ex præſenti cauſa apparet. Adverſarii contendebant, non eſſe communicanda dicta teſtium, nè hi exponerentur imaginariæ vindictæ. Poſt Sententiam verò latam, impreſſerunt Concluſionem finalem, & teſtium dicta, atque nomina typis dederunt, nihil de inani timore cogitantes, ubi, ſi umquàm, maximè timendum fuiſſet. Sic deluditur juſtitia humana. Et hi deluſores audent intemerata Romanorum judicia proſcindere, ubi inſuper Judices non dubitant, ſcriptas utrique parti deciſionis ſuæ rationes dare, & hoc modo etiam appellationis portam aperire, ut nihil juſtitiæ ordini ſubtrahatur. Romana, inquam, judicia proſcindunt imperiti & malevoli, qui ſimiles judicati ſui rationes ſcripto dare propter imperitiam non poſſent, & propter malitiam non auderent.

149. Duo noſtri Advocati, nihil aliud dixerunt, quàm *viſis informationibus*, & *viſo libello*. Divinate ſcilicet reliqua. Judicium juſtum & injuſtum, peritum & imperitum effertur eodem tenore, ut tantundem inexperti & maligni valeant, quantùm experti & benè ſenſati.

150. De informationibus, in Concluſione finali fusè expreſſis, egimus ſatis. De libello paucis repetendum: quòd nihil ſit magis mirandum quàm quòd *D. Leunckens*, qui in conſcientia ſua noverat, quòd P. Deſirant ei ad ſe diligentiſſimè & humaniſſimè vocato cuncta die 23. & 25. Februa-

rii manifeſtaverat, nihilominùs toleraverit ſequentia in præfato libello verba: *Negotium tale perrexit agere in tenebris, Magnificum Dominum qui omnium Academicorum Superior eſt, de nullo admonuit.*

151. Et item quòd *Petrum Nicolaum Tourteau* ſibi aliundè etiam, prout nunc conſtat, nimis notum, ibidem veluti teſtem omni exceptione majorem deſcribi, & approbari paſſus fuerit.

152. Scio quòd pro ſua prudentia apud varios exaggeraverit prætenſam Petri in præpoſtera ſua depoſitione conſtantiam, totis decem menſibus, quibus in hunc finem pinguiter alebatur, probatam.

153. Sed ad hoc reſponſum eſt ad nauſeam, quòd prætenſa Petri converſio, ùt ſummum merè externa fuerit juxta menſuram & proportionem convertentium, quorum opera plerumque merè externa eſſe, tum ipſi, tum adhærentes & fautores eorum in quocumque ſtatu verſantur, factis demonſtrant.

154. Juvat breviter noviſſimas quaſdam Petri lucubrationes retexere. Poſtquàm è carcere liberatus, & azylo, quod Patri Deſirant negatum extitit, reſtitutus fuiſſet, ſubduxit ſe, & Leodium conceſſit, ibidem hoſpitatus ad inſigne Oppidi Maſecani, egregia illic converſionis ſigna dedit, externam modeſtiam, affectatam loquendi agendique methodum, uſque ad exhibitionem colli ſemitorti pietatem, & integritatem reſpirantis. Jubebat ſe vocari Nicolaum Bouſſon, prout ex certa relatione audivimus. Sobriè vivebat, ita ut nonniſi quatuordecim ſolidi Regii ſolvendi reſtarent, pro quibus peram in pignus reliquit, quando Leodio Lovanium rediit, amicorum operâ militiæ adſcriptus, ut tutò cum uxore degeret.

155. Lovanii autem exiſtens larvatus Nicolaus Bouſſon ad Leodienſem hoſpitem nomine *Simon*, pro recuperanda pera ſcripſit, & in ſuppoſititiis pietatibus perſeverans, Patrem, Matremque extinctos finxit, Tutoremque ſuum familiæ bona divendidiſſe, & abſcurriſſe cum pretio, ita ut ad extrema redactus per opem imaginarii Fratris ſui ex Ordine S. Franciſci, Franciſcanorum Ordinem ſollicitare coactus fuerit, ad quem ſit admiſſus gratis, Habitum ſuſcepturus die 19. menſis Novembris 1708. Ita tamen ut ad hæc, perâ illâ ſibi opus ſit, quam per modum eleëmoſynæ repetit, Sacra offerens per fictitium illum Fratrem ſuum legenda, atque per Deum jurat iſta ſic legenda fore, rogatque inſcriptionem fieri ad *Nicolaum Tourteau* Procuratorem Lovanii, qui eſt reverà illius Pater, quem in Epiſtola mortuum fingit, prout pleniùs in eadem, quæ omiſſis aliis, paragrapho ſequenti exhibetur. Hæc ejus conſtantia, hæc illa converſio, hæc emendatio.

§. VIII. *Epi-*

Digitized by Google

§. VIII.

Epiſtola Petri Nicolai Tourteau *Lovanii die 7. Novembris* 1708. *ſub ficto nomine* N. Bouſſon *Leodium, charactere ſuo ordinario ſcripta.*

INSCRIPTIO.

A Monſieur
Monſr. Simon *heſpes in de Stadt van Maſeyck achter het Palleys.*
Tot Luyck.

Jeſus, Maria, Franciſcus.

Beminden vriendt.

N*Aer eene hertelycke groeteniſſe: Ick hope als dat V. E. noch wel te pas ſyt, ick hebbe aen V. E. leſtmael geſchreven dat vvaert ſaecken dat den voerman ſoo ondiſcreet niet en hadde gevveeſt dat dien perſoon aen vvie ick commiſſie hadde gegeven, aen V. E. en aen den Meeſter voerman hadde doen volle ſatisfactie gegeven hebben; ick hadde aen V. E. oock geſchreven dat V. E. noch vvel ſoude moeten 5. vveken gevvacht hebben, eer dat mynen boecke ſack ſoude connen geloſt vvorden, maer ten kan niet oft ten ſal niet connen vvant onſen Momboir die maer eenen ſiel is, die is bankroet geſpelt: Wy hadden noch vvat goedt en hy hadde dat vercoght met algemeyn conſent ende permiſſie: hy is met de penninghen gaen loopen: het is voorvvaer eene heele droeve ſaecke vvy en vveten niet vvat doen ofte aen vanghen: en daer ſyn noch ſoo veele cleyne ſchaepen van kinderen: Want myne moeder is oock al doodt, en vvy en hadden niet veele, vvant vvaert ſaecken dat vvy veele gehadt hadden, ick en ſoude naer Luyck*

Domino
Domino *Simon* hoſpiti in Oppido Maſecano retro Palatium.
Leodii.

Jeſus, Maria, Franciſcus.

Dilecte amice.

COrdiali ſalutatione præviâ: ſpero quòd adhuc benè valeas: nuper tibi ſcripſi quòd ſi Auriga non fuiſſet tam indiſcretus, illa perſona cui commiſſionem dederam, tibi, & Magiſtro Aurigæ plenam ſatisfactionem dari feciſſet: ſcripſeram tibi etiam, quòd ad minùs quinque ſeptimanis expectare debuiſſes, antequàm pera mea potuiſſet relaxari; ſed non poteſt aut non poterit, quia Tutor noſter qui eſt tantùm unus nequam, ceſſit foro Habebamus adhuc aliqua bona, illaque vendiderat de communi conſenſu & permiſſione: cum nummis abſcurrit. Eſt profectò res triſtis. Neſcimus quid agere aut aggredi. Et ſunt adhuc tam multæ innocentes proles: nam mater mea etiam obiit, & non habebamus multa, quia ſi multa habuiſſe-

Digitized by Google

mus, non debuiſſem venire Leodium ad ſerviendum uni Domino. Dixeram tibi etiam quòd haberem Fratrem qui eſſet Minorita. Per ipſius & aliquorum aliorum bonorum Patrum interceſſionem receptus ſum, & 19. hujus menſis intro etiam Monaſterium Patrum Minoritarum. Debent me gratis recipere, quia impoſſibile eſt ut aliquid proferam; & pro cappis ſivè habitibus, ſunt aliqui boni homines, qui aliquid contribuent ad eoſdem ſolvendos, ita ut conſiderare poſſis miſerum noſtrum ſtatum. Habes peram meam pro pignore, & in eadem ſunt aliqui libri quibus neceſſariò in Monaſterio indigebo, ſuntque etiam duo qui mei non ſunt, & illi ad quos ſpectant, eos jam ſibi reſtitui volunt: ita ut modò ſim in plena confuſione, ſicque melius conſilium non occurrit, quàm tibi humillimè ſupplicare, ut mihi peram meam mittere placeat. Cogita quòd facturus ſis ſummum opus miſericordiæ, quòdque per hoc tibi cœlum aperias: verum eſt quòd pro te foret magna eleëmoſyna, ſpero támen, quòd ideo impedire non velles vocationem meam, & eſſe occaſio, quòd propterea deberem manere extra Monaſterium, partim defectu librorum, partim quod deberem facere falſum juramentum, quia

niet moeten comen hebben om te dienen eenen heer. Ick hadde aen V. E. oock geſeydt dat ick eenen Broeder hadde die Minder Broeder vvas: door ſyne voorſpraecke ende van eenige andere goede Paters ben ick ontfanghen, ende den 19. van deſe maendt gaen ick in het Clooſter der Paters Minder Broeders oock: ſy moeten my voor niet aennemen, vvant het is onmogelyck dat ick iedt ſoude connen voor den dagh brenghen: en voor de cappen ofte de habyten daer ſyn eenige goede menſchen die my om godtsvville iedt ſullen geven om de ſelve te connen betaelen, ſoo dat V. E. vvel cont conſidereren onſen ſlechten ſtaet: V. E. hebt mynen boeckeſaeck in pandt, en daer ſyn in de ſelve eenighe boecken die ick int' Clooſter noodt ſaeckelyck van doen ſal hebben, en daer ſyn oock tvvee die my niet toebehooren, en aen vvie dat ſy toebehooren die vvillen de ſelve nu vveer hebben: ſoo dat ick my in volle confuſie ben: ſoo en vveete ick geenen beteren raedt als V. E. met eene diepe oodtmoedigheyt te comen bidden van te gelieven mynen boeckſack af te ſenden: peyſt dat ghy ſult doen een aldergrootſte vverck van bermhertigheyt, en dat gy V. E. daer door comt den hemel te openen: het is vvel vvaer dat het eene groote aelmoeſſe ſoude vveſen voor V. E. maer ick en hope niet dat gy oock ſoudt vvillen daer voor mynen roepe beletten ende de oorſaecke vveſen dat ick daer voor uyt het Clooſter ſoude moeten blyven eensdeels by faute van boecken, en eensdeels dat ick ſoude moeten doen eenen falſchen eedt, vvant ſoo haeſt als vvy in het Clooſter komen, ſoo moet men ſvveiren in handen van ſynen Guardiaen dat men geene ſchulden en heeft: en om oock

te toonen dat vvy aen V. E. ſoecken oock op d'eene maniere ofte d'andere maniere ſatisfactie te geven: ſoo heeft mynen Broeder die al Prieſter is, van V. E. doen vraeghen voor vvie dat V. E. begeirt ziel miſſen gedaen te hebben: belieft het maer op een pampierken ofte oock beter in een briefken te ſchryven: hy ſalder 14. doen ſonder uytſtel: en hy ſal V. E. altyt vveſen indaghtigh in ſyne gebeden, gelyck ick oock ſal doende vveſen: ende ick neme op my dat ſy ſullen ſonder uytſtel gedaen vvorden: en ick en vvil noynt een rechtvveerdigh oordeel ofte eenen godt voor my hebben iſt dat ſy niet gedaen vvorden: en tot myne verbinteniſſe van te doen ſoo hebbe ick eenen eedt geſvvoren: vvaert ſaecken dat de fortune ons nu eensdeels door de doodt van myne ouders, en eensdeels door dien fiel die onſen Momboir vvas niet tegen gegaen en hadde: men ſoude niet moeten doen het gene dat men nu doet: ick betrouvve my als dat V. E. mynen boeckſaeck ſult affſenden: en vvaer dat ick V. E. ſal connen dienſt vveer geven ick en ſal noynt manqueren: en ick belove aen V. E. dat ick V. E. ſal altyt indaghtigh vveſen in myne gebeden: en ick recommandere my oock in V. E. gebeden op dat ick magh volherden: en ick hope dat V. E. my noch eens in myn habyt ſult ſien: ick ſoude geirne hebben dat V. E. my eene briefken ſoudt ſchryven en het in den boeckenſack doen: en daer is nu een andere ingeſlotene opgeſchrift het gene dat ghy ſult gelieven op den boeckſaeck te naeyen, en het andere afdoen: ick verſoecke aan V. E. dat ghy gelieft aen den meeſter Voerman myne groe-

ſtatim ut intramus Monaſterium, debemus præſtare juramentum in manibus Guardiani quòd non habeamus debita. Et ut oſtendamus quòd uno vel alio modo tibi ſatisfacere velimus, Frater meus, qui eſt Sacerdos, à te rogari juſſit pro quo placeat ut celebrentur Sacra Defunctorum. Placeat tantùm annotare in chartula, aut meliùs ſcribere in parva Epiſtola. Celebrabit 14. ſine dilatione; tuique in precibus ſuis ſemper erit memor, prout etiam ego faciam: & in me ſumo, quòd ſine dilatione legentur, neque juſtum judicium, aut Deum mihi eſſe volo, ſi non legantur: ad autem me obligandum quòd legentur, præſtiti juramentum: ſi fortuna partim per mortem parentum meorum, partim per iſtum nequam, qui tutor noſter erat, nobis non fuiſſet contraria, facere non deberemus quod jam facimus. Confido quòd peram meam tranſmittes, & ubicumque potero rependere obſequium, numquàm deero. Promittoque tibi quòd tui ſemper memor ero in precibus meis, ac commendo me pariter in precibus tuis ut perſeverare poſſim; & ſpero fore, ut me aliquando videas in habitu meo. Optarem ut mihi ſcriberes parvam Epiſtolam, eamque peræ imponeres, & jam alia ſuperſcriptio incluſa eſt, quam peræ aſſuere placebit, aliamque abſtrahere. Re-

Digitized by Google

quiro à te ut ex me ſalutare digneris magiſtrum Aurigam, illumque rogare ut tibi dicere placeat, quot Sacra celebrari cupiat, & ad cujus intentionem, quòdque Frater meus illa leget ſine dilatione: placeat illi indicare miſerum meum ſtatum. Spero quòd non ſit futurus tam inhumanus, & quòd tu requiſitioni meæ ſatisfacies. Eſto certus quòd Sacra legentur. Hoſpitor apud aliquem ex amicis meis donec intrem Monaſterium. Placeat peram meam mittere cum ſecunda Aurigæ vectura in proximum diem Mercurii. Confido in miſericordia tua, multùmque doleo, quòd res noſtræ ita ſucceſſerint. Placeat ex me ſalutare uxorem tuam & ancillam, maneoque cum profunda humilitate

Domine *Simon*, tuus humillimus ſervus, *ſignatum erat* N. Bousson.

In margine habebatur, Lovanii hâc 7. Novembris 1708.

Et paulò infrà: Placeat exactè ſcribere pro quorum animabus velis Sacra legi, & etiam voluntatem Aurigæ, hoc Frater meus mihi injunxit.

teniſſe te doen en hem bidden dat hy aen V. E. oock geliefte te ſegghen hoe veele ſielemiſſen dat hy vvilt geleſen hebben, en tot vviens intentie, dat mynen Broeder oock ſe ſal doen ſonder uytſtel: gy ſult hem gelieven mynen droeven ſtaet te ſegghen: en ick hope dat hy oock ſoo onbeleeft niet en ſal vveſen: ick hope als dat ghy myne verſoecken ſult doen: ſyt verſekert dat de miſſen ſullen geſchieden: ick ben t'huys by eene van myne vrienden tot dat ick in 'tClooſter gaen. V. E. ſult believen mynen boecksack aff te ſenden met de tvvede voyagie vanden Voerman teghen naeſten vvoensdagh. Ick betrouvve my op uvve bermhertigheydt, en het is my vvel leedt dat vvy ſoo gevaeren ſyn: believe myne groeteniſſe te doen aen V. E. huyſvrouvve ende de maerte, en ick blyve met eene diepe oodtmoedigheydt.

Monſieur Simon, *V. E. oodtmoedighſten dinaer*, ſignatum erat N. Bousson.

In margine habebatur, *Loven deſen 7. November* 1708.

Et paulò infrà: *Gy ſult gelieven pertinentelyck te ſchryven, voor vviens ſielen dat gy de miſſen vvilt gedaen hebben, en te ſaemen vanden Voerman, dat heeft mynen Broeder my belaſt.*

SCEDULA INTROCLUSA.

Domino
Domino Tourteau, Procuratori habitanti in platea vaccarum.
Lovanii.

Liberam à portorio
uſque Trudonopolim.

A Monſieur
Monſieur Tourteau Procureur vvoonende op de Koeyeſtraete.
Tot Loven.

Francque tot
Sin Truyen.

156. Nihil in tota Epiſtola veri eſſe, legentibus patet. Atqui in novis hiſce fictionibus perſeverat. Numquid igitur apud D. *Guilielmum Leunckens* fidem invenierint?

§. IX.

Quòd P. Deſirant *in nullo articulo habuerit legitimam defenſionem quoad perſonas Actorum.*

157. PRimum Actorem fuiſſe *Reverendum Patrem Martinum de Hondt*, Presbyterum Oratorii Berulliani Bruxellis, conſtat ex libello Procuratoris generalis, de quo ſuprà, ubi totius actionis origo rejicitur in alium libellum ſupplicem, quem dictus *Pater de Hondt* cum alio quodam exhibuerat Concilio Statûs. Concilium verò Statûs ordinaſſe dicto Procuratori, ut circa dicti libelli contentum fungeretur munere ſuo, ex eodem contextu liquet. Hujus actionis directorem extitiſſe *Licentiatum vanden Neſſe* famoſum Eccleſiæ Stæ. Catharinæ ibidem Deſervitorem, non tantùm vox publica, ſed etiam relatio facta per D. Licentiatum & Profeſſorem Goethals, qui ab Univerſitate Lovanienſi ad tuendam juriſdictionem ejus, Bruxellas deputatus fuerat, inſinuat. Procuratoris generalis libellus ſignatus fuit à D. Advocato Fiſcali *Charliers*, dicti Deſervitoris cognato germano, fuitque dictus libellus oblatus Concilio Brabantiæ, à quo & Decreta emanârunt tempore quo Lovanii *D. Henricus Malcorps* ſub nomine D. Licentiati *van Cutſem* Univerſitatis Promotoris, cauſam inſtituerat, & proſequebatur

158. Ex omnibus ſimul concluditur, Actores publicos [quis enim valeat numerare occultos?] in hac cauſa fuiſſe quàm plurimos, Reverendum Patrem de Hondt, Procuratorem generalem, Advocatum Fiſcalem D. Charliers, Licentiatum vanden Neſſe Deſervitorem Stæ. Catharinæ, dicti Advocati Fiſcalis cognatum germanum, D. Henricum Malcorps, & Licentiatum Joannem-Baptiſtam van Cutſem Univerſitatis Lovanienſis Promotorem, qui ſolum nomen præſtitit. Hæc ſtudio facta fuiſſe, ut P. Deſirant numero confunderetur, atque obrueretur, non dubium eſt. Cœpit tamen, ſed fruſtrà, ſe adversùs illum, qui primus in ordine fuerat, & coram Univerſitatis Rectore cauſam inſtituerat, defendere.

159. Actor debuerat eſſe D. Licentiatus Joannes van Cutſem, tamquàm Univerſitatis Promotor, cujus nomine cuncta geſta ſunt, uſque ad præſentem Concluſionem finalem, quæ nomen ejus in frontiſpicio exhibet. Sicut autem hæc Concluſio ſignata fuit à ſolo *Henrico Malcorps*, qui eſt Univerſitatis Advocatus Fiſcalis; ita omnia per hunc Advoca-

Digitized by Google

tum ſub inſtructionibus Adverſariorum directa, geſtaque fuerunt.

160. Non audent Janſeniſtæ docere quæ practicant. Si eò veniſſent, [venient tamen] cauſa finita eſſet; nihil retinerent, undè partes traherent. Diſtinguenda igitur eorum doctrina publica à domeſticis regulis, juxta quas mores ſuos componunt, quemadmodum præclarè oſtendit Conſiliarius Regius Marandæus, qui aliquas hujuſmodi regulas detexit, & publici juris fecit. Per doctrinam Publicam reddunt ſe ſpectabiles, per praxim formidabiles. Quid in materia Juris (de Theologicis egimus alias) doceant, conſtat ex Doctoris van Eſpen *Jure Eccleſiaſtico Univerſo*: quid practicent, *ex Concluſione finali*. Hujus autem Concluſionis finalis publicationem non à nobis, ſed ab ipſiſmet Adverſariis factam, plus profuiſſe Eccleſiæ, quàm nocuiſſe Patri Deſirant, ex inde patet, quòd non ſit ampliùs futurum in illorum poteſtate negare quod faciunt, & ſtatim ad minimam Adverſariorum ſuorum objectionem, licèt optimè fundatam, exclamare, *eſt mendacium*, *ſunt impoſturæ*, *ſunt calumniæ*, *ſunt machinationes diabolicæ*, & ejuſmodi, quæ ſunt ipſis tam prompta, ut non tantùm vix aliud quidpiam in ipſorum oribus natet, verùm etiam, ut ubique locorum eaſdem illas loquendi ſcribendique formulas habeant veluti communes, & familiares.

161. Eſt ergo Concluſio finalis compendium quoddam moralis doctrinæ, quam à pluribus annis communiter practicaverunt. Et ex nullo ſcripto clariùs atque veriùs poteſt cognoſci, quid in animo ſentiant de charitate, de dilectione inimicorum, de formandis perſecutionibus, de vindicta, de juramento & perjurio, de caſtigandis & excuſandis ſacrilegiis, de fovendis falſis teſtibus, de Authoritate Pontificia, de laudibus propriis, de calumniis, de ſinceritate & integritate. Eſt, inquam, Concluſio finalis verum ſpeculum in quo ſeipſos videant, & vera imago, in qua ab aliis videantur.

162. Cùm autem jam ſatis ſuperque oſtenderimus exorbitantias atque irregularitates in toto hujus cauſæ decurſu per effrenem illam licentiam exercitas, ſupereſt, ut etiam breviter oſtendamus, quòd quidquid ex parte Actoris geſtum fuit, ipſorum doctrinæ per Doctorem van Eſpen publicatæ è diametro repugnet.

163. Docet hic Doctor cum aliis parte 3. tit. 7. c. 8. qualiter in inſtructione cauſarum criminalium procedendum ſit. Numero 22. dicit: *Itaque formare inquiſitionem contra aliquem eſt facere proceſſum informativum, aſſumendo informationes contra Reum ſuper delicto. Ex his dein informationibus elicitur titulus & ſeries facti, quæ poſteà narratur in libello accuſationis, &* REO TRANSMITTITUR VEL COMMUNICATUR *in vim citationis.*

Digitized by Google

164. In præſenti verò caſu ex actis oſtendimus, quòd ſtatim poſt citationem incœperint ab examine Patris Deſirant, quod duravit per tres dies, univerſim plus quàm per viginti quatuor horas, in quo proponebantur centenæ & centenæ interrogationes, objectiones, ſophiſmata, quarificationes & illationes, quarum nullam umquàm voluerunt Patri Deſirant *communicare*. Et cùm in ſcriptis proteſtatus fuiſſet, quòd non deberet ad talia reſpondere, maximè quia non proponebantur à Judice, ſed ab Advocato Fiſcali Henrico Malcorps, qui inſuper per fas & nefas uſurpabat & exercebat officium Promotoris; non recipiebat niſi minas Decreti alicujus, nimirùm apprehenſionis, quam duo Advocati Bruxellenſes, parte inauditâ, ſine allegatione ullius cauſæ vel rationis declaraverant decerni poſſe. Et in fine toti fatigato & febricitanti (laboraverat enim per aliquot ſeptimanas ex podagra) copioſiſſima interrogatoria & reſponſa illi prælegebantur, & cogebatur ſignare; addidit tamen ſe non velle capi in diebus, idque propter multitudinem eorum, quæ ſcripta fuerant, & quia facilè potuiſſet accidere, ut inter ſcribendum vel ipſe, vel ſcriba ex inadvertentia erraſſent. Hæc practicaverunt.

165. Docet inſuper Doctor van Eſpen n. 25. *Hæc autem inquiſitio, quam vulgò informationem præviam vocamus, ex Judicis & officio & authoritate ſemper fiat neceſſum eſt, ait Damhouderus in praxi rerum criminal. cap. 8. n. 1. Additque num. 2. Nemo enim niſi ſolus Judex aut Judicis poteſtatem habens de crimine efficaciter inquirere poteſt. Idipſum ordinatum per Edictum criminale Philippi II. tit. 3. cap. 1. vetatque ſub gravi pœna omnibus Notariis, Secretariis, Graphiariis, & generatim omnibus perſonis, quæ non ſunt Judices, nec Commiſſionem aut Authoritatem habentes ad capiendas informationes præparatorias, teſtes audire, atteſtationes dare, aut ſpeciales actus exercere in cauſis & proceſſibus coram aliis Judicibus pendentibus, inhibendo inſuper Judicibus, ullam rationem habere hujuſmodi informationum aut atteſtationum.*

166. Poterat quidem Advocatus Fiſcalis adeſſe, ſed ſub pœna nullitatis non potuerat ipſe per ſe, ſivè Reum, ſivè teſtes examinare.

167. En verba ejuſdem Doctoris ibid cap. 3. n. 4. *His interrogatoriis Judici ſivè Commiſſariis exhibitis, tunc juxta citatum articulum Curiarum Eccleſiaſticarum, Judex vel Commiſſarii in præſentia ipſius Promotoris vel etiam Advocati Fiſcalis [ſi adeſſe velit] ſecundùm prædictum libellum Reum examinabunt, diligenterque animadvertent, ſi Reus conſtans ſit, an vacillet, & deſuper judicium ſuum ſeparatim annotabunt, & Judici exhibebunt. Hæc deſumpta apparent ex citato articulo Ordinationum Curiæ Brabantiæ.*

168. Non ergo Advocato Fiſcali Henrico Malcorps licuit interrogare Patrem Deſirant, vel teſtes; ſed hoc Judicis, qui aderat, offi-

Digitized by Google

cium fuit, & conſequenter juxta eundem Doctorem *nulla harum ratio haberi debuit.*

169. Quod plus eſt, D. Henricus Malcorps inter examinandum faſſus eſt, ſe pleraque interrogatoria formaſſe, & formare ex privatis litteris à Petro Nicolao, quem tunc ſibi obnoxium habebant, ſcriptis. Adeoque impingebat in illud, quòd Doctor van Eſpen ibidem ſcribit cap. 1. n. 14. *Sed nè publici hi Officiarii Authoritate ſibi conceſsâ in perniciem privatorum abutantur, & legum obtentu, iræ & ultioni obſequantur, nullam omninò criminalem actionem, niſi Decreto Judicis, & ex præcedenti informatione inſtituere poſſunt; & ſi ſecus faciant, imò vel ultra informationem procedant, Reumque de crimine accuſent, vel vexent, de quo nihil in informationibus occurrit, pro ratione calumniæ, & judicantium Religione mulctantur & puniuntur; uti notat Damhouderus in praxi rerum criminal. cap. 6. & plures allegati per Graenevvegen loco citato.* Interim licèt hæc docuerint, attamen illa practicarunt.

170. Agmen claudat aliud ejuſdem Doctoris eâdem *part.* 3. *tit.* 6. *c.* 5. *n.* 12. *Acriori ſtylo hunc Promotorum exceſſum nè dicam nequitiam & tyrannidem.* (ſunt verba Doctoris van Eſpen) *deſcripſit circa idem ſæculum Nicolaus de Clemangiis, de corrupto Eccleſiæ ſtatu cap.* 15. *n.* 1. *Dici non poteſt*, inquit, *quanta mala faciant* ILLI SCELERATI EXPLORATORES CRIMINUM, *quos Promotores appellant.* Et num. 13. *Optandum ſanè eſſet, ut hi exceſſus & injuſtæ vexationes cum ſæculis iſtis deſiiſſent; nec ad noſtra tempora perſeveraſſent. Nimiùm ipſa quotidiana experientia evincit, quàm hoc hominum genus lucri cupiditate ſtimulatum, innocentiſſimos non rarò, idque nonnumquàm ſuper fictis exceſſibus vexet, & ſcelera graviſſimoſque exceſſus diſſimulet.* Hæc docuit Doctor van Eſpen, quaſi expertus loquens. Quis contradicat?

§. X.

Quòd P. Deſirant *non habuerit legitimam defenſionem quoad productionem teſtium.*

171. STatim ut Adverſarii audiverant depoſitiones Reverendi Patris *Leopoldi à Sta. Thereſia*, die 30. Martii ſignatas, & primâ Aprilis 1707. ad propriam illorum inſtantiam juratas, prout ſuprà Capite 15. probatum eſt; infremuerunt: & nè veritas contra Doctorem *van Eſpen* detegeretur, celerrimè curaverunt dictum Patrem transferri Brugas Flandrorum, quæ Lovanio diſtant plus 66. Milliaribus Italicis: Poſteà verò

Digitized by Google

verò ſtuduerunt impedire, nè dictus P. *Leopoldus* Lovanium rediret, & ad inſtantiam Patris *Deſirant* veritatem deponeret.

172. In hoc ſolo P. *Deſirant* Adverſariorum fallacias vicit; nec mirum, in juſtas rectasque manus, quæ ſolæ impedimentum firmare potuiſſent, feliciter incidit. Juvat rem ordine retexere.

173. Novit Deus quòd P. *Deſirant* non tantùm ad perperam objectas falſitates vel falſificationes non concurrerit, verùm etiam, quòd ignoraverit, & etiamnum ignoret famoſam Epiſtolam de 10. Januarii 1707. & Librum Reſolutionum, cujus copia ipſi per Petrum eodem menſe allata fuit, fictos fuiſſe, vel per aliquem Doctoris van Eſpen, aut ullius Janſeniſtæ Adverſarium fictum eſſe. Si quæ fictio interceſſerit, hanc neſcit, neque ſcit per quem facta fuiſſet. Novit idem Deus Optimus Maximusque, quòd R. P. Leopoldus nullam in toto hoc negotio partem habuerit niſi bonâ fide ſub prævio ſecreto tamquàm ex ſigillo ſacramentali originem ducenti, interrogandi, prout die 16. ac 17. Februarii 1707. Doctorem van Eſpen interrogavit, an amiſiſſet faſciculum quemdam, Amſtelodamum versùs deſtinatum, cum promiſſione faciendæ combuſtionis, ſi diceret non eſſe ſuum, vel reſtitutionis, ſi ſuum diceret, & ſurreptori plenam veniam daret; item quòd R. P. *Silvanus*, dicti Patris *Leopoldi* frater germanus, nullas alias partes habuerit, quàm comitandi, prout præfatâ die 16. Februarii comitatus fuit Patrem *Lepoldum*, euntem ad nominatum Doctorem *van Eſpen*.

174. Si Doctor van Eſpen, non obſtantibus reſponſionibus ſuis pluſquàm ſuſpectis, nihil poſt diem Februarii 17. moviſſet, nihil quoque de iis ſivè ex Patris *Deſirant*, ſive ex Patris *Leopoldi*, ſivè ex Patris *Silvani* parte motum fuiſſet, aut moveri potuiſſet, idque propter præfatum ſecretum. Ex iis quæ dicta ſunt ſuprà Capite 15. colligi poteſt, quid Doctorem *van Eſpen* impulerit, ut hanc crambem recoqueret.

175. *Petrus Nicolaus Tourteau* primò minis, & poſteà promiſſionibus adactus fuerat, ut juratam ſuam depoſitionem die 5. Martii in judicio factam, paulò ante ejuſdem menſis finem revocaret. Patrem Leopoldum ſimiliter in fine ejuſdem menſis per vim aggreſſi fuerunt; ſivè quòd metuerint, nè Doctoris van Eſpen reſponſiones revelaret, ſivè potiùs, ut illum in reatum traherent, & hoc pacto vel ad ferendum teſtimonium inhabilitarent, vel ſi potuiſſent, in ſuas partes cogerent.

176. Facilem invenêre acceſſum ad R. P. *Maximilianum* qui tunc temporis, abſente P. Provinciali, Vicarius Provincialis erat, qui nimis facilè credidit, nec vidit quantam ſtragem inferri ſineret privilegiis Ordinis ſui, ut incurſas cenſuras taceam, illatasque Patri *Leopoldo* injurias, quando

Digitized by Google

ſub pœna excommunicationis latæ Sententiæ juſſus fuit coram incompetenti Tribunali reſpondere *ad quaſcumque interrogationes*, abſque eo quòd ſaltem Ordinis Superiores has inſpexiſſent, ut potuiſſent judicare, an illæ non tenderent ad inſidias, ut innocentem Religioſum in injuſtum reatum ducerent. Nimis facilè credidit, & nimis facilè Patronum quemdam ſuum ultra Alpes ſitum induxit, ut & ipſe nimis facilè crederet, inauditos, & præſertim Patrem *Deſirant*, ex cujus parte nullam juſtificationis partem viderant ſic proſcindendo, ut in dubium ponant, an fuerint decepti magis quàm voluerint decipi.

177. Interim, Deo favente, violentiæ contra Patrem *Leopoldum* intentatæ caruêre ſucceſſu, prout oſtendimus, niſi quòd P. *Maximilianus* ad Adverſariorum inſtantiam Patrem Leopoldum juſſerat abire Brugas Flandrorum.

178. Intereà Adverſarii toto Lovanienſi Oppido ſpargebant R. Patrem *Leopoldum* in judicio varia depoſuiſſe contra Patrem *Deſirant*, & nihilominùs de variis exceſſibus convictum, ideoque per Superiores ſuos, Brugas Flandrorum tranſlatum fuiſſe.

179. Audiebat hæc Pater Deſirant, & per indubitatam conſequentiam inferebat totum oppoſitum: ſi namque alterutrum fuiſſet verum, id Adverſarii neutiquam ſparſiſſent. Patris *Leopoldi* probitas erat ipſi nimis probata, ideoque pro certo habebat, quòd hæc tranſlatio non in alium finem facta fuiſſet, quàm ut non eſſet ad manum, nè à Patre Deſirant in teſtem produci potuiſſet. Ut enim ab eventu patuit, ea erat cum cauſæ Inſtructoribus colluſio, ut legem finxerint, fixerintque, non valitura teſtimonia, niſi recollecta. Patrem *Leopoldum* eis contrarium, quia veritatis amantem non erant recollecturi; habebantque inſignem prætextum, quòd per Superiores ſuos dimiſſus fuiſſet. Proindeque nec Patris *Leopoldi*, nec Patris *Silvani* depoſitiones quidquam nocituræ forent.

180. Ut autem P. *Leopoldus* redire non poſſet, præfatus Pater *Maximilianus* adhuc Vicarius Provincialis exiſtens callidè ſuggerebat, quòd pro bono Ordinis, & ipſius Patris Leopoldi conveniret, ut cautè ſecederet ad Conventum aliquem ſub Gallorum dominio ſitum; addebatque, ut etiam Frater ejus R. P: *Silvanus* S. Th. Lector quaſi in eodem periculo verſans Gandavi maneret. At verò prudentiores Fratres obſervaverunt quònam hæc conſilia tenderent, ut ſcilicet innocentes, per fugas & latitationes ſibi ipſis falſa crimina impoſuiſſent. O rem deploratam, dum in Superiores inciditur, qui cùm ſciant obediendum ſibi eſſe ex voto, præcepta atque conſilia impendunt, quibus Subditos illaqueent! ſuntque iſtæ querelæ aſſiduæ, quas undequaque ex Monaſteriis in quæ

Digitized by Google

Janſeniſtæ ſeu Rigoriſtæ infauſtos pedes, & infauſtiora conſilia intulerunt, accipimus.

181. Pater Deſirant mutatis circumſtantiis mutaverat conſilia, judicabat dictos Patres in teſtes vocandos eſſe: & videns P. *Leopoldum* Brugis detineri, & non obſtantibus amicabilibus interpellationibus, non potuiſſe obtineri, ut Lovanium rediret, pro tantillo tempore, quòd ad dandum teſtimonium veritatis opus eſſet; die nonâ Auguſti cœpit in actis per ſuum Procuratorem *van Leeuwe* apertè ſuſtinere, quòd neque deberet, neque vellet probationibus ſuis renuntiare, niſi præfatus P. *Leopoldus à Sta. Thereſia* adveniſſet

182. Iterùm die decimâ-tertiâ Auguſti ad rotulam perſtitit in verbis, *quòd in criminalibus cauſis ſemper productioni locus ſit, & Reus, quandocumque voluerit, innocentiam ſuam probare poſſit.* L. unius §. cogniturum ff. de quæſt. & conqueſtus fuit, quòd teſtes abſentes, non obſtantibus omnibus diligentiis non advenerint, *nimirùm Reverendus Pater Leopoldus & alii.*

183. Cùm Adverſarii viderent rem ſeriò agi; magis magiſque timuerunt, nè Pater Leopoldus veniret. Et quidem authoritas præfati Patris *Maximiliani* ceſſabat, quia Româ redierat R. ac prudentiſſimus Pater *Anaſtaſius à S. Trudone* Provincialis, vir ab omni techna alieniſſimus.

184. Tunc impenſus fuit maſculus Gandavenſis (maſculus doloris!) ſemper & ubique ad talia paratus. Is primò egit cum aliquo Priore Ordinis Patrum Diſcalceatorum, ut à Patre Provinciali ex Italia reverſo obtineret mandatum, nè Pater Leopoldus ad dandum teſtimonium veritatis veniret. Erat autem hic Prior vir juſtus, & ideo recuſavit id facere, aſſerens quòd ſe nollet huic rei immiſcere. Quarè dictus maſculus Gandavenſis æquè audacter ac imprudenter per ſeipſum die 20. ejuſdem Auguſti ad dictum P. Provincialem ſcripſit ſequentia.

185. *R. adm. P. Provincialis. Gratulor ex animo, quòd per varia viarum, & bellorum diſcrimina ex Urbe in Orbem Belgicum redieritis fauſto ſidere, & gaudeo quòd in Comitiis veſtris generalibus, totius Ordinis veſtri Belgicum elegeritis Generalem. Sed doleo, quòd inter alias fors Provinciæ veſtræ curas & viciſſitudines redux inveneritis unam, quæ nos tangit & angit. Negotium eſt Reverendi Patris Leopoldi à Sta. Thereſia, cujus hiſtoriam ex ovo perceperitis indubiè per fidam relationem & inſtrumentorum quorumdam relationem. P. M. Deſirant, quocum dicitur habuiſſe ſingulare commercium, omni modo inſtat, ut Brugis Lovanium evocetur, ut teſtetur. Cauſa videtur tendere ad finem. Hinc Pater ille Deſirant format illas inſtantias, vel ad iſtum differendum, vel ſi poſſit, ſuffocandum. Per dicta vel ambages P. Leopoldi conabitur rem involvere. Porrò certum eſt, quòd P. Leopoldus à tempore quo fuit Brugis, communicationem ha-*

buerit ſecretam ibidem, quam Prior loci inhibuit quantùm potuit, cum quodam Patre Gerardo d'Herbe fratre germano illius Patris d'Herbe commorantis apud Patrem Deſirant, & anima utriuſque, & cum aliis ejuſdem factionis, imò etiam cum ſuo proprio fratre Lectore in Placet Lovanii, à quibus ex parte Patris Deſirant ſufficienter eſt nunc inſtructus, circa ea, quæ debet coram Judicibus deponere. Quare Patris iſtius Leopoldi teſtimonium in hoc negotio ſuſpectum eſt, & non admittendum. INTELLIGO TAMEN *quòd quædam* ALTIORES POTESTATES, *quæ Patri Deſirant favent, vel libenter aſſiſterent* (DEUS SCIT PROPTER QUOD INTERESSE) *etiam urgeant ut P. Leopoldus Lovanium mittatur ad teſtificandum. Et ipſe P. Leopoldus elapsâ ſeptimanâ Gandavi in Conventu veſtro fuit gloriatus ſe evocandum, & cauſam non finiendam, niſi ipſe Lovanii ſit. Ecce quàm ſit mutua correſpondentia & intelligentia. Hinc me converto ad prudentiam & juſtitiam veſtram, vos rogans humiliter & fortiter, ut attentis hiſce, & aliis rationibus permittere non velitis, ut tale teſtimonium Patris Leopoldi detur, ſed potiùs* POSITIVE' IMPEDIATIS. *Spero quòd non denegabitis hunc favorem, nè innocentia multorum præclarorum virorum patiatur, & juſtitia contra Reos duos impediatur. Hæc inter nos duos tantùm. Deus erit merces veſtra.* Et poſt pauca ſignatum erat ..... Nomen ſileo, quia nominis pudet. In margine habebatur: *Gandavi die 20. Auguſti 1707.*

186. Quàm flagitioſum ſit impedire nè teſtis poſſit in favorem juſtitiæ & veritatis deponere, tam eſt notum Theologis & Juriſperitis, ut non ſit opus fuſiùs demonſtrare. Et pro hoc flagitio inverecundus maſculus non verebatur ſe vadem ſiſtere in verbis, *Deus erit merces veſtra.* Ignoravit forſan pœnas Canonicas de jure talibus inflictas ab Innoc. III. cap. *Conſtitutis* ℣. de teſtibus: *Nos ex officio noſtro ſuper hoc providere volentes, mandamus ut generalem feras excommunicationem, in omnes qui impedimentum aliquod ipſi M. præſtare præſumpſerint in teſtibus producendis.*

187. Virulenta Epiſtola varia notanda continet. Occurrit primò, quòd ſcripta fuerit Gandavi die 20. Auguſti 1707., id eſt præciſè quatuor diebus poſtquàm P. Deſirant Lovanii publicaverat inſtantiam ſuam, ut expectaretur Patris Leopoldi adventus, prout conſtat ex termino de 16. Auguſti ejuſdem. Signum probabile, quòd Epiſtola ſcripta fuerit ex communi inſtinctu. 2. Totus Epiſtolæ contextus indicat, quòd eſſet informatus de ſtatu litis. Signum correſpondentiæ, quam damnat in Patre Leopoldo. 3. Etiam Brugis impenſus fuit Prior loci, ut contra P. Leopoldum invigilaret. 4. Audacter calumniatur probum ac doctum Religioſum Reverendum Patrem *Silvanum*, S. Th. Lectorem, Patris Leopoldi fratrem germanum, alioſque, quibus contemptim tribuit nomen *ejuſ-*

Digitized by Google

dem factionis. 5. Uſurpat officium Judicis, pronuntians, quòd *Patris Leopoldi teſtimonium ſit ſuſpectum, & non admittendum*. Cùm tamen ignorare non potuerit, ſe ad hoc officium non fuiſſe legitimè qualificatum, Sententia enim debet fieri à PERSONA LEGITIMA, auditis partibus, & ſervatis ſervandis. 6. Satis crudeliter allaborat, ut Patri *Deſirant*, tamquàm Reo, decernantur pœnæ; immemor, quòd Pater *Deſirant* tam miſericorditer olim *filium matris ejus* liberaverit ex anguſtiis, quibus Gandavi conſtrictus fuerat ex cauſa. 7. In verbis: *Hæc inter nos duos tantùm*, magna cum imprudentia diffidentiam indicat de petitionis ſuæ æquitate, in re tanti momenti. 8. Magnus vetitæ petitionis ardor exprimitur in vocibus, *rogans humiliter & fortiter*. 9. Caſtigabilem audaciam exhibet ad talem virum ſcribendo, *quòd quædam Altiores Poteſtates Patri Deſirant faveant, vel libenter aſſiſterent, Deus ſcit propter quod intereſſe*. Circumſtantiæ indicant quòd alludat ad articulum 20. libelli gravaminum, ubi dictæ Altiores Poteſtates invidiosè nominantur *Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopus & Inter-Nuntius Apoſtolicus*, quibus tamen maſculus plura debet, quæ ſatiùs recognoſceret.

188. Quidquid ſit tamen, nihil ſiniſtra illa conamina Adverſariis profuerunt, prout neque illis profuit nova accuſatio coram Provinciæ Superioribus, contra eundem Patrem Leopoldum, dirigente laudato P. *Maximiliano*, intentata, & unicè fundata in doloſa Doctoris van Eſpen acta de 19. Aprilis, quam ſuprà Cap. 15. per plures Paragraphos exſufflavimus. Prudentes enim Superiores detexêre fallaciam, & P. *Leopoldum* abſolverunt, eundemque cum fratre ſuo Lovanium miſerunt in menſe Novembri, quando & teſtati fuerunt.

189. Non tam feliciter ſucceſſit cum aliis: quippè cùm ex actis conſtet, quòd P. Deſirant voluerit producere varios teſtes, quos Actor impedivit audiri, & cùm deſuper motum fuerit incidens, productio teſtium reſtricta fuit ad ſex dies, fueruntque illis diebus poſita nova impedimenta, ita ut expiraverint, nec omnes teſtes audiri potuerint.

190. Inter teſtes à Patre Deſirant productos, fuit R. P. *Franciſcus d'Herbe*, qui in præcipuis caſibus præſens fuerat, v. g. quando *Petrus Nicolaus Tourteau* attulerat litteras *Henrici Graſper* apertas, dixeratque ſe illas intercepiſſe ex Ordinatione Rectoris *D. Leunckens*, ut confirmaretur conſpirationis detectio per ipſum facta, & quòd dictus Rector deſuper cum Patre Deſirant acturus eſſet, & alia quæ in articulis per præfatum Patrem d'Herbe depoſitis continentur. Non permiſerunt autem dictum Patrem d'Herbe jurare, ſub prætextu, quòd vocatus eſſet in crimen, tanquàm complex. Poſtquàm verò Pater d'Herbe per Sententiam eſſet ab-

Digitized by Google

ſolutus, & conſequenter cauſa reprobationis ceſſaret, non fuit tamen dictus Pater admiſſus ad jurandum, & teſtimonium ejus rejectum manſit in præjudicium innocentis, cui per Leges & Canones erat integrum producere teſtem licèt domeſticum, in re familiari, ad quam advocari teſtes extranei nec ſolent, nec poſſunt, nec debent.

191. Nam juxta Jaſon. apud Menoch. lib. 3. præſumpt. 3. n. 51. *in criminalibus ad probandam defenſionem admittuntur teſtes domeſtici, & familiares, qui aliàs admitti non debent. Sicuti poſt Specul.* in tit. de inquiſit. § 1. verſu *ſed numquid eas, ſcripſerunt* Joan. de Anna. in Conſ. 109. Petra ſancta in ſingul. 11. & Gramma. in Deciſ. 56. num. 16. & 17. *Et admitti in hoc caſu probationes non concludentes, ſed dubias, aſſirmârunt etiam multi congeſti à Pariſio* in C. D. *in præſentia* num. 31. *Et hanc traditionem probavit ibidem* Berò. num. 135. & 136. in fine textus. 3. c. ad Legem Corneliam de Sicariis. *Et hujus quidem traditionis ea eſt ratio, quia probatio Actoris, quæ debet eſſe clarior luce meridianâ.* Lib. ult. de probat. *reddita eſt dubia, à qualicumque hac accuſati probatione.*

192. Similiter P. Deſirant in teſtem vocaverat D Licentiatum *Leunckens*, Ex-Rectorem, ſuper variis articulis, ac præſertim quòd *Petrus Nicolaus* fuiſſet in ejus ædibus familiaris, & varia pro ipſo ſcripſiſſet, propter quam familiaritatem P. Deſirant homini ſibi aliàs ignoto, præſtiterat fidem.

193. Item quòd idem Petrus ex ædibus ejus abſtuliſſet duo exemplaria ſcripturarum ſecretarum, quibus titulus *Deductio rationum* contra Seminaria, quæ à dicto D. *Leunckens* ex Univerſitatis Decreto ſervabantur; ex quo P. Deſirant potuiſſet probare, ſe non habuiſſe partem in ſubminiſtratione dictorum Exemplariorum, primo faſciculo de data 13. Januarii incluſorum, necnon quòd ex inſpectione horum Exemplariorum, quæ tam ſecretò ſervabantur, ut ipſe P. Deſirant nullam ipſorum potuiſſet copiam conſequi, confirmatus fuerit in opinione, quòd Petrus non fuiſſet particeps faſciculi, in quo talia Exemplaria reperiebantur.

194. Item quòd dictus Petrus in principio Februarii 1707. Bruxellis exiſtens per falſum inſtrumentum ſignatum *Chriſtiane*, à Nuntio Radelet extorſiſſet quatuor imperiales, quaſi ex Ordinatione præfati Domini *Leunckens.*

195. Denique quòd P. Deſirant die 23. & 25. Februarii præfato D. Leunckens diligentiſſimè ad ſe vocato cuncta fideliter declaraſſet, & alia de quibus in præfatis articulis.

196. At verò numquàm P. *Deſirant* potuit obtinere, ut dictus D. *Leunckens* tamquàm teſtis deponeret, ſcivitque D. Leunckens qui jam

Digitized by Google

erat factus Aſſeſſor, negotium ſic involvere, ut P. Deſirant coactus fuerit ſe referre ad ipſius notitiam, & hoc pacto numquàm P. Deſirant potuit ſcire, an & quid, & quomodò dictus D. Leunckens depoſuiſſet, proindeque ignorare debuit, an & quid ulteriùs per alios teſtes, quos habebat ad manum, probare debuiſſet.

197. Neſcio verò ex quibuſnam fontibus Adverſarii hauſerint, quæ tum in ſalvationem teſtium à ſe adductorum, tum in reprobationem aliorum adducunt ab art. 39. uſque ad art. 105.

198. Si cauſa verteretur contra Janſeniſtam, nullus Adverſariis teſtis foret idoneus, niſi fortè deſcendiſſet de Cœlo, & hoc pacto ubi de judicando Janſeniſta agitur, nullus Judex eſt legitimus, ſuſpectantur Epiſcopi, ſuſpectatur Summus Pontifex, res reducitur ad quæſtionem Facti, in qua falli poſſe dicunt Eccleſiam Univerſam.

199. Ubi verò agitur contra Romano-Catholicum, Adverſarii art. 39. & 96. ſuſtinent: *Admitti teſtes inhabiles*, & art. 41. addunt rationem, quia *hic favor eſt utilitatis publicæ*.

200. Loco tam deplorato ſtat apud ipſos innocentia, dum reperitur non apud ipſos.

201. In criminalibus autem cauſam Rei favorabilem eſſe etiam circa qualitatem teſtium, ſtricti juris eſt. Cùm etenim bonus ſemper præſumatur bonus, donec probetur malus, idcircò requiruntur probationes luce meridianâ clariores, prout ſuprà oſtenſum eſt, & juxta Authores, *teſtes debent eſſe omni exceptione majores*, Maſcard. Concl. 1360. Et juxta Anthonium Mathæum, quem Adverſarii pluries pro ſe adducunt, ſed malè citant art. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. juxta Mathæum, inquam, *quò criminalia judicia civilibus graviora ſunt, eò teſtium major delectus habendus eſt*. Tract. de crim. ad libr. 48. ff. tit. 15. c. 2. n.

202. Tantùmque abeſt, ut prævalere debeat *favor utilitatis publicæ*, prout art. 41. garriunt, quin ècontrà idem Mathæus aſſerat, quòd ſententia ſit communis, *longè faciliorem eſſe innocentiæ quàm criminis probationem*. Ibid. cap. 7. n. 2. & n. 3. allegat duplicem rationem, primam, *quòd crimen non probetur, niſi per teſtes omni exceptione majores; innocentia etiam per teſtes minùs idoneos, imò per qualibet indicia.* Quas obſervantias in praxi dicit eſſe regulares, quia jura ſunt proniora ad abſolvendum, quàm condemnandum; enimverò *ſatius eſſe, nocentem abſolvi, quàm innocentem condemnari.* Idem ex lege 5. ff. de pœnis.

203. Verus hic eſt favor utilitatis publicæ, aſſecuratio innocentiæ, præſertim illis temporibus, ubi graſſarentur archi-calumniatores publici, quibus nihil eſſet facilius, quàm quoſcumque ſibi in doctrinis & mori-

Digitized by Google

bus Adverſarios perdere, ſi ſub prætextu utilitatis publicæ, integrum illis foret impendere teſtes inhabiles, habileſque repellere.

204. Quando Petrus Nicolaus Tourteau die 5. Martii contra Doctorem van Eſpen juraverat, ſtatim productæ ſunt contra ipſum anteriores ejus falſificationes, ut concluderent hunc teſtem eſſe inhabilem. Poſtquàm verò minis coactus eſt revocare, & promiſſionibus atque beneficiis inductus, mutatis velis, poſt tertiam variationem, accuſare innocentem, licèt non ſub juramento [neque enim umquàm contra Patrem Deſirant depoſuit juratus] volunt ut teſtimonium ejus ſingulare varians, & ſibi repugnans atque contradicens valeat, contra apertam juris definitionem. Ca. Nuper ✠ de teſtibus; ubi Honorius III. dicit: Nullius teſtimonio, quantumcumque Religioſus exiſtat, niſi juratus depoſuerit, in alterius præjudicium debet credi.

205. Sunt autem jura, ùt diximus, in favorem Rei in delectione teſtium ab Actore productorum tam rigida, ut Menochius l. 5. præſumpt. 22. n. 23. aſſerat; quando teſtis licèt non dixerit falſum, nec in ſubſtantialibus, nec in accidentalibus, *ſed ſolùm ratione ipsâ ſui teſtimonii, hoc in caſu totum ejus teſtimonium corruit.* Ita Anch. in Conſ. 24. Rimin. Sen in D. leg. *Si ex falſis*, in fine cod. de tranſact. Et ibid. Alciatus in fine. *Qui ejuſdem ſententiæ recenſet* Felinum in d. Cap. *Fraternitatis*. in fine de teſtibus. Addit Menochius ibidem num. 15. *ut procedat etiam ratio perjurii, ſi teſtis falſum dixiſſet in diverſis atteſtationibus.* Ita Comen. in Conſil 197. in fine Lib. 2. poſt Specul. & Butrium, quos recenſet. Ita etiam ſcripſerunt Sac. jun. in Conſ. 40. n. in fin. Lib. 2. & Ant. Gabr. in d. Concluſ. 4. n. 17. *Et maximè ſi teſtis depoſuerit ſe dediſſe falſum teſtimonium. Ita ut ſi Judex moriens dicat ſe tuliſſe falſam Sententiam, vel teſtis aſſerat, ſe falſum dixiſſe teſtimonium, non tamen eis creditur.* L. 5. Præſ. 5. n. 18. Et addit hanc eſſe traditionem Bartholi, quam ſecuti ſunt Authores, quos ibidem citat. Et ratio eſt promptiſſima, quia talis ſeipſum falſificat, & non eſt in eo veritas.

§. XI.
De cauſæ inſtructione uſque ad deputationem Judicum ſivè Aſſeſſorum.

206. NOn eſt animus vel in minimo offendere quemquam illorum, qui ſivè tamquàm Aſſeſſores, ſivè tamquàm Judices, ſivè quocumque veniunt appellandi nomine, huic cauſæ intervenerunt. Ut enim verbis S. Athanaſii utar: *Quæ à Judicibus videntur fieri, ipſi* [Adverſarii] *reverà*

Digitized by Google

reverà faciunt. Apologia de fuga ſua p. 163. Judices functi ſunt ſuo officio, nec debent ulli rationem reddere, niſi Supremis Poteſtatibus, & Omnipotenti Deo, cordium inſpectori, per quem Reges regnant & Legum Conditores juſta decernunt, cujus judicium nec P. Deſirant evadet, nec Adverſarii ejus. Imputandum autem Adverſariis, quòd ad ſatisfaciendum publico, eâ quâ par eſt reverentiâ exponendum ſit; primò, qualiter hi Aſſeſſores fuerint conſtituti. Secundò, quinam extiterint. Tertiò, quarè P. Deſirant tres ex illis non ſuſpectaverit, aut recuſaverit.

207. Malè ſunt informati extranei, dum exiſtimant cauſam hanc judicatam fuiſſe à ſupremo Concilio Brabantiæ. Res accidit modo ſequenti.

208. Cauſa inſtituta fuerat Lovanii in menſe Aprilis ſub nomine Promotoris Univerſitatis coram Rectore ejuſdem Domino Racymaeckers, qui cùm eſſet Licentiatus in Medicina, juxta Univerſitatis Statuta & praxim, debuit conſtituere Aſſeſſorem Juriſperitum; conſtituitque D. *Guilielmum Leunckens*, Licentiatum utriuſque Juris, qui ſemeſtri præcedenti Rectorem egerat.

209. Circa idem tempus Janſeniſtæ Bruxellis per Patrem *Martinum de Hondt* ex Oratorio, obtulerant libellum ſupplicem Concilio Statûs, qui remiſſus fuit ad Univerſitatem Lovanienſem, quæ ſuſtinuit quidem, judicium juxta Statuta, per Pontifices & Principes firmata, ad ſe pertinere; ſed ſivè vana fuerit ſine viribus ira, ſivè quia Univerſitas erat diviſa, & pars Janſeniana Lovanii cum Bruxellenſibus correſponderat, res habuit exitum æquivocum.

210. Siquidem in menſe Auguſti 1707. Pars una Deputatum elegerat Licentiatum *Guion* Præſidem Collegii Wynckelii: Pars verò Janſeniana Licentiatum *Goethals*, virum in exteriori habitu corporis profitentem modeſtiam extraordinariam, de quo Adverſarii in præſenti Concluſione finali art. 73. fatentur, *quod D. Goethals deputatus fuerit Bruxellas, cum expreſſa clauſula tamquàm ex parte intereſſe habentium*. Nam & ipſe *Goethals* erat nominatus in Libro Reſolutionum, prout legentibus patet.

211. Addi debet, quòd poſtquàm uterque præfatus Deputatus Bruxellas iverat, ut Univerſitatis juriſdictionem Eccleſiaſticam tuerentur, dictus D. Goethals redux coram diverſis retulerit, nihil eſſe ſperandum, niſi bono modo induceretur Licentiatus *Guilielmus vanden Neſſe*, famoſus Deſervitor Eccleſiæ Stæ. Catharinæ, qui Bruxellis inſtabat, ut cauſa judicaretur à Concilio Brabantiæ ibidem. Hæc confirmantur ex præſentis Concluſionis finalis articulis 796. & 797. ubi agunt de Paſtore Stæ. Catharinæ, ad quem famoſa Epiſtola de 10. Januarii *ſcripta, inſcripta, & deſtinata fuerat*, dicuntque quòd non debuerit eam Lovanium mittere,

Digitized by Google

Poſtquàm jam de ea cum Miniſtris Regiis agi cœperat, & inaudiebat de illa jam motum aliquem excitari cœpiſſe. Hæc Presbyteri Licentiati, qui juraverunt Univerſitatis Jura & Privilegia ubique locorum pro viribus tueri. Sed nempè cauſa fuerat inſtituta tam atrociter, ut P. Deſirant Presbyter, Doctor, & Religioſus poſceretur ad pœnam, quam Judex Eccleſiaſticus non potuiſſet infligere. Hæc viri, qui ſe mutuò tam liberaliter innocentiſſimos atque integerrimos vocant, ex ſimplicitate ſua Chriſtiana machinati ſunt.

212. In fine ejuſdem Auguſti erat renovatio Rectoris, qui juxta ordinarias quinque Facultatum vices eligendus erat ex Facultate Artium, more extraordinario electus fuit D. Alardus Vandenſteen Dordracenſis, qui etiam erat ex parte intereſſe habentium, & cujus nomen ſcriptum erat in Libro Reſolutionum.

213. Sub hujus Rectoratu in menſe Octobris 1707. ex parte Concilii Statûs emanavit Decretum, ut tam cauſa principalis, quàm incidentales perinſtruerentur coram Tribunali Rectoris, ac tunc acta deferrentur Bruxellas, quò Rector duos Aſſeſſores miſſurus eſſet ex parte ſua, *pour avec trois Conſeillers de nôtre Conſeil de Brabant à denommer par le Chancelier, & à l'intervention de l'Avocat Fiſcal du même Conſeil, la cauſe & debats être décidés comme ſera trouvé convenir en juſtice.*

214. Reverentia Concilio Statûs debita exigebat, ut Decretum ejus acciperetur in omnem meliorem partem. Cùm ergo de jure & praxi cauſæ Academicorum deberent inſtrui coram Rectore, & hic Rector, dum non eſt Profeſſione juridicus, debeat deputare unum vel plures Aſſeſſores Juriſperitos, nihil videbatur juriſdictioni Rectorali præjudicari. Manebat enim idem Actor, eadem cauſa, eadem Concluſio capta ab initio uſque in finem, ſine ulla mutatione, evocatione vel alteratione, & conſequenter idem Judex principalis. Et quod erat Caput, duo per Rectorem deputandi appellabantur ſolito nomine *Aſſeſſores*, tres verò alii dicebantur Conſiliarii ex alio ſuo officio, quod gerebant, erantque præfatis duobus Aſſeſſoribus, ſecundo loco per Cancellarium adjungendi. Ex quibus conſtat, qualiter Aſſeſſores fuerint conſtituti.

215. Sequitur, ut exponatur, quinam illi extiterint. Primo loco ponemus Ampliſſimum D. Charliers Advocatum Fiſcalem, à Concilio Statûs, ùt dictum eſt, deſignatum, cognatum germanum ſupradicti Licentiati vanden Neſſe, famoſi Deſervitoris Eccleſiæ Stæ. Catharinæ, cujus cauſa agebatur, ſivè qui habebat maximum intereſſe, attento quòd non tantùm nomen ejus frequenter reperiebatur in Libro Reſolutionum, atque in litteris memorati Henrici Graſper, ſed inſuper, quòd Epiſtola

Digitized by Google

de 10. Januarii, ſignata Z.B. V.E. inſcripta fuerit præfato Licentiato, & quòd ipſi Adverſarii fateantur dictum Originale ad Doctorem van Eſpen rediiſſe vitiatum.

216. Veniam dabis, Lector benevole, quòd cauſa exigat, ut ſalvâ reverentiâ, hîc modeſtè inſinuetur, Bruxellis eſſe publicum quòd præfatus D. Charliers aliquando in cauſis ad dictum cognatum ſuum germanum ſpectantibus fuerit cum effectu recuſatus.

217. Præfatus D. Rector Alardus Vandenſteen, licèt perhumaniter rogatus eſſet à Patre Deſirant, nè deputaret Aſſeſſorem D. Licentiatum Guilielmum Leunckens, ex variis capitibus ſuſpectum; illum tamen conſtituit.

218. Conſtituit pariter Ampliſſimum D. Corſelium, qui non erat membrum Univerſitatis, ſed erat Per-Illuſtris Domini Conſervatoris Aſſeſſor ordinarius; quibuſdam obloquentibus, quòd ubi jam conſtabat, ſuſcitatum fuiſſe præſentem conflictum juriſdictionis, Rector juratus præteriret Academicos, & præcisè eligeret illum, qui nuper contra Doctorem Steyaert tunc temporis Conſervatorem, gravem litem coram Concilio Brabantiæ, dicti Aſſeſſoratûs causâ ſuſtinuerat, & nunc fovebat aliam litem contra Univerſitatem totam, causâ Secretariatûs Conſervatoriæ, quem Univerſitas contendit ad collationem ſuam ſpectare, & præterea ſciebatur Doctori van Eſpen, etiam magis quàm dictus D. Guilielmus Leunckens adſtrictus & familiaris eſſe.

219. Illuſtriſſimus verò D. Cancellarius deſignavit Dominos Conſiliarios Heymbeeck, Chriſtyn & Eelkens. In Secretarium aſſumptus fuit D. Graphiarius Bodry.

220. Circa horum Judicum ſivè Aſſeſſorum recognitionem P. Deſirant in menſe Octobris nihil egerat; Adverſariis autem præcipua cura fuit, ut eoſdem quocumque modo ponerent in poſſeſſione judicandi. Hujus artificii executor fuit D. *Guilielmus Leunckens*, qui, prout ſuprà oſtendimus, die 2. Novembris 1707. clàm & à tergo Bruxellas convolavit, aſportans acta quinque litium incidentalium ſemi-inſtructa, non facto deſuper per Procuratores partium inventario: & præfata incidentia, ſpretâ recuſationis, ſuſpectationis & legitimæ appellationis tabulâ, die 4. & 5. ejuſdem Novembris celeriter, nè dicam præcipitanter deciſa fuerunt. Ut verò *P. Deſirant* relinqueretur in ea, quam formaverat opinione, quòd omnis & tota cauſa ejus tamquàm Eccleſiaſtica, coram Judice Eccleſiaſtico tractaretur, fuerunt dictæ quinque Sententiæ ipſi inſinuatæ *de mandato Rectoris Univerſitatis*, non per Officialem Regium, vel per præfatum D. Graphiarium *Bodry*, ſed per Univerſitatis Apparitorem *van Langendonck*.

Digitized by Google

221. Ex hoc facto ſequitur quòd præſens Tribunal, omnium calculo fuerit habitum, & ſit habendum pro Eccleſiaſtico.

222. Cùmque ad perinſtruendam cauſam principalem Pater Deſirant quaſi de gratia ſpeciali obtinuiſſet ſextiduum ad producendos teſtes quos vocaverat; Adverſarii ſuſcitaverunt impedimenta nova, vociferantes, quòd neſcio quibus Bruxellenſibus [nominabatur autem D. *Charliers* tamquàm principalis] judicium eſſet accelerandum, ita ut omnes teſtes produci nequiverint, neque producti fuerint.

223. Sub initium ſubſequentis menſis Decembris Adverſarii inſtiterunt pro acceleratione judicii, cum tanta impreſſione ac ſi Hannibal fuiſſet ad portas. Quamobrem D. *Guilielmus Leunckens* ſtatim Bruxellas rursùs profectus eſt, & cauſa mox poſita fuit in relatione, cœperuntque Aſſeſſores legere: & rumor factus eſt, quòd cauſam eſſent terminaturi ante Kalendas Januarias. Quarè P. Deſirant die 17. Decembris meditabatur iter Bruxellenſe arripere, ut ibidem collatis conſiliis cauſam dirigeret; ſed fuerat ad portam Oppidi, juſſu D. *Alardi Vandenſteen* pro tempore Rectoris, apprehenſus per ſatellites, & per ſexdecim milites Acatholicos, qui expanſis armis publicum currum ſtiterant. Univerſitatis Secretarium agebat Bedellus *Ægidius Denique*; Promotorem verò, adverſæ partis procurator nomine *Quirini*. Hic coram octo vel decem teſtibus Patri Deſirant prælegebat præfati Rectoris Decretum, cujus erat ſubſtantia, quòd cùm Pater Deſirant ſciretur, vel audiretur fugere in Gallias, repertus in via apprehendendus eſſet. Quo lecto, homo ſimulatus attrahebat humeros, vultuque ad fictionem compoſito rogabat, ut quæ fiebant, nec ſibi imputarentur, nec Domino Rectori, eò quòd hoc mandatum veniſſet ab altiori manu. P. Deſirant proteſtabatur, ſibi nec animum, nec ſanitatem [febricitabat enim) nec diſpoſitionem eſſe, vel fuiſſe, in Gallias fugiendi; petebatque an hoc eſſet mandatum Excellentiſſimorum Dominorum N. N.? Procurator Quirini attrahebat humeros, & geſtu ſubaffirmabat, jubebatque Patrem Deſirant veluti captivum per tres ſatellites duci, & in quodam cubiculo tabernæ recludi. Nullam ibi humanitatem P. Deſirant expertus eſt, niſi à ſolis militibus Acatholicis, & præſertim eorum Officiali [Deus Optimus Maximusque dignetur illis benedicere] qui ex paucis quæ viderat, & audiverat, judicabat rem indigniſſimam actam eſſe, & declarabat, quòd numquàm fuiſſet concurſurus, ſi ab initio informatus fuiſſet.

224. Poſt quatuor circiter horas P. Deſirant vectus fuit ad ædes præfati Domini Rectoris, & ductus per viam quam ſpectabant feneſtræ cubiculi, in quo detinebatur *Petrus Nicolaus Tourteau*, qui caput emittens,

Digitized by Google

ſarcaſticè exclamabat: *Proficiat*, *Eximie Pater*, *rectè adveneris ex Urbe Bruxellenſi.* Ex hoc judicatum fuit, quòd Petrus de hac Tragœdia fuiſſet informatus. Quid enim celaſſent Amaſio ſuo, qui æquè tenaciter profitebatur ipſorum doctrinas, quàm ipſi ejus mores?

225. Quando P. Deſirant coram D. Rectore comparebat, mortuo, quàm vivo proximior, etiam dictus Rector attraxit humeros, obteſtans non ſibi, ſed altiori manui hoc tribuendum eſſe, & Patrem Deſirant tamquàm captivum duxit ad aliquod cubiculum, poſuitque ſatellites, qui in atrio cuſtodirent. Vocati duo Medici judicârunt, non poſſe illi ſanguinem extrahi ſine inſtantiori vitæ periculo. Quarè ad alia remedia, quæ poſteà profuerunt, recurſum eſt; & interim P. Deſirant rogavit advocari Patrem Priorem Auguſtinianorum, cui die ſequenti manè ſacramentaliter confeſſus fuit, & ex illius manibus ſuſcepit ſacroſanctam Euchariſtiam per modum viatici, coram teſtibus rogans, ut ſi contingeret, ſe ex hoc caſu per apoplexiam aut aliud accidens mori, dignaretur Confratribus ſuis dicere ſupremum vale, eiſque pro ſua conſolatione per veritatem *Corporis & Sanguinis Chriſti* declarare, quòd moreretur innocens, ſe enim ad nullam objectam fictionem aut falſitatem concurriſſe, aut cognoviſſe.

226. Intereà Procurator Quirini magnis itineribus eques Bruxellas cucurrerat, eàdemque die 17. veſperi à Dominis de Juncta quos inveniebat congregatos, petebat confirmationem eorum, quæ Lovanii de mandato Rectoris geſſerat, ſed non obtinuit; docuitque ſe non minùs, quàm D. Alardum Vandenſteen Dordracenſem turpiter impoſuiſſe; dum dixerant, illa non ſibi, ſed altiori manui imputanda fuiſſe. Quamquàm verò Adverſarii finxiſſent, ſe Patrem Franciſcum d'Herbe habere in eodem reatu velut complicem, hunc tamen non apprehenderunt. Is Bruxellas profectus cum omnibus Patris Deſirant chartis, quas ſatellites fruſtrà quæſiverant; ibidem ex neſcio cujus conſilio, nomine Patris Deſirant Dominis de Juncta libellum exhibuit cum oblatione juramenti *de ſe ſiſtendo*, quod decretum fuit, & Pater Deſirant illud ut liberaretur, ex metu cadente in conſtantem virum die 21. ejuſdem menſis Decembris præſtitit, & poſteà ex religione ſervare voluit, dictos tamen Dominos de Juncta conſiderans tamquàm Lovanienſis Rectoris Aſſeſſores, & in hoc nihil Juri Eccleſiaſtico, quantùm in ſe erat, præjudicavit.

227. Itaque die 21. præfati menſis Decembris Bruxellis appulit, & quinque Aſſeſſores prænominatos tamquàm Rectorales, ùt dictum eſt, juratus acceſſit, & pro modulo ſuo informavit. Obſervavit autem quòd vigor ille quem pars adverſa oſtentaverat, ut judicium acceleraretur pau-

Digitized by Google

latim flacceſceret, & quò magis informabantur tres Conſiliarii Domini *Heymbeeck*, *Chriſtyn & Eelkens*, eò magis tepeſceret. Et interim P. Deſirant tenebatur in reatu, ſuſpenſus à Functionibus Academicis, propter quas ſolas ſciebatur Decretum Leidenſe de 7. Februarii, quod incipit: *Maer byſonderlyck*, conditum fuiſſe. Relatio protracta fuit uſque ad 17. Maii 1708. & conſequenter duravit uſque ad menſem ſextum. Intereà in morbum incidit & fatis conceſſit laudatus Dominus *Heymbeeck*. Vox publica fuit quòd Adverſarii per quævis media quæſituri forent ſubſtitutum ſuæ partis. At verò D. Cancellarius deputaverat Ampliſſimum D. Conſiliarium *Fierlants*, quem P. Deſirant numquàm acceſſerat, nec ejus intentionem ſcire poterat, nec aliud de ipſo audiverat, niſi quòd eſſet cultor juſtitiæ & amator veritatis. Adverſariis autem hæc ſubſtitutio diſplicuit, & D. Graphiarius *Bodry* cui ſubſtitutionis tabula commiſſa fuerat, tardabat eam ipſi inſinuare, & inſtrumenta litis extradi facere. Hanc ob rem Pater Deſirant finem quærens modeſtas querelas detulit, & præfatum Graphiarium humaniſſimè compellavit, ut commiſſionem ſuam exequi dignaretur. Statim verò intellexit rem ſtare in loco ſatis dubio: nam dictus D. Graphiarius adferebat excuſationem non petitam, in verbis *Mon Pere, il n'y a ici point de fineſſe.* Interim Dominus *Fierlants* hanc ſpartham recuſavit: fuitque dein ſubſtitutus Ampliſſimus D. Conſiliarius *Leſcornet*, quem pariter P. Deſirant numquàm convenerat, neque conveniri fecerat, hoc ſolo contentus quod haberetur & eſſet æquus Judex, dignus charactere quo fungitur. Accidit autem, ut per Concilium Statûs loco ejus authoritativè ſubſtitutus fuerit D. *Conſiliarius* DE BLYE. Tunc primùm Adverſarii indubitatam cecinêre victoriam. Sequebatur vox publica, quòd P. Deſirant procul dubio cauſam perditurus eſſet. Et inter alios quidam Licentiatus Hollandus, cujus quoque nomen habetur in Libro Reſolutionum, de hac ſubſtititutione in variis conſortiis jactabundus dixit: *C'eſt un coup de ma main.* Fuerat ſiquidem dictus D. Conſiliarius *de Blye* Ponens, ſivè Relator in cauſa quam præfatus Deſervitor Stæ. Catharinæ Licentiatus Guilielmus vanden Neſſe Advocati Fiſcalis *Charliers* cognatus germanus, contra Archiepiſcopum Mechlinienſem coram Brabantiæ Concilio nimis acriter ſuſtinuerat atque protruſerat, nec Antiſtitis ſui dignitatem reveritus, nec miſeratus ætatem. Qualiter autem, & quibus auxiliis hæc ſubſtitutio impetrata fuerit, nec licet, nec convenit ut P. Deſirant exponat. Nec opus eſt, cùm ipſi Janſeniſtæ non diſſimulent, cur, quomodò, & quando eandem procuraverint. Pater Deſirant ſtatim acceſſit præfatum D. *Conſiliarium* DE BLYE, & mirabundus primas ab illo querelas audivit de præfato rumore publico, quem ante Patrem De-

Digitized by Google

ſirant audiverat, & ſæpè repetiit non eſſe æſtimandam conſequentiam, quòd quia præfato Deſervitori faviſſet, ideo Patri Deſirant contrarius futurus eſſet. Quin etiam uſque ad confidentias venit, inter alia referendo ſe diu practicum fuiſſe antequàm ad Conſiliariatûs officium gratis promoveretur. Ac proinde de ſe præſumendum non eſſe, quòd foret Conſiliarius *idem*, ùt loquebatur, quod ſic exponebat, ſe in ferendis ſuffragiis votum proprium dare, & non ſicut aliquos Conſiliarios dicere, *idem*. Poſt paucos dies P. Deſirant ad ipſum rediit, & cum ſummo ſtupore intellexit, quòd jam inde omnia acta & ſcripta legiſſet, cùm tamen ex parte Adverſariorum eſſent numeroſiſſima, ita ut P. Deſirant hanc celeritatem habuerit ferè inſtar prodigii: unum enim feciſſe pauciſſimo tempore, quod non potuiſſent quatuor ſpatio ampliori. Addebat etiam *D. de Blye* ſibi oculos ex gravi lectura dolere, gaudebatque P. Deſirant nullum periculum videri, quandoquidem dolor ille procul dubio merè internus ad nullum exterius veſtigium perveniſſet. Poſt quæ cauſa ſatis brevi terminata fuit.

228. Reliquum eſt ut exponatur cur P. Deſirant D. Advocatum Fiſcalem Charliers cognatum germanum Deſervitoris *Siæ.* Catharinæ, & tres Aſſeſſores ex quinque non ſuſpectaverit. Multa occurrebant ut faceret: quædam ut diſſimularet. Erat tam ſecurus in conſcientia, ut minimum in Judicibus indifferentiæ radium crederet debere ſufficere. Expertus autem didicit quòd ſicut ſummum jus, ſumma injuria; ita quoque ſumma innocentia, nimia ſit confidentia.

229. Et ut ſuſpectare voluiſſet; ex ſuſpectatione tamen adversùs *D. Gulielmum Leunckens* die 2. & 3. Novembris 1707. injecta, didicerat, ignotam eſſe juris formam, quâ cum effectu ſuſpectandum eſſet. Et quidem gravamina contra præfatum D. Leunckens allata fuerant varia, quorum aliqua ſuprà recenſuimus; quibus addi poteſt, quòd dictus D. Leunckens die 23. Februarii 1707. apud Patrem Deſirant viderit, & manibus triverit duo illa exemplaria ſcripti cui titulus *Deductio rationum* pro Univerſitate contra Seminariſtas, quæ incluſa fuerant faſciculo quem Petrus attulerat tamquàm à Doctore van Eſpen deſtinatum Amſtelodamum. Petri fides apud P. Deſirant, qui nullum tale Exemplar obtinere potuerat, per hæc Exemplaria creverat, quia ſuſpicari non poterat quòd Petrus per ſe potuiſſet illa conſequi. Tacuerat autem dictus D. Leunckens, ſe illorum Exemplariorum eſſe cuſtodem, Petrumque varia apud ipſum ſcripſiſſe in cubiculo in quo ſervabantur, & ibidem illa duo potuiſſe ſurripere. Reliqua ſilentio premam. Si verò tot & tanta non ſuffecerint, ut P. Deſirant ſuſpectationem contra D. Guilielmum Leunc-

Digitized by Google

kens injectam ad effectum perduceret, & quid dico *ad effectum perduceret?* Si nequidem obtinere potuerit, ut ſuſpectationis cauſa inſtitueretur; judicet Lector Catholicus, & ignoſcat omnis Superior Eccleſiaſticus, quòd P. Deſirant debuerit illis omnibus ſuccumbere, nec auſus fuerit de aliis ſuſpectationibus cogitare, metuens, nè dum libellus ejus fuiſſet communicatus parti ſuſpectatæ, hæc reſpondiſſet per ſcripturam clauſam, prout in ſuſpectatione D. Henrici Malcorps accidiſſe, ſuprà oſtenſum eſt.

§. XII.

Ex manifeſta Doctoris van Eſpen *doctrina oſtenditur, quòd Pater* Deſirant *fuerit malè judicatus, & quòd ejus appellatio ipſo jure & facto ſuſpenderit totum judicatum, tamquàm de ſe nullum ac invalidum.*

230. NOn intendimus omnem Doctoris van Eſpen doctrinam approbare. Abſit. Satis ad rem præſentem facit, quòd aſſerat parte 3. Juris Eccleſiaſtici Univerſi tit. 3. cap 2. n. 51. *Ex his, quæ hactenùs dicta ſunt, non difficile erit intelligere, quòd ſenſim Tribunalia laica & Regia authoritatem ſivè juriſdictionem in Clericos de criminibus accuſatos protenderint, non tantùm ultra præſcripta Canonum, & juris communis, ſed & ultra ipſas Regias Ordinationes, ad figendos limites utriuſque juriſdictionis expreſſè editas. Quantoperè de hac ampliatione juriſdictionis laicæ conqueſti ſint Epiſcopi proximè elapſo ſæculo; ex Synodis Provincialibus tunc celebratis, videri poteſt.* Hæc Doctor Zegerus Bernardus van Eſpen, cui plura licent quàm Patri Deſirant.

231. Viderit autem ipſe cum ſuis, an non magis exceſſerint, tam ardenter ſuſtinendo, quòd præſens Patris Deſirant, non ſolùm Clerici, ſed etiam Religioſi exempti, Sacerdotis, & Doctoris Theologi, atque hoc titulo ſpecialiùs exempti cauſa agitaretur coram laico Brabantiæ Concilii Tribunali, & in eum finem inter alia offerendo libellum ſupplicem ſignatum per illorum confidentiſſimum Patrem *Martinum de Hondt* Preſbyterum ex Oratorio, cujus animæ Deus Optimus Maximus miſereri dignetur.

232. Regium Concilium Statûs nonnihil moderatiùs cauſam hanc coram præfato Brabantiæ Concilio tractari voluit. Cùm enim inter hoc Concilium & Univerſitatem Lovanienſem exortus fuiſſet conflictus juriſdictionis, dictum Concilium Statûs inivit viam mediam: & tres Conſi-

Digitized by Google

compoſita fuit *Juncta*, ùt vocant, de cujus authoritate, quid juxta ipſum Doctorem van Eſpen ſentiendum ſit, ex ſequentibus patebit. Sed ante omnia notandum, quòd dictum Regium Concilium Statûs non dederit præfatæ Junctæ ullam authoritatem extraordinariam, ſed ſimpliciter, *ut cauſa & incidentia decidantur, prout invenietur in juſtitia convenire. Comme ſera trouvé convenir en juſtice.* Noluit igitur Concilium Statûs, ut recederetur ab ordine juſtitiæ, qui in Belgio ſervatur.

233. Doctor van Eſpen loco citato incipit à deſcriptione ordinis juſtitiæ quem dicit recenter, poſt varias anteriores viciſſitudines introductum fuiſſe in Gallia. Et in hunc finem numero 29. utitur verbis Michaëlis Rouſſelii in hiſtoria juriſd. Pontif. lib. 4. c. 3. n. 24. *Sit igitur ex præmiſſis diſtinctio criminum, ut quædam privilegiata ſint pro foro ſæculari, cujuſmodi atrocia omnia, ut non requiratur præſentia Judicis Eccleſiaſtici. Alia privilegiata pro foro Eccleſiaſtico, ut ad illud remittantur Clerici Rei, ſed judicandi aſſiſtente Regio Judice & Procuratore: ut ea fortaſſè communia dicuntur, quoniam ipſorum cognitio utrique Judici communis eſt.*

234. Et n. 31. Doctor van Eſpen de praxi Gallicana ſubjungit ſequentia: *Praxim hanc ſat recentem eſſe, fidem facit famoſus Galliæ Juriſconſultus, & Practicus Claudius le Preſtre, qui cent. 1. c. 20. dicit ſe non vidiſſe unquàm negatam remiſſionem Clerici, niſi in crimine læſæ Majeſtatis, vel niſi Clericus captus eſſet in veſte ſæculari, quantumvis aliàs ageretur de crimine valdè atroci, quorum plura exempla allegat.*

235. Pergit Doctor van Eſpen n. 38. *Remiſſione ad Judicem Eccleſiaſticum factâ, proceſſus criminalis inſtrui debet conjunctim per utrumque Judicem. Neque poteſt Judex Eccleſiaſticus vigore hujus remiſſionis in caſu delicti privilegiati proceſſum inſtruere, niſi aſſiſtente Judice Regio.*

236. Et n. 39. *Causâ per Judicem Eccleſiaſticum conjunctim inſtructâ, ſententia ſeparatim pronuntiatur per utrumque Judicem: nimirùm per Judicem Eccleſiaſticum pronuntiatur ſuper crimine in quantùm eſt Eccleſiaſticum, ſive commune, ut vocant; per Judicem autem civilem pronuntiatur ſuper eodem crimine, in quantùm eſt privilegiatum.*

237. Et n. 42. *Inſuper, quia utraque ſententia eſt planè ſeparata, & à diverſo Judice prolata, ſi accuſatus appellet, Curia Regia non ſolet recipere appellationem, niſi quæ eſt à ſententia Judicis laici: aliam autem remittit ad Superiorem immediatum Judicis Eccleſiaſtici, à cujus ſententia appellatur: & huic quidem adeo defert Curia Regis, ut ſuperſedeat ipſa quoad appellationem Judicis laici, quouſque in cauſa appellationis, per Judicem Eccleſiaſticum, etiam per tres ſententias conformes pronuntiatum ſit, uti notat le Preſtre ibidem.* Hactenùs Doctor van Eſpen de moderna praxi Gallicana.

Vu

Digitized by Google

238. Hanc verò praxim numquàm in Brabantia receptam fuiſſe, idem Doctor cogitur fateri n. 47. ubi adducit verba Zypæi tit. de foro comp. n. 37. *Concilium Brabantiæ Presbyteros de crimine enormi convictos remiſiſſe ad Judicem Eccleſiaſticum.*

239. Quod magis eſt, n. 45. & 46. adducit concordata inter Carolum Quintum & Epiſcopum Leodienſem tit. 6. *ubi etiam Clericis conjugatis hoc privilegium aſſeritur, etiam in criminibus membri amputationem, aut capitalem pœnam, ſeu corporis afflictivam inferentibus.*

240. Et n. 47. *Porrò concordata hæc tantùm loquuntur de ſimplicibus Clericis, ſivè conjugatis, ſivè non conjugatis, hosque etiam in delictis quantumvis pœnâ corporali puniendis, modò tamen non ſint ex enormioribus, immunitate Clericali gaudere declarant: De Clericis autem in Sacris conſtitutis non loquuntur ut hos juri communi quoad uſum hujus immunitatis reliquiſſe videantur.*

241. Conſonat lætus introitus tam Mariæ Burgundicæ, quàm Caroli Quinti, & Alberti ac Iſabellæ art. 1. ubi omnibus Patriæ Tribunalibus, etiam Eccleſiaſticis ſua privilegia atque jura aſſeruntur, & facultas prætereundi Tribunalia, ſtatuendique *Junctas*, reſtringitur ad ſola crimina læſæ Majeſtatis, reſpectu laicorum, & de Eccleſiaſticis nulla fit exceptio, ita ut in omnibus ab Eccleſiaſtica Poteſtate judicandi ſint.

242. Et hæc praxis ſemper obſervata fuit, etiam in Univerſitate Lovanienſi, cujus Tribunal per eundem lætum introitum confirmatur: ita ut ipſa meritò inſtiterit, & perſtiterit, cauſam hanc ad ſuum judicium privativè ſpectare, & audito, aliter ſtatutum fuiſſe, non dubitavit proteſtari in forma, ita ut res hæc adhuc integra ſit.

243. Dignentur læti introitûs juſti defenſores advertere, quòuſque in præſentibus circumſtantiis hac in cauſa proceſſum & exceſſum fuerit. Ad Janſeniſtarum inſtantiam, non priſtina, ſed recens Gallorum praxis jam primùm invaluiſſet. Exemplum fuiſſet hactenùs in Patria inauditum. Potuiſſet placuiſſe Janſeniſtis in perniciem Adverſarii ſui.

244. Nulla verò manet dubitatio, quin qui Doctorem van Eſpen cum ſuis in præſenti cauſa bonâ fide exaudiviſſent, nihil mali ſuſpicantes recentem illam Gallorum praxim contra Eccleſiaſticas Libertates in Patriam invehi paſſi fuiſſent, & Pater Deſirant in Belgio Regio primus juxta recentem illam formam, contra privilegia Patriæ, contra lætum introitum, & Caroli Quinti concordata, necnon contra ſacros Canones, & Univerſitatis Lovanienſis jura à Pontificiis ac Regiis Majeſtatibus confirmata perperam judicatus fuiſſet.

245. Judicet autem omnis æquus rerum arbiter, an ſaltem non ſit juſtum ut cùm Adverſarii intenderint eum conjicere in novam ſortem pra-

Digitized by Google

xis iſtius peregrinæ, non poſſit eis objicere commoda, quæ cauſæ ſuæ illo caſu per eandem praxim Sacerdoti competiiſſent, de quibus idem Doctor van Eſpen loco citato n. 42. *Et huic quidem adeo defert Curia Regia, ut ſuperſedeat ipſa quoad appellationem à ſententia Judicis laici, quouſque in cauſa appellationis, per Judicem Eccleſiaſticum etiam per tres ſententias conformes pronuntiatum ſit, ùt notat le Preſtre ibidem.*

246. Atqui Pater Deſirant tempore habili in debita forma appellavit, ergo juxta illam ipſam doctrinam, totum judicatum ipſo jure & facto in ſuſpenſo tenendum fuit, & eſt.

247. Et quod eſt caput, fuêre in hac Juncta Judices Regii laici cum Eccleſiaſticis conjuncti: ſententiam non tulêre ſeparatim, ſed conjunctim.

248. Tulêre autem pœnam civilem, non Eccleſiaſticam. Hoc verò fuiſſe in hoc caſu extra duorum Eccleſiaſticorum Judicum, ſivè Aſſeſſorum Rectoralium poteſtatem, limpidiſſimi juris eſt. Dum ſententiam proferebant conjunctim; poteſtas minor, quæ erat laica, ſecundùm omnia jura debebat accedere ad Eccleſiaſticam, & pœnam Canonicam ferre, vel nullam. Hoc ipſum recens illa praxis Gallorum à Doctore van Eſpen reclamata inſinuat; & vetus praxis eorumdem Gallorum ſtabilita per Edictum Melodunenſe de anno 1580. art. 22. expreſſis terminis confirmat in verbis: *Inſtructio cauſarum criminalium contra perſonas Eccleſiaſticas pro caſu privilegiato conjunctim fiet, tum per Eccleſiaſticos, tum per noſtros Judices. Quo caſu Judices noſtri, qui ad eam cauſam deputabuntur, Curiam Eccleſiaſticæ juriſdictionis accedere tenebuntur.* Apud van Eſpen ibid. n. 25.

249. Non poteſt ſatis repeti, quòd in præſenti caſu Aſſeſſores judicaverint conjunctim: igitur laici ad Eccleſiaſticam Curiam acceſſiſſe cenſendi ſunt. Et conſequenter ſivè Janſeniſtæ in præſentis judicii forma prævaluiſſent, ſivè potiùs non prævaluerint, ſed ſententia tanquàm à Judice Eccleſiaſtico lata reputanda ſit; in omnem eventum locum habet illud ſupradictum, quòd appellatio à Patre Deſirant injecta ſubſiſtat, & ſuſpendat judicatum cum omnibus effectibus inde ſecutis, aut ſequi natis; cui accedit plena appellationis juſtificatio, vel in hoc ſolo benè ſtabilita, quòd ſivè duo Judices Eccleſiaſtici, qui intervenerunt, conſiderentur diviſim, ſivè omnes quinque conjunctim, nulliter, invalidè, ac injuſtè Sacerdoti inflicta fuerit pœna civilis, atque hoc ſecundùm juſtitiæ ordinem, qui Junctæ per ipſummet Concilium Statûs ſufficienter præſcriptus fuerat.

Digitized by Google

§. XIII.

Quòd Adverſarii in hac cauſa perperam uſurpaverint nomen Univerſitatis.

250. L*Uculentam pœnam exſpectat Belgium Univerſum, præcipuè Univerſitas noſtra Lovanienſis*, inquiunt in ſua Concluſione finali art. 1128. Eſt phraſis, quâ jam pridem pro ſua temeritate uſi fuerunt, dum ut privatis affectibus ſuis pondus adjicerent, Univerſitatis nomen uſurpare veriti non ſunt. Ita à viginti circiter annis, non audiebamus niſi hunc titulum, *Doctrina Univerſitatis Lovanienſis*. Re autem examinatâ, inveniebatur doctrina paucorum. Ita & in hoc caſu. Numquam enim Univerſitas conſenſit, vel influxum dedit, ut præſens lis contra Patrem Deſirant moveretur.

251. Rector per ſe & Aſſeſſorem ſuum incœpit die 5. Martii ab examine Petri, & quorumdam aliorum.

252. Die verò undecimâ Martii latum eſt Decretum ſubſequens: *Viſis informationibus præparatoriis huc uſque captis, de plurium Juriſconſultorum conſilio & aſſenſu decernimus Petrum Nicolaum Tourteau eſſe ſequeſtrandum, injungentes Promotori noſtro Academico ejuſdem ſequeſtrationis executionem, & ſine ejus præjudicio mandamus Officio Fiſcali, ut indilatè procedat ad ulteriores informationes, & notanter ut citari faciat N. Graſper.*

253. Idem Dominus Rector convocavit poſteà Univerſitatis Deputatos. Enacta de 16. Martii: *Retulit Magnificus D. Rector, Officium Fiſcale jam per plures dies cepiſſe informationes circa famoſam Epiſtolam de 10. Januarii 1707., & circa aliqua pacqueta delata ad Magnificum D. Rectorem, aliaque inde ſecuta, quid placeat Dominis deſuper reſolvere? Ex Dominorum deliberationibus concluſum, deſuper congregandam eſſe Univerſitatem.*

254. Univerſitas autem congregata fuit die 17. Martii. En acta illius dici: *Ex Facultatum Reſolutionibus concluſit Magnificus Dominus ſtrenuè in hoc negotio eſſe procedendum.*

255. Juxta ſyſtema illius temporis, ſtrenuè procedendum fuerat contra Petrum Nicolaum Tourteau, & contra Henricum Graſper. Res per ſe patet. Univerſitatis enim Decretum erat relativum ad ea, quæ hactenùs facta fuerant. Nihil novi ordinabat. Verba erant ſimplicia: *eſſe procedendum.*

256. Die verò decimâ-octavâ Martii de artificiis cogitatum fuit. Pater *Martinus de Hondt* Bruxellis, Conciliis civilibus libellum ſupplicem obtulit. Canonicus du Vivien & Capellanus Vernielen die 19. ejuſdem

Digitized by Google

Martii acceſſerunt Petrum Nicolaum Tourteau, & minas intentaverunt. Procurator generalis à Conſilio Brabantiæ Bruxellis Lovanium miſſus fuit. Janſeniſtæ ſuſtulêre clamores immenſos. Omnibus timor incuſſus eſt. Proceſſus contra Petrum Tourteau, mutatus eſt in patrocinium, atque hoc in præmium quòd verſis velis cœpiſſet accuſare Patrem Deſirant. Proceſſus contra Henricum Graſper in fumum abiit. *D. Guilielmus Leunckens* veluti Aſſeſſor, & D. Henricus Malcorps in omni qualitate ſibi placita ſub finem Aprilis Bruxellas profecti ſunt, & duobus Advocatis exhibuerunt mendacem libellum ſupplicem, retro Concluſionem finalem impreſſum, in quo Petrus deſcribebatur tamquàm vir integerrimæ fidei, & pro accuſationis fundamento exprimebatur, quòd P. Deſirant *negotium tale perrexiſſet agere in tenebris, & quòd Magnificum Dominum, qui omnium Academicorum Superior eſt, de nullo admonuiſſet*, cùm tamen idem D. *Guilielmus Leunckens* in conſcientia ſua ſciret, quòd Pater Deſirant illum pluries per diverſos curaſſet rogari, ut dignaretur venire ad ſe podagrâ laborantem, & quòd effectivè veniſſet ſemel die 23. & ſemel die 25. ejuſdem menſis, quando Pater Deſirant illum de omnibus admonuerat.

257. Janſeniſtarum verò operâ excitatus fuerat conflictus juriſdictionis, inter Univerſitatem & præfatum Brabantiæ Conſilium, & interim D. *Guilielmus Leunckens* impavidè procedebat, faciebatque primò perſonaliter citari Patrem *Deſirant*, & poſteà ſocium ejus Reverendum Patrem *Franciſcum d'Herbe*, veluti illius Secretarium, non quia ſperabatur fore, ut aliquid contra hunc detegeretur, nam & ab eventu patuit, quòd in judicio prævaluerit; ſed ut hoc medio excluderetur à ferendo teſtimonio; ſciebatur enim, quòd in pleriſque præſens fuiſſet.

258. Tandem ergo Univerſitas Lovanienſis aliquid libertatis nacta [fuerat enim quodammodò in ipſa videre id quod Tacitus de populo Romano ſcribit, *veſtigium morientis libertatis*] die 31. Auguſti tulit Decretum ſequens: *Quandoquidem conſtet per Epiſtolam Agentis Maubeuge, quòd adviſamentum à Conſilia Brabantiæ miſſum ſit ad Concilium Status ab aliquot diebus, ita ut tantùm reſtet expeditio: an non placeat Dominos aliquos deputare Bruxellas in eum finem; & cùm Domini Deputati nuper denominaverint Conſultiſſimos Dominos Leunckens & Guion, an placeat eoſdem deputare vel quos? Concluſit Magnificus Dominus approbari Deputatos nominatos, & inquirendum, quinam ſint authores iſtarum expenſarum, ut avertantur ab Univerſitate. De cætero relinqui partem contra partem.*

259. Univerſitatis Decretum prudentiſſimè conceptum erat. Certabat enim pro ſua juriſdictione; & ſapienter advertebat eſſe unum & alterum, qui à pluribus annis privatos ſuos affectus ſub Univerſitatis nomi-

ne vindicare, & expenſis publicis promovere in conſuetudinem duxerant. Sciebat etiam, numquàm ſe ordinaſſe, ut hæc lis contra Patrem Deſirant moveretur, & idcircò aperto tenore ſtatuebat, *relinqui partem contra partem*.

260. Ea verè erat tumultuantium animoſitas atque authoritas, ut neque hoc curaverint. Exquiſitis mediis actum eſt, ut illâ die 31. Auguſti in Rectorem eligeretur D. Alardus Vandenſteen Dordracenſis.

261. Sub hujus D. Alardi Vandenſteen Rectoratu Concluſio finalis adverſæ partis compoſita, & ſecretiſſimè in judicio exhibita fuit.

262. Ex dictis Lector judica, quàm perperam in eadem poſitum fuerit citato art. 1128. *Luculentam pœnam exſpectat Belgium Univerſum, præcipuè Univerſitas noſtra Lovanienſis.* Actio enim tam funeſta, non fuit conſilium omnium, ſed factio paucorum.

Siſto, quia abundè hoc Capite 24. per tredecim Paragraphos deducto, probatum eſt quòd jure merito Pater Deſirant ad objectum ſibi libelli gravaminum articulum vigeſimum-quartum reſponderit, *ſe characterem agnoſcere, crimen negare, & reverentiam petere*, eminenti ſuo gradui & Sacerdotio debitam.

APPENDIX

SIVE

CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM.

De proceſſu criminali contra R. Patrem Franciſcum d'Herbe, *fraudulenter inſtituto, & de judiciali abſolutione ejus: necnon de iis, quæ inde, pro cauſa Patris* Deſirant *reſultant.*

1. NUmquàm Adverſariis vera cogitatio ſubiit, quòd ullam in *R. P. Franciſco d'Herbe* cauſam inventuri eſſent. Sed ſicut R. Patrem *Leopoldum à Sta. Thereſia* Diſcalceatum conati fuerant in reatum trahere, ad dejiciendam ejuſdem fidem, nè inimicam Doctori van Eſpen veritatem tamquàm teſtis legitimus detegere valuiſſet; ita pariter cùm ſcirent pleraque quæ Patrem Deſirant concernebant, præſente dicto Patre *d'Herbe* peracta fuiſſe; hunc etiam in reatum agi voluerunt, nè in judicio deſuper teſtari potuiſſet.

2. Caviſſent profectò à dictamine Decreti Leidenſis, quod in Graſſperianis ſub die 7. Februarii 1707. ſatis clarè expreſſum fuerat, recedere.

Digitized by Google

Illic autem ordinatum erat, non ut plures, ſed ut unus Auguſtinianus Monachus tormentis bellicis arietaretur, *Maer byſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden*, id eſt, *at præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt*, inquit.

3. Flocci penderunt quòd Pater *d'Herbe* per hujuſmodi reatum diffamandus veniret; non æſtimaverunt etiam dedecus Religioni Auguſtinianæ, Ordinique Sacerdotali, tam coram Acatholicis, quàm coram Catholicis per temerarias haſce citationes perſonales inurendum, quaſi ad adventum exercituum Confœderatorum ex diverſarum Religionum cultoribus conflatorum, nonniſi Sacerdotes in crimina vocandi eſſent, ad manifeſtanda quodammodò Romano-Catholicorum dedecora; quin è-contra, ut tum infamia illa, tum dedecus hoc augerentur, ſtatim deliberaverunt de mediis dictum Patrem ſcandaloſè apprehendendi, & cùm culpa non eſſet, de fraudibus cogitarunt, quibus ad culpam moverent.

4. Habebant inſtrumentum aptiſſimum, Procuratorem *Quirini*, cujus cor ſicut facula ardebat, ut in præſentibus circumſtantiis, Presbyterum Romano-Catholicum quovis artificio in vincula conjiceret; quod cùm non valuerit in perſonam, & corpus dicti Patris exequi; ad ſatiandum tamen appetitum ſuum, noluerit errare in perſona & corpore Patris Deſirant, quem die 17. Decembris ejuſdem anni 1707. ſatellitibus & militibus Acatholicis armatis, arma explicantibus ſtipatus, ad Bruxellenſem Lovanienſis Oppidi portam viâ facti violenter, atque crudeliter apprehendi fecit, & apprehendit, ementitum Promotoris Univerſitatis nomen geſtans, & cauſam allegans, quam in corde ſuo ſciebat falſam, & ex mera malitia in deſtinatam Patris Deſirant perniciem, ſtudio fabricatam, adinventam, & effictam fuiſſe, quòd nimirùm in Gallias fugeret.

5. Hâc enim calumniâ ſperabat fore, ut P. Deſirant apud regnantes traduceretur velut Reus Majeſtatis. Ita ſcilicet in Concluſione finali vidimus, quòd concupiverint illius ſanguinem; an ut biberent, an ut lavarent crudeles manus, neſcio: Hoc ſcio, quòd nihil magis Procurator Quirini doluerit, quàm quòd non ſatis nocuerit.

6. Doloſa hujus imaginariæ fugæ confictio, fabricata per eoſdem Adverſarios, qui principalem contra Patrem Deſirant criminationem, ſimilibus artificiis, eodem tempore promovebant, debuiſſet equidem ſatis ponderis habuiſſe, ad dejiciendam penitùs illorum fidem. Ubi etenim erant convicti, quòd fallacem iſtius fugæ rumorem, per falſa teſtimonia promoviſſent, illumque contra intima conſcientiæ ſuæ viſcera eòuſque deportaſſent, ut omni pudore poſito, ad corporalem Doctoris apprehenſionem cum tanto ſcandalo publicè deveniſſent; debuiſſet quilibet

Digitized by Google

juſtitiæ amator, vel ex hoc ſolo cognoſcere, atque concludere, quòd non eſſet in illis hominibus veritas, & quòd externæ illæ geſticulationes modeſtiæ, non eſſent niſi doloſa hypocriſis, adornata ad unumquemque Adverſarium cum aliqua authoritate fallendum, & tum in honore, tum in fama, tum in bonis, tum etiam in ipſa vita perdendum, ſine ſcrupulo, vel ullius cogitatione reſtitutionis, de qua numquàm audies Janſeniſtam ſermonem facere. Perpetuas calumnias, & contumelias, in omnibus ipſorum ſcriptis, & continuas damnificationes, in omnibus ipſorum factis invenies; numquàm invenies reſtitutionem: Omnes tamen Romano-Catholici cum S. Auguſtino conveniunt, quòd *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*; ita ut reſtitutio, bonis omnibus præcepta ſit ad ſalutem; malis autem, ſaltem *ut mitiùs ardeant.*

7. Undènam ergo acciderit, ut tam confidenter auſi fuerint illam fugam fingere, illamque ſcientes non modò fictam, ſed & à ſeipſis effictam fuiſſe, ad ſcandaloſam apprehenſionem, ſine amittendæ authoritatis ſuæ metu procedere, non occurrit alia ratio, quàm quòd noviſſent, per quoſnam, & quonam modo Decretum Leidenſe de 7. Februarii 1707., quibuſcumque nonobſtantibus, executioni mandandum foret.

8. Luculentum nobis exemplum Paginæ ſacræ perhibent, in Davide peccante. Rex in mente ſua legem conceperat, quòd Bethſabée deberet eſſe ſua. Hinc ſecutum Decretum, ut maritus ejus Urias ad Ducem Joab doloſam Epiſtolam ferret in qua ordinabatur interitus neſcientis. Joab abſconditam, ſed notam ſibi regnantis voluntatem exequens, in obſidione Civitatis Ammonitarum, poſuit Uriam, in loco, ubi ſciebat viros eſſe fortiſſimos; qui egreſſi de Civitate, bellabant versùs Joab, & ceciderunt de populo ſervorum David, *& mortuus eſt etiam Urias.* Tranſacto autem luctu, miſit David, & introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei uxor. *L. 2. Reg. cap.* 11.

9. Non abſimili modo accidit, ut odium atque invidia legem conceperint, de auferendis Patri Deſirant Cathedris, quas multo ſudore comparaverat, & nutriverat; & quæ creverant apud illum; & ipſe de illarum pane comedebat, & de illarum calice bibebat. Litteræ Urianæ pervenerant ad illius manus, & non unus Joab, ſed nimis multi notam ſibi Decreti Leidenſis intentionem exequentes, poſuerunt Patrem Deſirant in loco ubi ſciebant eſſe viros fortiſſimos, & præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis exploſum eſt. Non ceciderunt quidem, ſed timuerunt, & torpuerunt de populo ſervorum David, & Pater Deſirant cecidit; atque non tranſacto, ſed in medio luctu, Cathedras ejus invaſerunt, quæ illis deſponſatæ ſunt. Tulerunt, inquam, ovem viri pauperis, & inde ſibi cibos præparant.

10. Hilce

Digitized by Google

10. Hiſce prælibatis, Lector judica, an doli per quos impunè Patrem d'Herbe aggreſſi fuerunt, non eadem confirment.

11. Fuit itaque citatio perſonalis contra *Patrem Franciſcum d'Herbe*, per D. *Guilielmum Leunckens*, veluti Rectoralem Aſſeſſorem decreta 10. Maii 1707., id eſt alterâ die poſtquàm Pater Deſirant reſpondiſſet ad libellum gravaminum, eique permiſſum fuiſſet ulteriùs reſpondere in ſcriptis. Sciebant quòd ſe ad producendos teſtes, inter quos præcipui erant dictus D. Leunckens, & præfatus P. d'Herbe, accingeret.

12. Scivit autem D. Leunckens, prout ſæpè oſtendimus, ferendum à ſe teſtimonium declinare; & ut etiam P. d'Herbe impediretur, nihil à deſiderari paſſus eſt.

13. Juvat in hunc finem acta evolvere, in Patris Franciſci d'Herbe causâ, exarata.

14. Fuerat perſonaliter citatus in diem Maii undecimam. Cùm verò ex parte non Patris d'Herbe, ſed Adverſariorum, impedimentum veniſſet, Procurator Quirini ad Patrem d'Herbe venerat, oretenùs ſignificando rem eſſe dilatam.

15. Impedimento ceſſante, miſſus fuit apparitor van Langendonck, ut P. d'Herbe compareret die 16. Maii.

16. Qui vel tenuiſſimo rationis uſu pollet, is judicaturus eſt, hanc Patris d'Herbe citationem, non ſecundam, ſed primam fuiſſe. Cùm etenim præfatum impedimentum non Patris d'Herbe, ſed citantium fuiſſet; hoc ſublato, prima citatio ùt ſummùm reviviſcebat.

17. Attamen Procurator Quirini, qui in hoc Tribunali ſciebat fanda ſibi atque infanda licere, mordicùs ſuſtinuit hanc citationem non primam, ſed ſecundam eſſe, & pro iterata haberi debere.

18. Dolus in eo ſitus erat, quòd in anima ſua ſcirent, Patrem Franciſcum d'Herbe non Academicum, ſed Religioſum ſimpliciter profeſſum, & per hoc in perſonalibus, & maximè in criminalibus à Rectorali juriſdictione exemptum eſſe.

19. Neſcio quam in mente ſubtilitatem habebant, quòd omnis exceptio declinatoria, in primo termino proponenda foret. Ut igitur cum aliquo colore fingerent, Patrem d'Herbe primum terminum neglexiſſe, & ut illum ſub falſo hoc prætextu, ab omni exceptione ſecluderent, hanc non primam, ſed ſecundam citationem eſſe commenti ſunt.

20. En verba actæ: *Die Lunæ 16. Maii 1707. horâ nonâ matutinâ, in ædibus, & coram M. D. Rectore, & Ampliſſimo D. Leunckens, ejus Aſſeſſore*, QUIRINI CUM DOMINIS ACTORE, ET ADVOCATO FISCALI *repetit libellum ſupplicem ex parte dicti Domini Actoris Magnifi-*

Xx

centiæ veſtræ præſentatum, & apoſtillatum 10. *currentis, cujus Apoſtillâ per copiam authenticam eſt inſinuata Reo, idquè in vim illius hùc citatus, in diem undecimam hujus, in finem, prout in Apoſtilla: & cùm ob notoria impedimenta, id tunc fieri non potuerit, fuit* ITERATÒ *citatus in hanc horam, ùt conſtat ex relatione Apparitoris van Langendonck, dictò libello adſcripta, petens proinde per dictum Reum citatum reſponderi perſonaliter ad libellum gravaminum, prout ordinatum eſt, ſub pœna juris, aut aliàs, &c. proteſtans more ſolito.*

21. Pater d'Herbe viâ regiâ incedens, præſentem terminum reputabat pro primo. Primus enim illi erat, quem nullus præceſſerat. Terminus anteà in diem undecimam fixus, non per illum, ſed per ipſoſmet Adverſarios dilatus fuerat in verbis ſtatim relatis, *cùm ob notoria impedimenta id tunc fieri non potuerit.*

22. Et idcircò meritò cenſebat, tempus omninò habile eſſe, ad memoratam exceptionem impendendam; prout illâ die fecit per ſcriptum, cui titulus, *Advertentia*, ubi demonſtrabat, ſe exemptum eſſe, ideoque taliter coram hoc Tribunali citari non poſſe.

23. At verò Procurator Quirini, certus ſibi omnia licere, ùt diximus, in eodem termino ſuſtinuit, Patrem d'Herbe *non habere os loquendi*, & ſimilem exceptionem adferendi, quamdiu *non reſpondit perſonaliter.*

24. Riſum teneatis amici? Exceptio declinatoria, ſecundùm Leges & Canones injecta fuerat, ad oſtendendum quòd coram hoc Tribunali perſonaliter reſpondere non deberet; at verò Procurator Quirini ſuſtinuit, quòd dictus Pater *non haberet os loquendi*, ſivè hanc exceptionem objiciendi, niſi priùs perſonaliter reſpondiſſet. Hoc eſt, niſi priùs feciſſet, quod ſuſtinebat ſe facere non debere, non potuiſſet audiri, an illud deberet facere. Hæc nihilominùs apud ipſos erant ſacroſancta. Omnia illis licebant.

25. Nec poterat Procurator Quirini mentis impetum cohibere, quin ſtatim ex novo dolo, Decretum *apprehenſionis peteret, in finem, prout in anteriori ſuo termino.*

26. En verba actæ: *Et attentâ non comparitione, Quirini petit, & ſuſtinet contra præfatum Patrem Franciſcum d'Herbe, ob eandem non comparitionem, per Magnificentiam veſtram* DECRETUM APPREHENSIONIS DECERNI, *in finem, prout in anteriori ſuo termino, non attentâ futili advertentiâ, hìc ſub nomine Rei prætenſim obtruſâ; cùm hìc & nunc non habeat os loquendi, aut ſibi cum ſimilibus ſerviendi, quamdiu non reſpondit perſonaliter, & non dirigatur ad D. Actorem nomine Officii, ſed ad D. Fiſcalem, qui nullo modo eſt pars, quarè petit & perſiſtit ut ſuprà, & dictam Advertentiam ex judicio rejici. Officium &c.*

Digitized by Google

27. Quotquot deſuper Advocatos conſuluimus, cenſebant Procuratorem Quirini extravagari; nec dubitabant quin D. Guilielmus Leunckens, inſtantiam ejus rejecturus eſſet, tamquàm perabſurdam; & ante omnia, motum incidens, *de recuſatione Rectoralis Tribunalis*, in cauſa perſonali, à Religioſo notoriè exempto propoſitum, ſaltem propoſiturus ad decidendum.

28. Sed Memmius erat Memmius. D. Guilielmus Leunckens die 17. Maii tulit Decretum ſubſequens: *Inhærentes Decreto noſtro de* 10. *currentis, injungimus citato, ut eidem ſe conformando compareat perſonaliter coram Nobis, horâ ſecundâ pomeridianâ hujus diei in finem, prout in eodem, ſub pœna, quòd* PETITUM DECRETUM RELAXABIMUS.

29. Debuiſſet ſaltem priùs declinatoriam exceptionem rejeciſſe. Hoc erat juris, hoc erat ſtyli. Sed Memmius erat Memmius. Interim Pater d'Herbe erat poſitus inter malleum & incudem. Ex una parte metuebat offendere Superiores Ordinis, qui ipſum potuiſſent de violata exemptione Monaſtica Reum agere, ſi authoritate privatâ incompetenti ſe Tribunali ſubjeciſſet. Ex altera verò parte videbat ſe certò apprehendendum, & procul dubio in Promotoris carceres compingendum, ibidemque inediâ conficiendum, niſi præfatum apud Ordinis Superiores reatum poſthabuiſſet. Nam cum hominibus res erat, quibus pietas & diſcretio, juſtitia & charitas eodem erant in pretio.

30. Quarè conſultum fuit, eâdem die 17. Maii, mittere Procuratorem van Leeuwe, qui Monaſticam exemptionem ſcripto deduceret, juſtumque Patris d'Herbe de incurrenda Ordinis Superiorum offenſa, timorem exponeret; offerendo nihilominùs ſcribere ad Illuſtriſſimum D. *Inter-Nuntium Apoſtolicum*, pro habenda comparendi licentia.

31. Ad voces autem illas Procurator Quirini, deſpumanti buccâ, petebat *Decretum apprehenſionis ſine ulteriori mora relaxari*. Id eſt, *ad Miniſtrum Apoſtolicum appellat, tolle apprehende, tolle apprehende.*

32. Procurator van Leeuwe rejiciebat allegata hæc ùt frivola.

33. Procurator autem Quirini magis clamabat, *tolle apprehende, tolle apprehende*. En verba: *Quirini inhæret ſuis allegatis ..... petit petitum Decretum apprehenſionis ex nunc pro tunc fieri, & Domino Promotori demandari.*

34. Omnis dignus Sacerdos tam inſulſam petitionem rejeciſſet, & petulantem petitorem corripuiſſet, atque compeſcuiſſet. Sed Memmius erat Memmius.

35. Ad verificanda quæ dixi, juvat acta illius diei 17. reproducere. „Eodem die 17. Maii 1707. van Leeuwe dicit, quòd R. Pater Franciſcus d'Herbe non declinet judicium Mag. D. Rectoris, quaſi diſii-

,, dens de ſua innocentia.... Sed ideo principaliter, quia ex juſtis funda-
,, mentis metuit corripi à ſuis Superioribus Regularibus, quos patet, Ad-
,, vocatum Fiſcalem. in cauſa præfati Ex. Patris involviſſe, per ſecundum
,, articulum libelli gravaminum, exhibiti contra præfatum Ex. innocen-
,, tem: tametſi enim uſu receptum ſit, quòd virtute incorporationis, cau-
,, ſæ Regularium incorporatorum civiles tractentur coram Magnifico
,, Domino; attamen nondum præfato Reverendo Patri d'Herbe conſtat,
,, quòd præfati ſui Superiores Regulares, propter illam incorporationem,
,, exiſtiment, Subditos ſuos non Academicos, Lovanii habitantes, poſſe
,, perſonaliter citari coram Magnifico Domino, in cauſa quaſi criminali,
,, & perſonam ipſarum tangente. Quarè juſtè metuit nè ex tali compa-
,, ritione, ab iiſdem Superioribus affligatur, quaſi qui temerariè violave-
,, rit privilegia Ordinis, & hinc novam difficultatem ſibi attrahat; &
,, cùm ex præfato ſecundo articulo gravaminum, ſatis pateat quo loco
,, ſtent negotia hæc apud præfatos ſuos Superiores, declarat, quòd de
,, venia Illuſtriſſimi D. Inter-Nuntii, vel etiam ſui Reverendiſſimi Patris
,, Generalis, paratus ſit comparere coram quocumque legitimo Judice;
,, ac inſuper declarat, ſe libenter ſcripturum *ad Illuſtriſſimum Dominum*
,, *Inter-Nuntium*, & habitâ licentiâ compariturum, & ad gravamina, ſi
,, quæ ſint, reſponſurum; petens intereà haberi pro diligenti, quibus me-
,, diantibus ſuſtinet hactenùs ſe defungi debere: petens expenſas in caſum
,, &c. Præſente Quirini, qui inhæret Decreto hodiernâ die lato, &
,, nunc Reo inſinuato per Apparitorem van Langendonck, ùt refert ſe
,, feciſſe ad perſonam propriam, ſuſtinens eidem eſſe ſatisfaciendum, a-
,, liàs petit petitum & comminatum DECRETUM APPREHENSIO-
,, NIS *ſine ulteriori remora relaxari*, cùm notorii juris & praxeos ſit,
,, quòd perſonaliter citatus comparere debeat, & ſi quid allegandum ha-
,, beat, id & perſonaliter faciat, & nullo modo veniat audiendus vel ad-
,, mittendus per Advocatum vel Procuratorem, aut ulla ſcripta, ante per-
,, ſonalem comparitionem; quarè rejiciendo allegata per van Leeuwe utì
,, frivola, impertinentia & abuſiva reſpectivè, & nullatenùs hìc & nunc
,, attendenda, *petit & perſiſtit ùt antè*. Van Leeuwe inhæret præfatis alle-
,, gatis, ſuſtinens, hiſce declarationibus ſe ſatisfeciſſe. Quirini inhæret
,, pariter ſuis allegatis, & cùm ex inordinato & exotico procedendi mo-
,, do evidenter pateat, ipſum citatum in vilipendentiam juriſdictionis Ma-
,, gnificentiæ veſtræ, Judicis notoriè competentis, comparere non velle,
,, & ad eludendum Judicem & juſtitiam, cavillationes & *protractiones quæ-*
,, *rere*, hinc petit petitum DECRETUM APPREHENSIONIS *ex nunc*
,, *pro tunc ferri*, *Domino Promotori demandari*, caſu quo Statutâ horâ per-

„ ſonaliter non compareat, aliàs proteſtatur &c. Van Leeuwe perſi-
„ ſtit, P. P. „

36. Non dubito quin æquus ſacrorum Canonum cultor, ad hæc inaudita exhorreſcat.

37. Quaſnam autem cogitationes voluturus eſt apud ſe, dum intelliget, quòd ubi in rebus alicujus momenti, Aſſeſſor ſolet & debet peritos conſulere, D. Guilielmus Leunckens ſtatim, ſine mora, ac ſe ſolo, tulerit Decretum ſequens. *Inhærentes anterioribus noſtris Decretis, injungimus citato, ut iiſdem ſe conformet* SUB POENIS COMMINATIS.

38. Hiſce expenſis R. P. Franciſcus d'Herbe non valens reſiſtere vi majori, quæ variis circumſtantiis, aliàs referendis, roborabatur; intrepidè ad judicium proceſſit, & ad gravamina octodecim ſibi propoſita reſpondit, præmiſſa ſequenti proteſtatione, in actis regeſtâ: *Declarat quòd hîc invitus & coactus compareat. Quapropter proteſtatur de non præjudicio ſuorum Superiorum, & non incurrenda ipſorum indignatione per hanc ſuam reſponſionem faciendam, & petit ſibi dari hujus actæ copiam, tempore & loco.*

39. Pater Deſirant poſteà produxit eum in teſtem. Sed Procurator Quirini contrà proteſtatus fuit, ſub prætextu quòd is tamquàm prætenſorum criminum complex, in reatu eſſet. Tacebat autem quòd ideo in reatum tractus fuiſſet, nè teſtari poſſet.

40. Præcipuum gravamen ipſi articulo 13. objectum conſiſtebat in notoria fictione: *Quòd ſi putaverit eſſe vera, debuiſſet illa revelare Superioribus, ſignanter Magnifico Domino, utpotè continentia horrendam conſpirationem in Statum & Religionem; quod tamen Reus non fecit.*

41. Quinimò D. *Guilielmus Leunckens*, qui tunc temporis Rector fuerat, in anima ſua ſciebat, quòd dictus Pater d'Herbe ipſi die 23. & 25. Februarii portam aperuerat, & perhumaniter introduxerat, quando rogatus ad Patrem Deſirant venerat, ut cuncta videret, atque audiret, prout vidit, & quantùm tunc poterat audivit, eodem Patre d'Herbe cuncta, quæ per Petrum allata fuerant, ad dictum Dominum Leunckens ſuis manibus ferente.

42. Attamen D. Guilielmus Leunckens ementitum hoc gravamen, non tam opponi, quàm imponi paſſus eſt. Pater d'Herbe depoſuit quidem, & depoſitiones, ad Patris Deſirant inſtantiam factas, ſignavit, & juramentum præſtare paratus fuit, ſed Procuratore Quirini inſtante, & dicto D. Leunckens jubente, ad illud admiſſus non fuit. Memmius erat Memmius.

43. Relatus decimus-tertius articulus Patri d'Herbe objectus, tam Patris Deſirant, quàm Patris d'Herbe juſtificationem adſerebat. Si enim

Digitized by Google

contra alterutrum, vitio verſum fuiſſet, quòd Rectorem Magnificum non admonuiſſet; debebat igitur à contrario, utriuſque hac in re innocentia nota eſſe; quandoquidem dictus D. Guilielmus Leunckens tamquàm Rector duabus vicibus per utrumque, prout deſiderabatur, admonitus fuiſſet.

44. Cauſa Patris Franciſci d'Herbe fuit Bruxellis, per eoſdem quinque Aſſeſſores deciſa, eodemque die 18. Maii 1708. quo Pater Deſirant condemnatus, ipſe fuit abſolutus. Scilicet, quemadmodum David peccans, & arcana ſua juſſa Duci Joab fraudulenter data diſſimulans, ſervo, Uriæ mortem nuntianti reſpondebat: *Varius enim eventus eſt belli.* 2. Reg. cap. 11. v. 25.

45. Iidem teſtes producti fuerant contra utrumque; eædem inſtantiæ factæ; eadem criminatio, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd Pater Deſirant accuſatus fuerit tamquàm principalis, Pater d'Herbe tamquàm complex, & Socius & Secretarius ejus. Hic fuit abſolutus; ille condemnatus. Combinent iſta, qui poſſunt, ipſi Oraculum Decreti Leidenſis conſulant.

46. Tametſi autem Adverſarii ſcirent Patrem d'Herbe triumphaſſe; attamen ſententiam ejus ſuppreſſerunt, donec evulgaſſent, totâque Europâ diſſeminaſſent infamantem ſuam Concluſionem finalem, in qua non tantùm Patris Deſirant, verùm etiam dicti Patris d'Herbe honorem & famam eâdem turpitudine, ſine ulla reſtitutionis cogitatione dilacerârunt, præſertim art. 43. in verbis: *Pater Franciſcus d'Herbe Socius Rei & complex.* Et art. 782. *Eòdem tendebant declarationes, quas ſibi procuravit à Socio ſuo, & in crimine complice Patre d'Herbe.*

47. Petrum verò ſuum, ſe ipſis in doctrina & moribus per omnia conformantem, dignis ſuâ Secta præconiis celebraverunt, illiuſque *Deductionem loco motivi*, in qua art. 2. *ab anteacta vita innocentia* commendatur, ſuppreſsâ ſententiâ ejus condemnatoriâ, typis dederunt, ſimulque cum Concluſione finali quaquaversùs diſtribuerunt, pro nihilo reputantes, quòd elogia, quæ de tot, tantiſque criminibus, ùt aſſerùnt, convicto, atque confeſſo tribuunt, in ipſorum capita redundent, & quid apud illos *innocentia* ſit, demonſtrent. Sed nempè innocentiaverunt, & ut ita dicam, integrizaverunt ſeſe mutuò, eâ lege ut vice versâ à ſeſe mutuò innocentiarentur, atque integrizarentur. Non volo cum Petro contendere an innocentia & integritas quâ incruſtatus eſt, minor ſit illâ quâ incruſtatores ſuos reciprocè incruſtavit. De hoc primatu diſputent inter ſe, & interim dum controvertent, quiſnam ipſorum ſit major, nos ad juſtificandum penitùs Patrem Franciſcum d'Herbe, ſcedulam, quam ipſimet procuraverunt, & ſententiam nominant, fideliter in Idioma Latinum tranſlâtum, luci dabimus.

Digitized by Google

48. „Promotor Univerſitatis Lovanienſis Actor, Pater Franciſcus „citatus. Viſis apud Dominos de Juncta ordinata per Concilium Statûs „commiſſum ad generale regimen hujus Belgii, juxta Decretum de 5. „Octobris 1707. miſſum ad Concilium Brabantiæ, libello ſupplice per „Actorem oblato 10. Maii antecedentis cum Apoſtilla eodem die ſuper „ea ſecuta, comprehendente proviſionalem citationem perſonalem ad „onus citati; actâ ſivè notulis conformiter ad ea habitis 16. ejuſdem „menſis, gravaminibus Actoris cum perſonali reſponſione, & ulteriori „reſponſione in ſcriptis citati deſuper ſecutis, utì etiam verbali replicâ „Actoris, & perſiſtentiâ loco duplicæ citati, reſpectivè annotatis in ac„tis de 3. & 8. Junii ejuſdem anni; præter eà ſententiâ interlocutoriâ „eodem die datâ, quâ partes admittebantur ad probandum. Viſis inſu„per verbalibus de 25. Auguſti, & 15. Novembris ſubſequentis, EX „QUIBUS PATEBAT QUÒD PARTES PRO PROBATIONIBUS „IMPENDERANT, SCILICET ACTOR PROBATIONES PER „SE REPRODUCTAS IN CAUSA CONTRA PATREM DESI„RANT, ET CITATUS PROBATIONES PER PRÆDICTUM „PATREM SIMILITER IBIDEM FACTAS; viſis ad hæc repro„bationibus & ſalvationibus earundem partium, unà cum Concluſione fi„nali, hinc inde exhibita, omnibus conſideratis, DOMINI DE JUNC„TA, interveniente Officio Fiſcali ſupremi Concilii Brabantiæ, AB„SOLVUNT CITATUM AB HAC INSTANTIA, nihilominùs eun„condemnantes in omnes expenſas litis, & executionis juſtitiæ. Ita fa„ctum in hac Urbe Bruxellenſi 18. Maii 1707. *Signatum*, H. Bodry. In„frà habebatur, concordat cum Originali, quod atteſtor, *ſignatum erat*, „H. W. Quirini, Not. Apoſtol.„

49. Multa quidem circa hanc ſcedulam notanda occurrunt. Brevitatis autem gratiâ hærebimus in duobus.

50. Primò quidem admirabimur, quòd ibidem valdè poſitivè dicatur, *viſis inſuper verbalibus de 25. Auguſti, & 15. Novembris ſubſequentis, ex quibus patebat quòd partes pro probationibus impenderant, ſcilicet Actor probationes per ſe reproductas in cauſa contra Patrem Deſirant, & citatus probationes per prædictum Patrem ſimiliter ibidem factas.*

51. Ex his enim manifeſtè ſequitur quòd idem Actor utrobique contra utrumque Patrem, Deſirant, & d'Herbe impenderit probationes eaſdem; & quòd uterque vice verſâ eaſdem impenderit.

52. Et nihilominùs P. d'Herbe abſolutus, & P. Deſirant condemnatus fuit.

53. Iſta ſunt nonnihil obſcura, niſi clarificentur à Decreto Leidenſi.

Digitized by Google

54. Dicere enim quòd Pater Deſirant aliquid confeſſus fuiſſet, tam eſt ridiculum quàm quod maximè. Nam imprimis, ſi quidquam confeſſus fuiſſet, vel ſi ex confeſſione aliqua damnatus fuiſſet, debuiſſent illud in ſententia exprimere, nec eſt apparentia quòd illud omiſiſſent. Jam verò nullibi *confeſſus* dicitur. Et ad prætenſas illas confeſſiones quod attinet, ſatis ſuperque in Apologia reſponſum eſt.

55. Secundò verò obſervamus ſubtilitatem juris, in verbis, *abſolvunt citatum ab hac inſtantia*.

56. Quaſi verò Religioſus & Sacerdos, Eccleſiaſticis immunitatibus gaudens, modo tam indigno ad incompetens Rectorale Tribunal, vi metuque gravi, cadente in conſtantem virum, tractus, non ſatisfeciſſet evertendo actoris inſtantiam. Sed ſcilicet reſervandum erat aliquid in imaginatione, ut regularem paupertatem profeſſus, nec ad ullam lucrativam functionem promotus condemnaretur in expenſas.

57. Et quidem D. Henricus Malcorps non defuit officio ſuo, ſed Religioſi veſtes, ſupellectilem, & omnia, quæ erant paucula, ſub ſupremi Concilii Brabantiæ nomine, publicè atque juridice, per Apparitorem civilem, Academicus arreſtari fecit.

58. En verba Arreſti: „ Ad requiſitionem Officii Fiſcalis Univerſita- „ tis Lovanienſis, & ex vi cujuſdam ſententiæ obtentæ in ſupremo Ma- „ jeſtatis ſuæ Concilio Brabantiæ, cujus hìc ſuperiùs habetur copia, per „ me infraſcriptum Apparitorem ex parte ſuæ Regiæ Majeſtatis tam- „ quàm Ducis Brabantiæ die quintâ Julii 1708. occupantur & arreſtantur in manibus Reverendi Patris Prioris, & Conventualium Auguſtinia- „ norum omnes nummi & effectus quieſcentes in eodem Monaſterio, aut „ exiſtentes in eorum poteſtate, ſpectantes ad Patrem d'Herbe exiſten- „ tem in eodem Monaſterio, idque ad recuperandas expenſas in eadem „ ſententia mentionatas, in quas incidit, & condemnatus eſt prædictus „ Pater d'Herbe, cum inhibitione & interdictione de non evacuandis „ manibus in præjudicium hujus. Sub pœna &c. *Signatum erat* J. B. „ Pennemans. „

59. Hæc eſt via compendioſiſſima, ad omnem Religioſum in Belgio cujuſcumque inimici arbitrio ſubjiciendum, ut etiam poſtquàm ſe coram Tribunali incompetente ſic defenderit, ut triumphaverit; omnibus tamen ad Religioſam vitam tranſigendam neceſſariis, ſpoliandus ſit.

60. An hic fuerit ſenſus, ab Henrico Graſper intentus, dum die 20. Februarii 1707. Lovanienſium amicorum nomine, ad amicos in Hollandia conteſſeratos ſcribebat, *expectatur mutatio, & ſperatur quòd omnia novam ſpeciem accipient*; humiliter atque obedienter Pontificio ac Regio judicio ſubmiſſuri ſumus.

61. Pruſ-

Digitized by Google

61. Priuſquàm tamen manum è tabula retrahamus, exhibendum eſt frivolum Procuratoris Quirini argumentum [quod tamen valere juſſum eſt] in quo prætenſam Patris d'Herbe ad Rectorale Tribunal alligationem ſtabilire conatus fuit.

62. Verba actorum ſub die 3. Junii ſunt: *Quòd juxta Bullam erectionis hujus Univerſitatis ad Magnificentiam veſtram ſpectet cognitio omnium cauſarum, etiam criminalium, quorumcumque Doctorum, Magiſtrorum & Servitorum eorumdem, inter quos cenſentur Socii Doctorum Regularium, qui eo titulo jura in actibus percipiunt.*

63. Taceo indignitatem, quâ Religioſus Sacerdos quinquagenarius, ex perhoneſta familia oriundus, ſervis comparatur; ſed tacere non poſſum ineptiam petitam à Plumbetis, quorum ſingulum, duodecim Romanis quatrinis appenditur, ita ut annuè vix ad ſolutionem alterius paris calceorum ſufficiant. Numquid res magna Doctorum Sociis diſtribuitur, qui non modò calceos, ſed etiam totum habitum terunt Doctores comitando? Ideonè Religioſâ exemptione, à Pontificibus & Principibus ſtabilitâ excident, & Rectori in perſonalibus, & quidem in criminalibus fient ſubjecti, & ita ſubjecti, ut niſi compareant, in carceres compingi, & poſtquàm comparuerint, & ab inſtantia abſoluti fuerint, in expenſas condemnari debeant. Sint Doctorum ſervi, qui nullâ exemptione gaudent, ſubjecti quibus voluerint; nihil hoc ad Religioſos. Ne Pater Deſirant quidem Rectori in hac cauſa ſubjici debuerat. Ubique autem vis valuit, quia in præſentibus circumſtantiis odioſum fuit, jura propugnaſſe Romani Pontificis, prout tum in actis, tum in ſcripturis fruſtrà oſtenſum, fruſtràque aliquoties repetitum fuit.

64. Non impediemur tamen concludere quòd depoſitiones à Patre d'Herbe, ad inſtantiam Patris Deſirant in illius cauſa datæ, eò magis contra Adverſarios ſint valituræ; quò jam certiùs conſtat, ipſos in ſuſpectationis objectione, quam in ſola reatûs ejus fictione collocaverant, per id quod ipſimet ſententiam vocant, cecidiſſe.

65. Coronidem verò huic operi imponentes, referemus verba termini, die 12. Auguſti 1707. in iiſdem actis ſervati, occaſione novæ, per Doctorem van Eſpen violentiæ, contra innocuum Procuratorem van Leeuwe, per carceris comminationem [nihil enim homo modeſtiſſimus videbatur ſpirare aliud quàm carceres] in hac cauſa intentatæ.

66. „ Primò Eximius Pater dicit quòd impoſterum ad elidendas per„ verſas intentiones inimicorum, ſcripturas ſub titulo *loco termini*, inten„ dat producere nomine proprio, attento quòd Procurator van Leeuwe „ ſibi querelas attulerit, quòd Clariſſimus D. Zegerus Bernardus van Eſ-

Digitized by Google

„ pen dictum van Leeuwe perterruerit, quaſi corporaliter apprehen-
„ dendum, quia tamquàm Procurator nomen ſuum præfixerat penulti-
„ mo *loco termini*, qui tamen ſignatus erat ab Eximio Patre, & ab eo-
„ dem compoſitus.

67. „ Egregia nimirum pietas, charitas, atque juſtitia, digna *Fratre*
„ *Antonino*, tam atroces minas vibrare in Procuratorem innocuum, nè
„ pergat patrocinari Doctori Catholico, cujus innocentia indies immola-
„ tur declaratis Sedis Apoſtolicæ inimicis, pro cujus defenſione multa
„ feciſſe, ac ſcripſiſſe UNICUM HODIE IN PRÆSENTIBUS CIR-
„ CUMSTANTIIS, EXIMII PATRIS CRIMEN EST.

PERORATIO
AD LECTOREM.

AD effictas, ſubornataſque Adverſariorum criminationes, per Orbem Europæum malè ſparſas, pro prima vice reſponſum eſt ſatis. Experiemur an & quantas vindicias annnoſi homines, ſola rigorum verba jactantes, pro evictarum laxitatum ſuarum deliciis repoſituri ſint. An perſtituri in ſuo characteriſmo, hoc eſt, in contumeliis adversùs Summum Romano-Catholicorum Pontificem, Eccleſiæ Prælatos, Doctoreſque, & alios quos ſibi doctrinæ causâ infenſos habent; & an ſit futura utilitas vel neceſſitas, ignes ignibus compeſcendi, edendique opus juſtæ molis, *de Moribus Janſeniſtarum*, per competentia inſtrumenta authenticata, Eccleſiæ demonſtrandis, eo ferè modo, quo S. Auguſtinus adactus fuit olim ſcribere, *de Moribus Manichæorum*. Scriptorem novimus, ad hæc paratum. Occaſionem expectat; quamquàm nec temerè quæſiturus. Nihil tandem putat Romano-Catholico eſſe glorioſius, quàm inimicorum Eccleſiæ aperire dedecora, dum jubent; & quo tempore criminantur innocuos, propriis eos armis dejicere, ut non tam pugnæ, quàm juſtæ defenſioni conſultum videatur. Non diffitendum quidem, quin iſta animi præparatio, reſiſtendi hominibus potentibus à ſæculo, de juramentis negotium facientibus, & quodammodò mercatum gerentibus [turpe opificium!] ſemperque ad calumniandum & perſequendum paratis, rem contineat periculo plenam, quemadmodum exempla variorum, qui tandem ſuccubuêre, demonſtrant. Sed & tanti eſſe exiſtimat, cum tantis, ſi opus eſt, jacere: Fideique Romanæ, quæ Apoſtolo Paulo teſtante, annuntiatur per univerſum mundum, tantùm & ampliùs deberi. Nec Gentilibus hoc concedendum, ut ſoli de

dicto Mutii Scevolæ glorientur: *Agere & pati fortia Romanum eſt.* Dum cauſa eſt bona, & conſcientia tuta, resque devenit ad extremum, ita ut communis ſalus in periculo verſetur, tunc audendum, confidendumque in Domino, qui providebit; in Chriſti Vicario, qui ſuos non deſeret; in Rege Catholico, qui debitè informatus ponet modum: & *fata viam invenient.*

Hoc interim in præſenti cauſa Patri Deſirant ſatis eſt, & benè magnum, quòd potentiſſimi Adverſarii, per tot ac tanta artificia, undequaque ſuſfulta, nil niſi vanam potuerint *ſuſpicionem* exſculpere, & innocentia miſſionis quarumdam copiarum, & retentionis aliquorum Originalium facta, hujus ſuſpicionis debilitate incruſtare, ut in præſentibus circumſtantiis, Sacerdotem innocuum, Religioſum Profeſſum, Doctoremque Romano-Catholicum triplici titulo exemptum, ad diverſa incompetentia Tribunalia tractum, cùm vitâ non poſſent, ſaltem exilio mulctari facerent. Et quod majoris gloriæ eſt argumentum, pro certo refertur, nullum Romano-Catholicum Adverſariis in hoc vel conſenſiſſe, vel applauſiſſe. Atque ita ſcelus ſatis ſuperque in Authores rediit, ubi toti Orbi terrarum fatale ſibi procuderunt exemplum, quo verificantur ea quæ de fictis Catholicis Summus Romanorum Pontifex Clemens XI. feliciter regnans, in nupero ſuo Brevi Apoſtolico, *Univerſis Catholicis in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum conſtitutis*, inſcripto, Romæ die ſeptimâ Aprilis 1703. dato, tam graphicè, quàm energicè pronuntiavit: ALIENI PROFECTÒ SUNT, *qui dum gregem Dei dividere tentant, mactare potiùs ac perdere, quàm cuſtodire velle deprehenduntur. Obtendunt illi quidem exactioris diſciplinæ ſpeciem; ac* DE RIGIDIORIS THEOLOGIÆ SIBI FAMA BLANDIUNTUR, *quales verò animo ſenſus foveant, quòve mente collment, quicumque ſapiens rerum æſtimator facilè judicabit, certiſſimâ illâ (quâ nos, ad eos qui veniunt in veſtimentis ovium, dignoſcendos, Salvator noſter inſtruxit) adhibitâ regulâ,* A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS. *Quis enim, ut cætera taceamus, tot ab aliis* HAC IN CAUSA *editos libellos videat,* JURGIIS, MALEDICTIS, MENDACIIS, CALUMNIIS, *apertâque in Apoſtolicam Sedem irreverentiâ, ac* TEMERITATE, UNDEQUAQUE SCATENTES, *quos magno vel ipſis Heterodoxis ſcandalo eſſe, comperimus; quin ſtatim agnoſcat,* QUAM LONGE' ILLORUM AUTHORES DEFENSORESQUE A SPIRITU DEI SINT, *qui non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis, quàm longè à ſincera Chriſti charitate, quam adeo* VERBIS PRÆDICANT, FACTIS DESTRUUNT, *quàm longè demùm à vera humilitatis & obedientiæ, quæ cæterarum virtutum fundamenta ſunt, tramite, dum ad-*

Digitized by Google

verſùs ipſam ſanctam Petri Sedem, Chriſtianorum omnium Matrem & Magiſtram, caput attollere, ejusque mandatis obviam ire, quinimò & poteſtatem convellere, & palàm impetere NON ERUBESCUNT. Hactenùs verba Pontificis Romani, quem Concilium ſeptimum Generale, in Canone ſuo ſecundo, non dubitavit appellare *Organum Spiritûs Sancti.* Loquitur autem Supremus Antiſtes de *causa* in eodem Brevi fuſiùs expreſſa, nimirùm de prætenſione imaginarii Harlemienſis Capituli, ad eligendum aut præſentandum Vicarium Hollandiæ. Hanc cauſam nemo novit meliùs, quàm Doctor van Eſpen, qui ſub ficto *Fratris Antonini* nomine, has etiam tragœdias excitavit, Hollandiæ Clerum inſtruendo, ut circa hujuſmodi Vicarii Conſtitutionem, Pontifici ſubreptum fuiſſe contenderet, & Sedi Apoſtolicæ reſiſteret, prout ex Epiſtola ejus inter Quenellianas impreſſa, oſtendimus, & ex detectis nuper Henrici Graſper litteris, ulteriùs confirmavimus, mala malè recurrentium conſilia redarguentes, non decreta regnantium. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, inquit Pontifex. En fructus: Nonnulli per iſtius *Fratris Antonini* ſcripta excitati, in rebellione ſua ſordeſcentes, juſtiſſimo Dei judicio ſunt traditi ſathanæ, in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat, juxta phraſim Apoſtoli, à nullo Chriſtiano ſegniùs quàm par eſt, accipiendam: id eſt, prout Doctor Angelicus interpretatur, ejecti ſunt ex Eccleſia Chriſti, repoſitique in ſtatu, in quo fuerant ante Baptiſmum, ſicut Ethnici & Publicani, ſervientes Patri mendaciorum, & ſub illius poteſtate conſtituti, non ut ab eo damnentur, ſed ut caſu ſuo ſic explicato perterriti, reſipiſcant, & ad Medicum redire feſtinent. Sordeſcunt autem, & ſordeſcunt adhuc, quemadmodum virulenta ipſorum ſcripta teſtantur, & ejecti è navi Petri, nulli magis, quàm ſibi miſerabiles, ſalutem in ſcopulis quærunt. *Frater Antoninus*, dum hæc audiet, in ſe redibit, & in corde iſto, in iſto pectoris penetrali diſcutiet, ad quid tantarum ruinarum incentor teneatur, & an fucata modeſtia, externo ſuo apparatu, ſatis momenti habeat ad coloranda vel excuſanda iſta opera doloris.

Volvet, & revolvet funeſtam Epiſtolam ſuam die tertiâ Martii 1703. ad Amaſium ſuum, Patrem Paſchaſium Quenellum datam, cujus Originale vidimus, & copia impreſſa eſt in Libro cui titulus, *Cauſa Quenelliana* pag. 151. *Sapientiſſime Domine: afflictiſſimum Miſſionis Hollandicæ ſtatum, & litterarum Domini Silvii* [ſic juxta clavem, ibid. pag. 326. ficto nomine, appellabant Illuſtriſs. D. Buſſium, tunc temporis Inter-Nuntium Apoſtolicum] *contentum intellexeram ex litteris amicorum, iiſque reſpondi ex amicorum conſilio, fortiter inſiſtendum juribus Capitulorum, oſten-*

Digitized by Google

dendumque, Pontifici fuiſſe ſubreptum, juribus Capituli Harlemienſis [credo quòd idem jus competat Capitulo Ultrajectino, ſed ſuper eo hactenus conſultus non ſum] firmandis miſi ſcriptum, cujus hic copiam jungo. Rogo ut illud examinare dignetur, & ſi quid addendum aut demendum judicaverit, dignetur ſignificare D. Swanio. Scriptum in hac materia, nomine D. Swanii editum legimus; nunc verò authorem novimus *Fratrem Antoninum*, quem ſtatim vidimus *ex amicorum conſilio amicis* reſpondentem, *fortiter inſiſtendum eſſe.*

Vos autem dilecti Filii non ſic, inquit Pontifex, in Brevi citato, veros Catholicos alloquens. Et quidem Plebs Romano-Catholica, Sacerdoti ſuo feliciter adunata obedit, & ſe Lupos à veris Paſtoribus diſcreviſſe, luculentis factis demonſtrant. Felices Chriſti pugiles, qui auditâ voce Supremi Paſtoris, ſecuti ſunt illum! diſſipatæ ſunt enim, & fugerunt ab illis omnes dubitationis tenebræ, & amabiliſſimam veritatis lucem amplexi ſunt. Tanti faciunt Romanæ Eccleſiæ participare, ut etiam Oratoria vitent eorum, qui inane Catholici nomen retinentes, Catholicorum opera abjecerunt. Et ut ſatisfaciant Dei Optimi, Maximique præceptis, Romano-Catholicis Miniſtris diligentiſſimè quæſitis adhærent, quoſque dum non inveniunt, ſatiùs putant ſanctificare Sabbathum, in terra aliena apud ſe cantando Canticum Domini, quàm vetitâ Communione fœdari. Hæc geſta verorum fidelium, qui juxta primitivæ Eccleſiæ Spiritum, à pervetuſto Arnobio commendatum, nôrunt *non magna loqui ſed vivere*; veri juſti, quos victrix Dei gratia illuminat, & efficaciter determinat, ut in tenebris & in umbra mortis poſiti, per humilia obedientiæ opera perveniant ad lucem, in qua ſicut ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.

FINIS.

CENSURA.

Ego infraſcriptus à Reverendiſſimo & Per-Illuſtri Domino Vicario Generali ſpecialiter deputatus, legi Librum, cui titulus: Apologia pro P. Bernardo Deſirant, S. Theologiæ Doctore *&c. nihil in illo reperi fidei aut bonis moribus contrarium. Et cùm in tali tantaque controverſia multùm interſit, ut qui volunt, litigantium argumenta æſtimare poſſint, Librum illum luci publicæ utiliter datum iri cenſeo. Leodii 23. Julii 1709.*

HEN. ROB. STEPHANI, Societatis JESU, Seminarii Leodienſis Vice-Præſes, & Examinator Synodalis.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
ET PARAGRAPHORUM.

DIſcurſus prodromus. *De Specie Facti.* pag. 1
Paragraphus I. *Refertur ſeries Facti, prout pluries à Patre Deſirant in judicio fuit exhibita.* 2
Parag. II. *Refertur ſeries ejuſdem Facti, prout eam Petrus Nicolaus Tourteau in judicio depoſuit in ſuis reſponſionibus perſonalibus ad Libellum Gravaminum ei ex parte Officii Fiſcalis objectum: in quibus reſponſionibus, poſt intermedias variationes informes finaliter perſtitit, ſe ſolùm in omnibus, & Patrem Deſirant in nulla prorſus re accuſando.* 5
Parag. III. *Ex Relatione quam fecit P. Deſirant, & depoſitione in qua Petrus Nicolaus finaliter perſtitit, probatur Patris Deſirant innocentia.* 8
Parag. IV. *De diſtinctis qualitatibus criminum ex Facti ſerie reſultantium.* 9
Caput I. *Confutatio primi gravaminis: quòd Reus plura pertinacis odii ſigna oſtenderit contra Clariſſimum Dominum van Eſpen, quod ortum habuit ex Libello quodam de peculiaritate & ſimonia, à quo tempore dictum D. van Eſpen amaris illis diſſidiis Theologicis ſemper immiſcuit.* 12
Caput II. *Confutatio ſecundi gravaminis: quòd notum ſit odium quo dictus Reus fertur in præcipuos Patres Ordinis ſui hujus Provinciæ, qui ſe opponunt vitæ ejus licentiori, uti contrariæ profeſſioni ſuæ, & voto paupertatis.* 18
Caput III. *Confutatio tertii gravaminis: quòd Petrum Nicolaum Tourteau impenderit ad fabricandam Epiſtolam de 10. Januarii 1707. ad D. vanden Neſſe Paſtorem Stæ. Catharinæ Bruxellis eò tendentem, ut dictus D. van Eſpen & præfati Patres ejuſdem Ordinis unà cum pluribus ex primariis hujus Academiæ, aliiſque de Clero viris, tamquam nequiſſimæ conſpirationis in Religionem & Statum, Rei traducerentur.* 23
Parag. I. *De anterioribus Petri Nicolai Tourteau falſitatibus, & de perſonis, quibus illæ ab initio fuerant cognitæ.* 23
Parag. II. *De ulterioribus Petri falſitatibus, & de illis qui eas cognoverant.* 25
Parag. III. *De diffamationibus, minis, promiſſionibus, beneficiis, excuſationibus, necnon pœnitentiæ & innocentiæ laudibus, Petro Nicolao Tour-*

ctas, non per Patrem Deſirant, ſed per Adverſarios in eadem cauſa impenſis. 27

Parag. IV. *Quòd Petrus fuerit malum inſtrumentum non Patris Deſirant, ſed Adverſariorum.* 31

Parag. V. *Reſpondetur objectionibus in Concluſione finali adductis circa Petrum Nicolaum Tourteau veluti inſtrumentum.* 31

Caput IV. *Confutatio quarti gravaminis: quòd ibidem notoriè adulterata ſit ſignatura prædicti Clariſſimi D. van Eſpen.* 39

Caput V. *Confutatio quinti gravaminis: quòd prædicta Epiſtola apud Reum viſa ſit, & quòd eam pluribus legendam exhibuerit.* 47

Caput VI. *Confutatio ſexti gravaminis: quòd plures copias ejuſdem fieri, eaſque authenticari curaverit, & iiſdem ad fines ſuos uſus fuerit.* 47

Parag. I. *Quânam authoritate, & quomodò P. Deſirant Originale acceperit.* 48

Parag. II. *De modo, quo P. Deſirant à Petro acceptavit Epiſtolam de 10. Januarii 1707., ac de diligentiis erga illum ſervatis.* 53

Parag. III. *De duobus Notariis, quibus P. Deſirant ſecretò oſtendit Originale.* 55

Parag. IV. *De modo & cauſis, propter quas Originale deſtinatum fuit, & de modis quibus id accidit.* 56

Parag. V. *De prætenſa variatione quatuor litterarum Z. B. V. E. quæ dicitur obſervata fuiſſe per duos Notarios, quando in judicio viderunt reproductum Originale.* 58

Parag. VI. *De parvitate temporis, quod intercesſiſſet inter Epiſtolæ ſcriptionem, factamque à Petro apud P. Deſirant denuntiationem.* 69

Parag. VII. *De corpore delicti; quod fingunt P. Deſirant confeſſum fuiſſe.* 70

Parag. VIII. *De communicatione, quam P. Deſirant fecit quibuſdam amicis ſub prævio ſecreto.* 71

Parag. IX. *De quatuor nominatis amicis, quibus Pater Deſirant Epiſtolam de 10. Januarii 1707. aliaque communicavit, pro conſilio, & de prætenſis contradictionibus, quas Adverſarii fingunt reperiri in depoſitionibus tam ipſorum, quàm Patris Deſirant.* 74

Parag. X. *De modo quo ſecretum communicatum fuit Doctoribus Hermanno Daemen, Carolo Giſlino Daelman, Antonio Parmentier, ſtrictæ Facultatis Theologicæ Regentibus, & D. Licentiato Pauwels Plebano.* 75

Parag. XI. *Quòd præfati amici reverà pluries plura conſilia contulerint cum P. Deſirant, tam antè, quàm poſt 22. Januarii 1707. & in omnibus obſervaverint bonam fidem ejuſdem.* 83

Digitized by Google

Parag. XII. *Reſpondetur ulterioribus cavillationibus circa communicationem & non communicationem amicis factam.* 85

Caput VII. *Confutatio ſeptimi gravaminis : quòd Reus per eundem Petrum Nicolaum Tourteau fabricari curavit Librum Reſolutionum, quæ in variis Congregationibus ab iiſdem prætenſis Conſpiratoribus captæ fuiſſent, conformiter ad prædictam confictam Epiſtolam de 10. Januarii 1707. quòdque Reus eidem Tourteau tam Libri hujus, quàm dictæ Epiſtolæ materiam ſubminiſtraverit.* 90

Parag. I. *Unus in toto Reſolutionum Libro, ab Adverſariis retro Concluſionem finalem impreſſo, articulus fictus quæritur, nec invenitur.* 91

Parag. II. *Quis cenſendus ſit Petro Nicolas ſubminiſtraſſe materias Libri Reſolutionum, allati die 27. Januarii 1707., & quis Henrico Graſper ea, quæ continentur in litteris ab eo Lovanii ſcriptis die 16. 20. & 23. Februarii 1707., & ab eodem in judicio recognitis.* 97

Parag. III. *De quibuſdam textibus ex Libro Patris Deſirant, cui titulus :* Commonitorium ad Orthodoxos, *excerptis, & per Adverſarios objectis, per quos probatur, quòd Adverſarii per hanc litem intenderint in Patrem Deſirant retorquere fabulam Duacenam.* 103

Caput VIII. *Confutatio octavi gravaminis: quòd ſimiliter Reus eundem Librum habuerit, variis legendum dederit, copias authenticas ejuſdem fieri curaverit, illiſque ad fines ſuos uſus ſit.* 105

Caput IX. *Confutatio noni gravaminis : quòd tam Liber hic, quàm dicta Epiſtola de 10. Januarii propter horrendam diffamationem, quam continent, manifeſtè tendant ad excitanda diſſidia inter Clementiſſimum Regem noſtrum, ejusque Fœderatos.* 110

Caput X. *Confutatio decimi gravaminis : quòd plures alias Epiſtolas Reus per eumdem Petrum Nicolaum conſingi curaverit, cum adulterina ſignatura D. van Eſpen circa eamdem materiam, aliasque, quarum partim Originalibus, partim earum copiis uſus fuit.* 120

Caput XI. *Confutatio undecimi gravaminis : quòd inter eas quatuor ſint minatoria, eò tendentes, ut Reus dictum D. van Eſpen, & D. Paſtorem Stæ. Catharinæ Bruxellis, alioſque de quibus in dicta Epiſtola de 10. Januarii 1707. horrendâ calumniâ diffamaret, quaſi in vitam dicti Petri Nicolai Tourteau conſpiraſſent, quibus uſus eſt.* 121

Caput XII. *Confutatio duodecimi gravaminis: quòd plura media quaſi in oculos incurrerint, quibus falſitas horum omnium detegi poſſet, quòdque Reus hæc non ſolùm neglexerit, ſed etiam ſtudiosè evitaverit.* 125

Caput XIII. *Confutatio decimi-tertii gravaminis : quòd è contrario pluribus mediis & occultis machinationibus uſus ſit, ut aliquid expiſcari poſſet, quo ſuum*

Digitized by Google

fucum faceret, & nequiſſimæ ſuæ fictioni fidem, vel aliquam ſpeciem conciliaret. 129

Caput XIV. *Confutatio decimi-quarti gravaminis: quòd plures perſonas immiſerit, quæ fraudulentis prætextibus proximè vel remotè aliquid aucuparentur, quod prædicto ejus fini ſubſerviret.* 129

Parag. I. *De Famulo Doctoris van Eſpen.* 130

Parag. II. *De Nicolao Tourteau ſeniore.* 134

Caput XV. *Confutatio decimi-quinti gravaminis: quòd inter fraudulentos illos prætextus fuerit ipſum ſanctiſſimum Pœnitentiæ Sacramentum.* 146

Parag. I. *De Confeſſario R. P. van Ranſt.* 147

Parag. II. *De Confeſſario R. P. Mathia Grauvvels, ejuſdem Ordinis ſacræ Scripturæ Lectore.* 149

Parag. III. *De Confeſſario Patre Leopoldo à Sta. Thereſia, Procuratore Ordinis PP. Carmelitarum Diſcalceatorum: qualiter die 16. & 17. Februarii iverit ad Doctorem van Eſpen?* 157

Parag. IV. *De congreſsibus quos Doctor van Eſpen habuit cum Patre Leopoldo, & Superioribus ejus, in Monaſterio Sti. Alberti.* 160

Parag V. *De violentiis Patri Leopoldo illatis.* 163

Parag. VI. *De famoſa actu quam Doctor van Eſpen contra Patrem Leopoldum compoſuit, & in judicio depoſuit die 19. Aprilis, iterùmque juramento firmavit die 20. Junii 1707.* 171

Parag. VII. *Diſcutitur acta declarationis, quam Doctor van Eſpen in judicio dedit, & detegitur primus error in die primi congreſsûs, quem cum R. Patre Leopoldo à Sta. Thereſia habuit.* 173

Parag. VIII. *Detegitur ſecundus error actæ Doctoris van Eſpen in die ſecundi congreſsûs, quem habuit cum R. P. Leopoldo à Sta. Thereſia.* 177

Parag. IX. *Detegitur tertius error actæ Doctoris van Eſpen, in die quo Patrem Leopoldum aggreſſus fuit coram R. P. Maximiliano à Sta. Maria, Vicario Provinciali.* 178

Parag. X. *Detegitur quartus error actæ Doctoris van Eſpen, circa tergiverſationem cathegoricè reſpondendi an faſciculus eſſet ſuus, vel non eſſet ſuus?* 179

Parag. XI. *Detegitur quintus error actæ Doctoris van Eſpen, cum nova eaque horrenda contradictione quam fecit ad palliandum profundum ſuſpirium quod emiſerat, audiens voces,* Congregatio, Congregatio. 184

Parag. XII. *Detegitur ſextus error actæ Doctoris van Eſpen, ubi fatetur & negat ſe propriâ authoritate revelaſſe ſecretum quod acceptaverat tanquam proficiſcens ex Sacramento Pœnitentiæ.* 186

Parag. XIII. *Detegitur ſeptimus error actæ Doctoris van Eſpen, de ficto timore Patris Leopoldi, item de imaginaria filia devota.* 189

Parag. XIV. *Detegitur octavus error acta Doctoris van Eſpen in ipſo proœmio, ubi culpat Patrem Leopoldum, quòd aſſeruiſſet pacquetum ad Doctorem van Eſpen ſpectare, & in acta fatetur contrarium.* 191

Parag. XV. *Detegitur nonus error acta Doctoris van Eſpen, quòd ubi quaſi per totum negat pacquetum ad ſe ſpectare, ibidem Patri Leopoldo faſſus fuerit eſſe ſuum, & ſibi reſtituendum.* 193

Parag. XVI. *Deteguntur plures alii errores Doctoris van Eſpen, & reſpondetur ad ea quæ perperam objiciuntur adversùs quatuor litteras à Patre Deſirant ad Patrem Leopoldum datas.* 195

Caput XVI. *Confutatio decimi-ſexti gravaminis: quòd Reus in eundem finem, nec à Curſoribus publicis abſtinuerit, ſed dictum Tourteau inſtituerit ad intercipiendas litteras in domo Curſoris Lovanii.* 201

Caput XVII. *Confutatio decimi-ſeptimi gravaminis: quòd dictus Reus litteras aliquas pluribus diſtinctis vicibus interceptas, tot diſtinctis vicibus ab eodem Tourteau ad ſe uti tales delatas acceperit, & acceptarit, notanter Henrici Graſper.* 208

Caput XVIII. *Confutatio decimi-octavi gravaminis: quòd dictus Reus plures ex illis ſignanter, quæ in aliis incluſa erant, aperuerit.* 216

Caput XIX. *Confutatio decimi-noni gravaminis: quòd omnes legerit, copias authenticas earundem fieri curaverit, quibus ad fines, quos voluit, uſus eſt.* 219

Caput XX. *Confutatio vigeſimi gravaminis: quòd omnia, id eſt Librum Reſolutionum, Epiſtolas ſeu earum copias clanculariè tranſmiſerit ad Altiores Poteſtates, ſignanter Illuſtriſſimos Dominos Inter-Nuntium, & Archiepiſcopum Mechlinienſem, eoſque circumvenerit.* 224

Caput XXI. *Confutatio vigeſimi primi gravaminis: quòd dictus Reus non contentus clanculariis ſuis diffamationibus, ut res majori cum authoritate in publicum prodiret, abuſus ſit ſanctitate Sacramenti Pœnitentiæ, ut Confeſſarium nihil mali ſuſpicantem, ad denuntiationem impelleret, & huic negotio involveret.* 235

Caput XXII. *Confutatio vigeſimi-ſecundi gravaminis: quòd dictus Reus ubi vidit rem ſibi non ſuccedere, omnia prædicta ſub coopertura, unà cum introcluſa clancularia denuntiatione peſſimo exemplo veſperi per duos ignotos ad manus ancillæ Magnifici Domini Rectoris tradi curaverit.* 242

Caput XXIII. *Confutatio vigeſimi-tertii gravaminis: quòd eidem Tourteau ad Carmelitas ad Stam. Catharinam profugo, varias inſtructiones & falſitates ſubminiſtraverit ad eludendum judicium, & illum confirmandum in perjurio.* 243

Parag. I. *De iis, quæ præceſſerunt juramentum à Petro die 5. Martii in judicio præſtitum, ſe famoſam Epiſtolam de 10. Januarii ſcripſiſſe ſub dictamine Doctoris van Eſpen.* 243

Digitized by Google

Parag. II. *Qualiter Rectori Univerſitatis innotuerit, quòd Petrus Nicolaus Tourteau ſcriptor eſſet famoſæ Epiſtolæ de* 10 *Januarii.* 245
Parag. III. *Qualiter Petrus* 5. *Martii ad Rectorem Univerſitatis citatus fuerit, & de iis, quæ acciderunt, antequam ad Rectorem iret.* 246
Parag. IV. *Qualiter Petrus Nicolaus Tourteau die* 15. *Martii coram D. Rectore depoſuerit & juraverit, ſe famoſam Epiſtolam de* 10. *Januarii* 1707. *ſcripſiſſe ſub dictamine Doctoris van Eſpen, eundemque vidiſſe illam ſubſignantem in ſua bibliotheca.* 248
Parag. V. *Qualiter mox à Petri depoſitione vocatus fuerit, & ad judicium venerit Doctor Z. B. van Eſpen.* 252
Parag. VI. *Quid actum cum Petro Nicolao Tourteau, mox poſtquam in judicio contra Doctorem van Eſpen depoſuerat atque juraverat.* 254
Parag. VII. *Qualiter Adverſarii Petrum in azylo conſtitutum die* 19. *Martii minis aggreſſi fuerint, ut juratam ſuam depoſitionem in judicio factam revocaret.* 257
Parag. VIII. *De promiſſionibus & effectibus Petro præſtitis in eundem finem.* 261
Parag. IX. *De reconciliatione Doctoris van Eſpen cum Petro Nicolao Tourteau, & de præſumptione juris inde reſultante.* 267
Parag. X. *De libris per Petrum ſurreptis, nimirùm Franciſco Zypæo, & duobus exemplaribus* Deductio Rationum, *in Cauſa Seminariorum.* 271
Parag. XI. *Ex citatis Zypæi textibus, & aliis factis oſtenditur, quiſnam de jure præſumendus ſit accuſati perjurii author.* 274
Caput XXIV. *Confutatio vigeſimi-quarti gravaminis: quòd prædictus Reus in hac Univerſitate eminentem gradum obtineat, & formandæ juventuti præpoſitus ſit, & inde crimen ejus plurimùm augeatur.* 278
Parag. I. *De aliis Adverſariorum criminationibus circa affectum erga Gallos & Hollandos.* 278
Parag. II. *De præcipuis & gravioribus articulis in Concluſione finali objectis, ſuper quibus Pater Deſirant non fuit auditus.* 282
Parag. III. *Neceſſaria reprobatio D. Franciſci Martin, & brevis reſponſio ad præfatos quinque articulos, in Concluſione finali impreſſos, ſuper quibus Pater Deſirant nec directè, nec indirectè auditus fuit.* 284
Parag. IV. *Quòd Adverſarii ſciverint ſe omni ſpecie probationis legitimæ deſtitutos eſſe, & ideo ex profeſſo totam cauſam direxerint tamquam judicandam ex ſuſpicione.* 291
Parag. V. *Quòd P. Deſirant in nullo articulo habuerit legitimam defenſionem quoad modum & formam judicii in inſtructione cauſæ.* 298
Parag. VI. *De præfatis quinque incidentiis, in quo conſtiterint?* 303
Parag. VII. *Quòd præſens condemnatio decreta fuerit ante præſcita delicta, & quod idem P. Deſirant inauditus & indefenſus, fuerit ſpoliatus &c.* 307
Digitized by Google

Parag. VIII. *Epiſtola Petri Nicolai Tourteau Lovanii die 7. Novembris 1708. ſub ficto nomine N. Bouſſon Leodium, charactere ſuo ordinario ſcripta.* 313

Parag. IX. *Quòd P. Deſirant in nullo articulo habuerit legitimam defenſionem quoad perſonas Actorum.* 317

Parag. X. *Quòd P. Deſirant non habuerit legitimam defenſionem quoad productionem teſtium.* 320

Parag. XI. *De cauſa inſtructione uſque ad deputationem Judicum ſivè Aſſeſſorum.* 328

Parag. XII. *Ex manifeſta Doctoris van Eſpen doctrina oſtenditur, quòd Pater Deſirant fuerit malè judicatus, & quòd ejus appellatio ipſo jure & facto ſuſpenderit totum judicatum, tamquam de ſe nullum ac invalidum.* 336

Parag. XIII. *Quòd Adverſarii in hac cauſa perperam uſurpaverint nomen Univerſitatis.* 340

Appendix ſivè Caput XXV. *De proceſſu criminali contra R. Patrem Franciſcum d'Herbe, fraudulenter inſtituto, & de judiciali abſolutione ejus: necnon de iis, quæ inde, pro cauſa Patris Deſirant reſultant.* 342

ERRATA SIC CORRIGE.

In Præfat. n 12 lin. 2 Chriſtiana *lege* Chriſtiano. pag. 7 lin. 21 Kimphæ *lege* Nimphæ. pag. 10 lin. 23 factum *lege* fictam. pag. 13 l. 7. deberi *l.* debere. pag. 16 l. 7 Thelogicis *l.* Theologicis. ibid. l. 16 Vizirinum *l.* Vizirium. pag. 19 l. 8 examen *l.* examen fuerit. pag. 22 l. 8. tunc *l.* hæc. pag. 23. l. 3 Februarii l. Januarii. pag. 33 l. 1 præſtiterit *l.* perſtiterit. ibid. l. 32 auditu *l.* audito. pag. 35 l. 1 art. 130 *l.* art. 131 pag. 41 l. 29 van Schonbroeck *l.* van Schoubroeck. *ſic ubique.* pag. 45 l. 15 adulterari *l.* adulterare. pag. 52 l. 30 articulo 261 *l.* articulo 260 pag. 55 l. 34 Vogeſlang *l.* Vogelſang. pag 62 l. 19 mirum non ſit. *l.* mirum ſit. pag. 63 l. 15 reſultum *l.* reſolutum. pag. 67 l. 22 articulo enim 323 *l.* articulo enim 324. pag. 70 l. 34 litteræ, fictæ *l.* litteræ fictæ. pag. 72 l. 18 judicatis *l.* indicatis. ibid. l. 19 judicando *l.* indicando. pag. 76 l. 8 purus, purus *l.* purus putus. pag. 81 l. 39 articulo 114 *l.* articulo 1014. pag. 83 l. 9 & *l.* ſed. pag. 84 l. 30 & *l.* ea. pag. 86 l. 13 articulo 244 *l.* articulo 240. ibid. l. 23 faciiius *l.* facilius. ibid. l. 39 art. 275 *l.* art. 274. pag. 88 l. 11 imprudentia *l.* impudentia. pag. 98 l. 15 quidquid *l.* quidquam. pag. 99 l. 2 ſignatura. *l.* ſignatura? pag. 101 l. 23 litterarem. *l.* litterarum. pag. 107 l. 25. reliqua *l.* cur reliqua. pag. 113 l. 39 articulo 334 *l.* articulo 234. pag. 121 l. 29 quas *l.* quas P. Deſirant. pag. 122 l. 5 voluiſſet. *l.* voluiſſet? ibid. l. 15 excluſit *l.* incluſit. pag. 124 l 31 art. 600 *l.* art. 603. pag. 129 l. 25 Hæc *l.* Hæ. pag. 131 l. 30 art. 344 *l.* art. 345. pag. 133 l. 12 Epiſtola *l.* piſtolla. ibid. l. 31 quon *l.* quod. pag. 138 l. 5 articulo 336 *l.* articulo 356. ibid. l. 38 art. 353 *l.* art. 355. pag. 139 l. 7 fuerit *l,* fuerit petere, ibid. l, 22 potuerit ad *l,* potuerit reſpondere ad, pag, 141 l, 34 articulo ſuo 52 *l,* articulo ſuo 527, pag, 145 l, 13 art, 507 *l,* art, 537, pag: 147 l, 24 vitæ *l,* vix, pag: 155 l, 38 ex quo *l,* à quo, pag, 163 l, 10 Cine *l,* Cinc *ſic ubique,* pag: 165 l: 13 compitum *l.* computum. pag: 166 l, 1 figilli *l,* ſigilli. pag: 173 l, 39 erat *l,* fuerat, pag: 176 l, 4 ubi *l,* uti, ibid: l, 14 Leopodus à S, Thereſia *l.* Silvanus à S, Franciſco, pag: 179 l. 23 argumento *l.* argumenta, pag: 211 l, 25 n, 32 *l.* n, 24, pag: 212 l, 24 n, 24 *l.* n, 25, pag, 214 l, 39, die 23 *l,* die 25, pag: 217 l, 31 conquinetur *l,* coinquinetur, pag: 221 l, 19 inſolidum *l,* in ſolidum, pag: 224 l, 8 autequam *l,* antequam, pag: 230 l, 8 Præterea *l,* Prætereo, pag: 239 l, 6 art, 972 *l,* art, 971, pag, 240 l, 6, art, 973 *l,* art. 972, ibid: l, 13, art, 974 *l,* art, 973. ibid: l, 24, art. 975 *l,* art. 974, pag. 241 l, 1 art, 976 *l,* art, 975. ibid: l, 21 articulo 977 *l,* articulo 976, ibid: l, 23 art, 978 *l,* art, 977, ibid: l, 39 provocatus *l,* præventus, pag: 243 *l,* 13 judicio *l,* perjurio, ibid, l 22 diſtinctâ *l,* deſtinatâ, pag: 244 l, 32 noſſe? *l* noſſe, pag: 248 l. 7 98 *l,* 981, pag: 249 l, 37 Quando *l.* Dum, pag: 252 l, 4 17. *l,* 19. pag: 253 l, 8 18 *l.* 17, pag: 258 l. 15 753 *l.* 153 pag: 264 l, 24 fuit *l.* nihil, pag: 266 l, 36 17 *l,* 19 pag: 271 l, 2 Stoëmanni *l,* Stoemanni, pag: 273 l. 11 162 *l,* 161, pag: 275 l, 15 minis *l,* nimis. pag: 277 l, 34, & effectivè *l,* effective, pag: 280 l, 19 juſtitia *l,* juſticia, ibid: l, 28 ut *l,* perrexit ut, pag: 282 l, 4, Pater *l,* P, Deſirant, pag. 284 l, 30 ex *l,* &, pag: 285 l, 20 dubitant *l,* dubitant quin, pag: 295 l. 36 fuerint *l,* fuerant, pag: 317 l, 3 invenierint? *l,* invenirent? pag: 332 l, 6 quod *l,* quod inſtantibus, pag: 336 l. 33 voluit *l,* noluit. pag: 345 l, 11 à deſiderari *l,* à ſe deſiderari,

Digitized by Google